AVREA METHODVS

De modo corrigendi Regulares;

IN QVA, VLTRA VNIVERSAM

PRACTICAM CRIMINALEM

Omnibus Regularibus competentem,

Agitur de Paterna, Fraterna, & Iudiciali correctione, ac de multiplici Denunciatione, nouo, atq; vtili ordine.

Auctore R. P. F. OCTAVIANO SPATHARIO de Inciſa
Ordinis Min. Regul. Obſeruantiæ Prouinciæ Thuſciæ.

Cum duplici Indice; altero Tractatuum, & Capitum, altero Rerum notabilium.

AD SANCTISSIMVM PATREM
PAVLVM V. SVMMVM PONTIFICEM.



ex legato

VENETIIS, MDCXX.

Apud Baretium Baretium.
De conſenſu Superiorum, & cum Priuilegijs.

SANCTISSIMO,

ac Beatiſsimo Patri

PAVLO QVINTO

PONTIFICI MAXIMO.

METHODVM Auream corrigendi Regulares (vt pro virili occurram inconuenientibus in mea præſertim Religione (quæ manu tetigi, oculis vſurpaui) exorbitantibus) a me rudi minerua concinnatam multis rationibus, quarum quęlibet ſatis ſuperque ſufficientiſſima eſt, Sanctitati Tuæ prius dicatam, quam natam plane fateor.

Primo enim, ſi Deo Opt. Max. intima omnia vota, externæ preces quæcunque, cuncta ſumma ſacrificia iure debentur, nemine quantumuis perditæ ſectæ penitus refragante; Beatitudini Tuæ ſummo in terris illius Vicario cuncta non dicari ſtudia a catholico, & Religioſo viro, ſine ſummo ſcelere non poſ-

se, par est sentire. Deinde quid clarius, magnificentius quid, quid tutius, quam sub totius Reipublicæ Christianæ Principe summo in sacris militare? nullas namque humanas dignitates, magnitudinem animi nullam, nullam humanam eruditionem cum dignitate Pontificia, in qua constitutus es, cum solio, in quo sedes, cum dogmatibus, quibus præes, cum rebus, quas administras, componi vlla ex parte posse nullatenus ambigo.

Tertio, cum a viginti fere annis, antequam summum in terris constitutum Christi tribunal scanderes, & postquam tam sublimem ascendisti Apostolicum thronum, me iugiter, ac perseueranter Sanctitati Tuæ deuictum, & dicatum (quamuis indignissimum, & humillimum seruum) sim professus, vti meæ testantur Theses in vrbe, & orbe visæ, ac more maiorum in publicis generalibus comitiis magno sub Tuo Nomine discussæ: hac vnica semel nactâ eminentissima nuncupatione, vel ad modicum priuari omnino nefas duxi, & in æternum ducam.

Denique Sanctitatis Tuæ sacratissimos pedes deuotissimè exosculandi oretenus facultate (olim ex Tua summa clementia libentissime concessa) nunc, & iampridem seuere mihi vetita, id officii hac arrepta dedicandi præfatum opusculum ansa, per hanc dedicatoriam epistolam, omni deuotione, ac pietate, genibus humillime flexis expleturus venio, illum imitatus (quisquisnam fuerit) qui a Romano antiquo Senatu, ministrorum iniuria sæpius repulsus

pulsus Lauri fasciculum in plenum Patrum consessum apte, ac opportune proiecit, cum eo alligato motto: Non possum vri, & tacere: ita ego cum vndique vrar, illud saltem non taceam, quod hic mihi liceat, & opusculi finem attingat; nempe, quod si purgatissimum Consilium Tuum Christianorum Principum animos in diuersa trahentes concinnè vnit: si summa Tua prudentia infinitas pœnè hęreticorum sectas valide comprimit; si animi Tui magnitudo Christianę fidei hostes infestius insultantes acrius prosternit, atque (vt spero) funditus euertet, vti magnifica Tua præseferunt in omni genere præludia, resonant in orbe apparatus: quanto facilius (modo velle dignetur) probitas illa Tua summa Franciscanam Matrem meam Religionem Sanctæ Apostolicæ Sedi perpetuo, & indiuisibiliter deuotam, & addictam, in diuersa nunc certe raptatam, tumultuarieque hinc inde, susque deque reuolutã, & inuersam, vel oculorum vnico nutu, amorose vniet, suauiter pacabit, amicabiliter componet, ac sancte seruabit? Nam (vt cætera omittam) quantum, quamque perniciose obsit cuicumque Reipublicæ, maxime vero Religiosæ, multiplicitas, nouitas, varietas, inconstantia legum, & statutorum, non facile dictu, sed probe nouit Sanctitas Tua: In ea vero tempora nunc incidimus (flens, & vero ardenti zelo æstuans dico) vt nullus sit Prælatus, qui non audeat multiplicare leges, nouas condere, veteres maiorum summo spiritu, ac maturitate, & prudentia

dentia summa conditas euertere , pugnantia statuere , & hoc inconsultis Ordinis , vel Prouinciarum Patribus de iure consulendis ; in eo certe , Sanctissime Pater , nunc statu versamur , vt ignoremus hodie, quid cras obseruaturi simus :¦ Veritas hæc palpabilis non potuit ingredi ad Thronum Apostolicum Tuum, pugnis enim, & calcibus ministrorum , vel curię , vel Religionis , impetita corruit in plateis , quod si semel tortorum scopulos euasa , vel quasi Laurus in igne aduersantium obstrepens, vel male mulctata peruenerit ad Sanctitatis Tuæ prudentissimas aures, cuius pectus absolutissimum , ac tutissimum legum scrinium , cuius dicta oracula, non Pithia, non Delphica, sed plane diuina, firmissime teneo, quod Sanctitas Tua statim depressis opem feret; elatis modum imponet; criminosos in ordinem rediget ; innocuos in gradu suo statuet ; efferuescentes iuuenes cohibebit ; neglectos seniores Patres promouebit ; ignaros, & ineruditos de medio tollet; doctiores , & rerum gerendarum expertos magis extollet ; & (quod caput est) hypocritas perdet , relaxatos euertet; extrema hæc vitantes , & via regia gradientes , ac solide obseruantes , confirmabit , consolidabit , ac perpetuo constabiliet , vt sic optatam restituat pacem, æuumque illud Aureum longo tempore inuisum , diutiusque desideratum denique plene referat : quod si ad id meum hoc oblatum Sanctissimæ Celsitudini Tuæ opusculum aliquid præstare nequibit , illud supplex, sanctissimisque tuis pedibus

prouo-

prouolutus etiam, atque etiam humillime deprecor, vt reputare dignetur cum antiquis, inter præclara non assecuta pulchrum esse, atque honorificum, voluisse. Cæterum imperet ipse, vt Christi summus Vicarius, quia venti, & mare obedient statim, & magna fiet vbique tranquillitas: in qua tranquillitate, ac temporali, æternaque serenitate, felicissime Sanctitatem Tuam conseruet, qui omnia potest, cuius vicem geris.

Venetiis Cal. Iulij M D C XX.

Sanctitatis Tuæ

Subditus humillimus, addictissimusq. seruus

F. Octauianus Spatharius de Incisa Ordinis Min. obser.

Die 25. Iulii 1619.

P*Erlegi ex Mandato Reuerendiss. Patris Inquisitoris Codicem, inscriptum, Aurea Methodus de modo Corrigendi Regulares. Auctore Adm. R. P. F. Octauiano Spathario de Incisa Ord. Min. Regularis Obseruantiæ: quem iure optimo typis mandari posse censeo, ad communem studiosorum, & maximè Regularium vtilitatem, vt qui nihil contineat contra Fidem Catholicam, bonos mores, aut iura Principum.*

D. Ant. Naldus Fauentinus Cler. Reg.

Iuxta suprascriptam approbationem typis conceditur, &c.

F. Ioan. Dom. Vignutius de Rauena Sac. Theolog. Mag. Generalis Inquisit. &c.

INDEX TRACTATVVM, ET CAPITVM.

De iudice competenti regularium. *Tract. I.*

De modo corrigendi paternè ex munere. *Tract. II.*

INDEX TRACTATVVM,

De correctione iudiciali ex munere.
Tract. III.

De correctione fraterna.
Tract. IV.

2. De

De denunciatione. Tract. V.

De accusatione. Tract. VI.

De Testibus. Tract. VII.

De indiciis. Tract. VIII.

De Reis. Tract. IX.

De termino, & vltimo definitiuo fine iudicialis correctionis. Tract. X. Pars I.

De Reorum defensionibus. Tract. X. Pars II.

13 De

De Reorum damnatione. Tract. X. Pars III.

De appellationibus. Tract. X. Pars IV.

Finis Indicis Tractatuum, & Capitum.

INDEX
RERVM OMNIVM
NOTABILIVM.

Nec

Defensio rei.

Et hoc

Ex

Et vbi

Inquisitio,& inquirere iudicialiter.

Potius

Depo-

Pęna talionis.

Processus.

Non

Ad-

Rei damnatio.

Rei absolutio.

Sententia.

Sindicatus,& sindicare.

Tempus.

Finis Indicis Rerum Notabilium.

AVREA METHODVS DE MODO CORRIGENDI REGVLARES,

Tam Paternè, quàm Iudicialiter.

AVTHORE R. P. F. OCTAVIANO SPATHARIO
de Incisa Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ.

PRAEFATIO.

SVMMARIVM.

1 *Finis Regularis instituti specialis Dei cultus, & proximorum salus.*

2 *Ad præfatum finem consequendum necessarii sunt Iudices ordinarii.*

3 *Prælati regulares duplici funguntur munere: Patrum, & Iudicum.*

4 *In utroque modo dupliciter procedere possunt, vel ex munere, vel ad instantiam partis.*

5 *Regulares Prælati* ***non tenentur ad*** *apices iuris, sed solum ad essentialia.*

6 *Nec essentialia prætermittenda,* ***nec*** *apices nimis rigorosè peruestigandi.*

7 *Diuisio totius operis in decem Tractatus principales.*

1 POLITICI Regiminis ecclesiastici finis præcipuus est, religiosos viros sub certis legibus, ac statutis in aliqua Religione degentes, ad cultum Dei specialiorem, & eminentiorem Dei gloriam dirigere; & secundo loco in proximorum salutem: ea sanè ratione, vt religiosi viri vita, doctrina, & exemplo cęteros in sæculo degentes in viam salutis dirigant; quæ præstari nequeunt, nisi priùs in Religione qualibet plenè constituta, & firmata pace, atq; iustitia; quæ conseruari nequit, nisi eradicatis, & funditus euulsis contentionibus, partialitatibus, discordijs, oppressionibus, & (vno verbo) omnibus iniustitijs. Hæc autem euelli non possunt, nisi per aliquos auctoritatem, & potestatem habentes.

2 Hinc necessarium fuit in qualibet Religione bene instituta Iudices, ac Rectores ordinarios constituere, qui auctoritate ordinaria, & ordinaria potestate cæteros possent in officio continere.

3 Id autem ex antiqua, receptissimaq; Sanctorum Patrum traditione dupliciter explere possunt, & solent, vel tamquam Patres, vel tamquam Iudices: primo modo visitando, & corrigendo paterne; secundo mulctando, ac puniendo more Iudicum, iudicialiterque procedendo.

4 Et

4 Et vtroq; modo, siue vt Patres, siue vt iudices corrigant, possunt duplici via procedere, idest, ex munere corrigendo, vel ad instantiam partis excitantis, & mouentis Prælatum ad paternam correctionem, seu iudicialem per denunciationem, siue per accusationem seruato in essentialibus iuris ordine. In essentialibus inquam;

5 Regulares enim, ex constitutione Bonifacij Octaui, ad apices iuris non tenētur pro maiori eorum quiete, ad plenius extirpandas discordiarum radices, ac tranquillius Deo inseruiendum, beatiusq. in hac vita viuendum, cęterisq; salutarius iuuandum: sed solum ad essentialia:

6 Quibus obseruandis, cum plerosq; regulares iudices grauiter errare viderim, in alterum delabentes extremū, videlicet vel essentialia prætermittendo contra ius, & fas; vel nimis rigorosę, ac subtiliter apices, ac rimulas iuris insequendo, in maximum Regularis obseruantiæ, ac religiosę tranquillitatis detrimentum: his occurrere decreui Dei zelo, & Religiosi candoris in qualibet Religione conseruandi amore ductus, ardentique desiderio impulsus.

7 Nam etsi maiores plenius, & accuratius hæc tradiderint, quæ suppono lectoribus visa, & nota, veruntamen cum illa euangelica vetula minuta quędam veluti supplementa, Deo (vt spero) non ingrata, & Religiosis pergrata in tantorum virorum doctrinæ Gazophilacium recondere tentabo, sequentia breuiter, ac dilucidè pertractans.

Primò de Iudice competenti; Secundò de Eius modo corrigendi Paternè ex munere; Tertiò de Modo corrigendi Iuridicè item ex munere; Quartò de Fraterna A-

ctoris correctione; Quintò de Multiplici denunciatione; Sextò de Accusatione; Septimò de Testibus, & eorum probationibus; Octauo de Indicijs, & eorum probationibus; Nono de Reorum agitationibus quibuscunque; Decimo de vltimo Definitiuo termino cuiuscunque processus, cum suis adiunctis.

DE IVDICE COMPETENTI REGVLARIVM. Tractatus Primus.

An Regulares Prælati sint ordinarij Iudices suorum subditorum. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *Diuisio Tractatus in duo.*
Regulares omnes sunt exempti, tum à foro Ecclesiastico Episcoporum, tum à foro sæculari. ibid.
2 *Prælati Regulares sunt ordinarii Regularium Iudices.*
3 *Regulares sunt exempti ab omni foro non regulari, delinquentes etiam in loco non exempto.*
4 *Nedum personæ, sed etiam loca Regularium sunt exempta à quocunque foro non Regulari.*
5 *Quo in casu Regulares foro Ecclesiastico subiiciantur, ex Concilio Tridentino.*
6 *Bonifacius octauus statuit Regulares non teneri ad apices, sed solum ad essentialia Iuris.*

1 PRimus Tractatus duo principaliter dabit: primò quisnam sit competens Iudex; secundo quomodo sit ei

ei ex munere procedendum ; quo ad primum ;

Quidquid sit de iure communi, & antiquo, certum est, quòd Regulares omnes modo sunt exempti, nedum a foro Sæculari, sed etiam ab Episcoporum, & ordinariorum iurisdictione per priuilegia ipsis competentia, vel per immediatam concessionem vnicuique Regularium ordinum factam a Summis Pontificibus, vel per communicationem priuilegiorum alijs Regularibus concessorum. Quare, cum ita sint exempti ab vtroque præfato foro, veruntamen debent habere certos iudices ordinarios.

2 Certum est consequenter, quòd tales Iudices ordinarij ordinariam iurisdictionem habentes erunt ipsimet Regulares Prælati, qui iuxta quamdam Glossam singularem in capite primo de rebus ecclesię non alienandis, habent iurisdictionem quasi Episcopalem.

3 Nec obstat, quòd Innocentius quartus ratione delicti contracti in loco non exempto subiecerit Regulares foro Episcoporum; nam Clemens quartus, qui fuit post ipsum in cap. recolentes de priuil. lib. 6. eximit Fratres Minores, ne etiam ratione delicti vbilibet contracti conueniri possint coram laicorum ordinarijs, decernens irritum, & inane quidquid secus factum, vel attentatum fuerit, vt habetur in Monumentis Ordinis in prima impress. fol. 142. concl. 142.

4 Quòd etiam confirmauit, & ampliauit Sixtus quartus, districte prohibens, nè locorum ordinarij aliquam iurisditonem, aut superioritatem in personas, & loca Fratrum prędictorum sibi vendicare prę-

ſumant : & ne quiſquam abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali commiſſione , vel authoritate contra perſonas , domos , & loca dicti Ordinis , vtpotè prorſus exempta , cenſuras aliquas , vel ſententias ſpecialiter , vel generaliter promulgare audeat , vt habetur in eodem libro in prima impreſ. fol. 60. & fol. 144. concluſ. 147. quòd etiam latè habetur in Marimagno Carmelitarum in ſecunda impreſ. fol. 101. concluſ. 384. & fol. 187. & in ſecunda impreſ. fol. 239. concluſ. 570. & in Marimagno Prędicatorum in prima impreſ. fol. 24. & in ſecunda impreſ. fol. 108. ſic habetur in Marimagno Auguſtinienſium : & idem fecit Nicolaus quartus , & Benedictus quintus reuocans conſtitutionem Innocentij quarti . Et Collector priuilegiorum Mendicantium innumera refert Summorum Pontificum priuilegia hanc doctrinam confirmantia.

5 Neque obſtat Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. cap. 7. de reformatione, vbi videtur innouare conſtitutionem Innocentij quarti ; nam loquitur apertè de regularibus , qui degunt extra clauſtra : & ſolum in cauſis ciuilibus mercedum , & miſerabilium perſonarum , in quibus coram ordinarijs , tamquam Sedis Apoſtolicę delegatis , conueniri poſſunt . Cęterum in cauſis criminalibus degentes intra , vel extra clauſtra nullatenus poſſunt conueniri , niſi quando cum populi ſcandalo deliquerint modo inferius exponendo . Hinc Clemens Papa octauus anno 1592. Pontificatus ſui anno primo, die decimaquinta Maij confirmauit Priuilegium Innocentii octaui Ordini Ciſtercienſium conceſſum , quo cauetur , ne perſonæ re-

gulares

gulares dicti Ordinis visitentur nisi a suo Generali, aut ab alijs personis Regularibus ad id ab Ordine deputatis, vt inferius patebit latius.

6 Soli itaque Prælati regulares (quicquid tamen sit de Legatis à latere) sunt ordinarij Iudices suorum religiosorum; adeo quòd Bonifacius octauus voluerit (sicut in prefatione tactum est) quòd Prælati Ordinis Minorum ad correctiones, & punitiones Fratrum eiusdem Ordinis delinquentium infligendas, ad quos spectare (inquit ipse) eadem noscuntur (rimulis, & apicibus Iuris postpositis) liberè procedere valeant secundum consuetudinem approbatam, & generalia Statuta ipsius Ordinis facta, & facienda. Ac insuper voluit non licere predictis Fratribus ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, preuia tamen in hoc matura deliberatione, ac maturitate debita seruata.

An Regulares aliqui virtute aliquorum Priuilegiorum sint exempti à iurisdictione suorum Prælatorum. *Cap. II.*

SVMMARIVM.

1 *Prælati Regulares possunt corrigere quoscunque sui Ordinis subditos, & ad ordinem reuocare, etiam quòd sint cuiuscunque Prælati, vel Principis seruitio mancipati.*

2 *Latius ostenditur idem quod supra.*

1 INnocentius quartus, & latius, & clarius Clemens quartus in prædicto libro in prima impres. fol. 29. & in secunda fol. 113. conclus. 42. & 45. Et iterum in prima impres. fol. 57. & in secunda fol. 141. conclu. 114. statuit, quòd Generales, & Prouinciales Ministri, & eorum Vicarij, omnes, & singulos Fratres Minores, de quibus etiam authoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius Archiepiscopis, vel Episcopis, & alijs quibuscunque prouisum fuerit, corrigere possint, ac etiam, non obstante contradictione aliqua, eos ad ordinem suum reuocare.

2 Et quod neque per litteras eiusdem Sedis, ac Legatorum ipsius aliquos de fratribus prædictis teneantur Prælati Ordinis Archiepiscopis, & Episcopis, aut alijs personis in socios deputare, nisi dictæ litteræ de indulto huiusmodi, & ordinatione expressam face-

facerent mentionem, ac aliàs id honestati Ordinis, ac saluti illorum viderint expedire.

2 Idem habetur in Marimagno Carmelitarum in secunda impres. fol. 85. conclus. 467. & in Marimagno Prædicatorum in secunda impres. fol. 237. conclus. 552. Clarissima igitur, atque amplissima est potestas, & iurisdictio ordinaria Prælatorum regularium in sibi subditos; ita vt Nicolaus quintus, vt in eodem libro in prima impres. fol. 155. & in secunda fol. 202. conclus. 499. concessit Ministro Generali pro tempore existenti, quòd omnes, & singulos fratres, siue in monasterijs Monialium, siue in alijs domibus, Conuentibus, Eremitorijs, & locis dicti Ordinis commorantes, etiam ab obedientia, visitatione, & correctione dicti Ministri per specialia Sedis indulta, se exemptos esse præter Regulæ, & Statutorum dicti Ordinis formam pretendentes, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, exemptionibus, indultis, & litteris Apostolicis eis, & eorum Monasterijs, siue domibus, siue Conuentibus, & locis præfatis, & Eremitorijs per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessis, de quibus in his litteris habenda esset specialis mentio, iuxta constitutiones, & regularia instituta antiqua dicti ordinis corrigere, visitare, punire, & emendare, ac in criminibus maioribus, siue grauioribus, si res ipsa exegerit (cum moderatione tamen) torturæ subijcere possit, & valeat. Ita in Monum. ord. in secunda impres. fol. 47. conclus. 250. & Innocentius octauus, vt habetur in eodem libro in prima impres. fol. 76. conclus. 164. concesit Vicario Generali Ordinis

Præ-

Prædicatorum de Obseruantia Prouinciæ Hispaniæ, quòd correctio suorum fratrum pertineat ad præsidentes eiusdem congregationis, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, indultis, & litteris Apostolicis, Scholasticis, ac Vniuersitati Salmantinę, ac quibuscunque Vniuersitatibus per Sedem Apostolicam concessis, &c. Circa quam concessionem aduertit Collector compendii mendicantium titul. correctio fratrum §. 14. quod seruit etiam pro prælatis Ordinis Minorum virtute comunicationis priuilegiorum. Et vlterius aduertit Corduba super compendium loco citato, quod Pius secundus declarat, & concedit, quòd Minister Generalis habet liberam authoritatem, & iurisdictionem super fratres existentes in quibuscunque Vniuersitatibus, non obstantibus priuilegiis authoritate Apostolica concessis cum grauibus censuris in contrafacientes, aut resistentes quomodolibet. Amplissima igitur est, & latiisima Prælatorum Regularium Iurisdictio.

Quinam sint Regularium Prælati, & Iudices competentes. Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Judices Regularium sunt duplices: Ordinarii, & Delegati.*

2 *Et illi, vel ex electione, vel ex institutione.*

3 Qui

3 *Qui, & quot sint.*
4 *Ordinarii ex institutione.*
5 *Iudices delegati duplices, vel ad singularem causam, & subdelegare nequeunt.*
6 *Vel ad vniuersitatem causarum, & subdelegare possunt.*

1 PRælati porrò, atque Iudices competentes in omni approbata Religione sunt in duplici differentia, Ordinarij, & Delegati.

2 Ordinarij iterum dupliciter instituuntur secundum Innocentium, & Hostiensem extra de officio iud. Ordi. c. cum ab ecclef. & D. Antoninum 3. p. c. 9. c. 5. §. 1. & Siluest. verb. iudex. vel enim sunt ab vniuersitate electi, & a superiore habentem authoritatem confirmati; vel præfatorum vicem æquiualenti authoritate omnimoda tenentes, ex institutione maiorum superiorum, respectiuè ad id facultatem habentes.

3 Et ordinarie in omnì approbata Religione sunt Prælati Generales, & Prouinciales, & locales etiam, quocunque appellentur nomine: apud nos verò Minores obseruantes sunt Reuerendissimi Patres, Generalis, & Commissarius Generalis, iuxta Bullam vnionis in sua familia respectiue electus; deinde Prouinciales Ministri, & vltimo loco Guardiani, qui sunt locales Prælati, seu Presidentes locorum.

4 Et vlterius Iudices ordinarij quoq; sunt omnes illi, qui præfatorum locum tenent, quando illi, quorum vices gerunt, ex officio quomodocunq; ceciderint: nam succedentes eo casu non propriè delegati possunt dici,

sed

ſed inſtituti ordinariorum loco; vt quando per conſtitutiones generales in loco decedentium in officio ſuccedunt, vel quando a Superiori Prælato inſtituuntur, ſicut Vicarij Prouinciarum per Prælatos Generales, aut Protectorẽ, aut Papam priuatis iam Prouincialibus Miniſtris, & ſimiliter Vicarij Generales, & Præſides locorum, ita inſtituti à ſuis ſuperioribus, reſpectiuè, & ſic de ſimilibus.

5 Iudices verò delegati ſunt illi, quibus à Iudice ordinario quocunq; cauſa cognoſcenda, & decidenda committitur, vt extra de offic. & poteſta. iud. deleg. & tales ſunt omnes inſtituti à prædictis Prælatis ordinarijs: & hi etiã ſunt in duplici differentia: nam, vel ſunt ad vnicum conuentum, vel ad vnicam cauſam delegati, & ſic non poſſunt alios delegare, niſi id ſpeciali, & expreſſa in ſcriptis authoritate ſit illis conceſſum.

6 Vel ſecundo loco ſunt delegati ad Vniuerſitatem cauſarum: vt ſunt Commiſſarij Prouinciales vnius, vel plurium Prouinciarum, vel plurium etiam locorum eiuſdem Prouinciæ, & ſimiles, & hi abſque dubio poterunt alios ſubdelegare non quidem ad eamdem vniuerſitatem cauſarum ſibi commiſſam, ſed ſolum ad aliquam ſpecialem, & particularem cauſam; nec id paſſim fieri debet, ſed ſolum rationabili, & vrgenti de cauſa.

An

An Episcopus aliquo in casu sit competens Regularium Iudex. Cap. IV.

SVMMARIVM.

1 *Regulares ordinarie sunt excepti ab Episcoporum iurisdictione.*

2 *Quando, & quomodo Episcopi possint contra Regulares procedere.*

3 *Prælati Regulares quomodo instante Episcopo subditos punire debeant.*

4 *Quo in casu Episcopi ipsi Regulares immediatè per se ipsos punire possunt tamquam sedis Apostolicæ Legati.*

5 *Prælati Regulares suo funguntur munere puniendo.*

1 Receptissimum est in toto orbe a tempore Diui Gregorij Papæ primi regulares omnes exemptos esse ab Episcoporum iurisdictione, vt superiori capite ostensum est: vndè iam Episcopi non possunt procedere in causis criminalibus cõtra delinquentes Regulares.

2 Verum est tamen, vt notat Nauar. c. non dicatis nu. 96. quod Episcopus modo potest procedere contra notoriè delinquentes cum populi scandalo, iuxta terminos decreti Concilij Trid. sess. 25. de Regul. c. 12. quod exequi debet secundum constitutionem Clementis Octaui, quæ incipit, *Suscepti muneris ratio*, &c. Datam Romæ apud D. Petrum anno 1595. septimo Kal. Martij, Pontificatus sui anno quinto, & non aliter, nec alio modo procedere potest, quàm in præfata explicatur Constitutione.

3 Qua

3 Qua cauetur, vt ſinguli Regularium Superiores ſub pęna priuationis officiorum eo ipſo incurrenda, iuxtà prædictum decretum, regularem non ſubditum Epiſcopo intrà clauſtra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, vt populo ſcàndalo ſit, Epiſcopo inſtante, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſeuere puniant, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciant. Si verò Regularium Superior quicunque in Regularem delinquentem non animaduerterit: quinimmo, ſi illum impunitũ ad alia ſuorum ordinum loca extra Epiſcopi diœceſim de induſtria, nè puniatur, tranſmiſerit, decernit Summus Pontifex, vt Superior inſtante Epiſcopo intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, & ſub eadem pęna priuationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, & vlteriùs priuationis actiuæ, & paſſiuæ vocis, ad quæ à nemine, præterquàm à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, reſtitui poſſit, ipſum Regularem delinquentem à loco, ad quem tranſmiſſus fuit, reuocare, & in quo deliquit, reſtituere, ſeu ſiſtere teneatur.

4 Quod ſi hoc etiam facere prætermiſerit, ſtatuit Summus Pontifex, vt ordinarius loci, ad quem regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo ordinario loci, in quo deliquit, ſimiliter requiſitus, vel aliàs de illo delicto informatus, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, in Regularem delinquentem ſeuerè animaduertere poſſit, & debeat. Hæc Papa Clemens Octauus. Ex quibus conſtat, quod Epiſcopi nullam prorſus iuriſdictionem habeat in cauſis criminalibus Regularium, niſi in delictis notoriè patratis, & cũ populi ſcandalo, & ea limitatione, vt prius Prælatum Re-

gularem

gularem requirant, & instent de punitione, & cæteris limitationibus, vt suprà expressis; quibus obseruatis poterunt Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, in huiusmodi delinquentes (Prælatis, vt supra, debitè monitis negligentibus) animaduertere.

5 Caueant itaque Regulares Prælati, ne suam dent Religionem in dedecus, & ignominiam, quasi in ea nullum sit ius, nullum fas, iustitia nulla, & hinc iustissimam dent causam, & Episcopis, & populis detrahendi Religionis regimini, decori, & iustitiæ: sed statim requisiti ab Episcopis suos puniant subditos, vt suprà delinquentes; & ea obseruent, quæ seruanda præcepit felicis recordationis Papa Clemens Octauus, maxima pietate, ac zelo in Religionem, vt constat.

An Sæcularis quacunque fulgeat dignitate sit Iudex competens Regularium. Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Nullus Sæcularis, etiam Rex, vel Monarca, est competens Iudex Regularium.*
2 *Eodem Priuilegio gaudent Commendatarii D. Iacobi, & professi ordinis militaris D. Ioannis Baptistæ.*
3 *Et similiter ordo militaris D. Iacobi de la spada, & per coniunctionem omnes Religiones militares.*

1 CVm hic de correctione fratrum agatur, & de solis criminalibus causis, neminem adhuc reperire potui classicum Doctorem, qui non afferat religiosos viros immunes prorsus esse, ne dum iure humano ciuili, vel canonico,

nonico, sed iure etiam diuino, in præfatis causis a cuiuscunque Sęcularis iudicis authoritate, vel potestate, nec vllus competens potest esse Iudex quacunque dignitate Sęculari fulgeat, etiam regia, in causis criminalibus personarum religiosarum cuiuslibet approbatę Religionis.

2 Quod Priuilegium comprehendit etiam Commendatarios D. Iacobi, vt concludit Nauarrus, & professos ordinis militaris D. Ioannis Baptistę, cum ipsi tria uota essentialia emittant, vt resoluit Decisio Pedemontana, & decernit Pius quartus in Bulla, quę incipit, *Circumscepta Romani Pontificis*, &c. Data Romę apud D. Petrum sub anno 1560. Kal. Iulij, Pontificatus sui anno primo; In qua plenè conceditur decisio causarum Prelatis eiusdem ordinis, tam in ciuilibus, quam in criminalibus cum prohibitione appellationis ad alios, quã dicti ordinis Iudices.

3 Quod idem decernit Gregorius Papa quò ad ordinem militarem D. Iacobi de la spada, quare idem sine dubio est asserendum quo ad alias religiones militares; vt patet ex libris Stabilimentorum, quę ad causarum conseruationem, & protestationem authoritate Apostolica sunt instituta, pręsertim cum omnes Religiones militares in priuilegijs communicent: nullus itaq; Sęcularis Iudex poterit legitimè se intromittere in causis criminalibus cuiuscunque alicuius Religiosi viri, etiam Religionis militaris, & quidquid secus attentatum fuerit, irritum erit, & inane, & non sine grauissima lethali culpa.

An

An Sæcularis Iudex cognoscere possit de crimine commisso a Religioso ante ingressum Religionis. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Quales criminosi in sæculo sint ad Religionem inhabiles & quorum receptio nulla.*

2 *Si habitus susceptio fuerit sine fraude, valida erit, & similiter professio.*

3 *Secus si cum fraude; nam tales Iudici Sæculari reddendi.*

4 *Vel Ecclesiastico si sacris initiati fuerint.*

5 *Quando susceptio habitus, & professio fuerit in fraudem.*

6 *Quales criminosi non suscipiant habitum in fraudem.*

1 SIxtus quintus in constitutione, quæ incipit, Cum de omnibus Ecclesiasticis ordinibus, &c. Data Romæ apud D. Petrum anno 1580. sexto Kal. Decembris Pontificatus sui anno 3. decernit inter alia, nè criminosi, & alij, qui in sæculo aliqua commiserunt delicta, ad Religionem admitterentur: & si quis admitteretur, tàm susceptio habitus, quam professio nulla esset, quin sic receptus habitu spoliaretur, & a Religione expelleretur: & si expulsus non fuerit, veruntamen attenta nullitate habitus, & professionis licere quibuscunque iudicibus, & curijs, etiam Sæcularibus, ad quos, seu quas spectat, contra talem iuris, & facti remedijs opportunis ex officio, vel ad cuiuscunque instantiam, vel querelam ciuiliter, vel criminaliter, vel mixtim procedere.

B 2 Quæ

2 Quæ constitutio sic seruari debet, vt notat Rodericus qq. reg. tom. 2.q.2.artic.5. quod si Religiosus post delictum commissum in sæculo absque vlla fraude susceperit habitum Religionis, & professionem emiserit, liberatur omnino a iurisdictione sæculari.

3 Si vero post delictum a se commissum habitum suscepit in fraudem, vt se eximeret à iurisdictione sæculari, & sic professionem emiserit; nullatenus liberatur ab ea; sed potest per Iudicem sæcularem contra eum procedi ad punitionem ipsius delicti, cum susceptio habitus, vel professio nulla sit.

4 Si vero vltra professionem emissam sacris ordinibus initiatus fuerit, siue dolose, siue non dolose, non poterit de huiusmodi delicto cognoscere sæcularis Iudex, sed solum Ecclesiasticus; nam licet Sixtus V. talium professionem irritauerit; eos tamen non subiecit Sæcularibus Iudicibus; sed illis tantum, ad quos spectat, vt supra notatum est: modo sacris initiati, etsi eorum professio nulla sit in Religione, verumtamen iuxta communem propter susceptos ordines ad forum spectant Ecclesiasticum.

5 Ceterum quomodo susceptio habitus, ac professio in Religione in fraudem fieri contingat ita, vt nulla sit, & irrita, declarat idem Sixtus V. in alia constitutione, quę incipit ad Romanum spectat Pontificem, &c. Data Romæ in Monte Quirinali Anno 1588. 12. Kal. Nouembris, Pontificatus sui anno quarto. Vbi dicit, id habere locum, & non aliter cum actis publicis constiterit ipsos Iudices, & curiam Sæcularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, & inquisitionem instituisse. Itaque in fraudem

rece-

recepti præsumuntur illi tantum, quorum crimen commissum in sæculo erat iam ante susceptionem habitus in sæculari iudicio cognitum, vel per viam accusationis, vel per viam inquisitionis.

6 Ceteri vero, quantumcumque criminosi fuerint in sæculo, dummodo contra eos nulla fuerit facta inquisitio ante susceptionem habitus, si in Religione professionem emiserint, nullatenus conueniri possunt coram Iudice Sæculari, cum eorũ professio valida sit, & legitima.

An Sæcularis quocunque in casu sit Iudex competens Nouitij Regularis. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Nouitiorum Religionis Iudex competens est Regularis Prælatus.*

2 *Nouitius delinquens à Religione discedere potest.*

3 *Quin iuxta exigentiam criminis expellendus.*

1 EManuel Rodericus q. cit. art. 10. dicit, quod cognitio, & punitio talis delicti pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum argumento Canonis c. Religio. §. 1. de Sent. Excommunic. in 6. qui diffinit, Nouitium Religionis approbatæ gaudere priuilegio Canonis, si quis suadẽte 17. q. 4. & censeri personam Ecclesiasticam, & gaudere priuilegio pſonæ Ecclesiasticæ argumẽto alterius Canonis, duo sunt genera. 12. quæst. 1. & ita determinare asserit Ioannem Andream, Dominicum, & Franciscum in Canon. Benef. de regul. iur. in 6. & omnes in d. c. Religio. Quam etiam opinionem amplecti, dicit, & recipi a communi, & rationabiliter: nam No-

uitius post habitum susceptum subiacet Prælatis quo ad iurisdictionem,& superioritatem, adeo quod pro tempore, quo est Nouitius, pertinet ad Prælatorum iurisdictionem, sicut professus, professi autem cognitio pertinet præcise ad suum Prælatum regularem, vt supra latiùs patuit; igitur similiter & Nouitij.

2 Hoc tamen discrimine, quòd Nouitius potest dimittere habitum,& sic a Regularium iurisdictione se subtrahere alibi a competenti iudice puniendus.

3 Et ego existimarem optimum esse huiusmodi Nouitios delinquentes grauiter, (ita vt ex qualitate criminum indigni reputentur habitu religionis) prorsus expellendos, ac dimittendos aliorum iudicio, præterquam in casibus, ex quibus rationabiliter scandalum in Sæculo, vel detrimentum in Religione oriri posset. Et ego sic seruaui aliquando cum essem Prouincialis, maxima cum laude, & Religionis quiete.

An Regularis vna cum Sæculari delinquens conueniri possit coram Iudice Sæculari. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Regularis, qualescunque socios habuerit, nullatenus tamen ad Iudicem Sæcularem spectat.*

2 *Etiamsi deliquerint habitu quocunque dimisso.*

3 *Secus de expulsis totaliter a Religione.*

1 IDem Rodericus q. præcit. ar. 4. adducens Conarruuiã, Perez, Padillam, Iulium Clarum, et alios, dicit esse in cõmuni obseruãtia, & ab ea in practica minime recedẽdũ, quòd Sæcularis debet conueniri corã Iudice Sæculari, et Regularis coram Iudice regulari. Nam sæcularis

ris nullatenus pertinet ad forum regulare, nec Regularis ad forum Sęculare, cum toto cęlo sint fora distinctissima; & in simili dicit Auiles adductus à Roderico vbi supra, quòd in Ciuitate Placentiæ inuenit quamdam prouisionem Senatorum Regalium, vbi cauebatur, quòd Episcopus illius Ciuitatis, seu eius Vicarius, vel prouisor non cognosceret contra concubinas Clericorum super concubinatu: sed tantum iustitia Sæcularis illius Ciuitatis. Cum itaque causa socij criminis re vera sit diuisibilis à causa alterius complicis, & vlterius præfata opinio (vt ex ea constat) habeat, quòd magis dignum non possit attrahere ad se minus dignum in contentione iurisdictionis: multò magis id locum habebit in casu nostro, in quo regularis pertinet ad forum magis dignum, quam Sæcularis. Et præterea Iudex Regularium suam iurisdictionem habet a concessione priuilegiorum: quæ priuilegia intra suos limites contineri debent; neque per aliquem inferiorem à Papa, qui ea concessit, alterari possunt. Nullatenus itaque Regularis conueniri poterit coram Iudice Sæculari, quantumcunque deliquerit simul cum Sęcularibus: sed solum coram suo Iudice competente Regulari, etiamsi fuerit Conuersus, vel Clericus nullo Ordine insignitus.

2 Etiam, si dimisso habitu se immiscuerit enormibus criminibus cum Sęcularibus, etiamsi expulsus fuerit a Religione, vel quomodocunque apostatauerit ab illa.

3 Verum est tamen, quòd si aliqui à Religione expellantur, & habitu regulari priuentur, eo quod eorum professio minimè valida fuerit, poterit Sæcularis Iudex de illorum causis tã criminalibus, quam ciuilibus quãmixti fori

B 3 (nisi

(nisi iam essent sacris initiati, quia tunc ad Iudicem pertinent ecclesiasticum vt supra definitum fuit) si quidem hoc probato, & definito, non sunt personæ ecclesiasticæ, sed sæculares. Quare Iudices Regulares, cum tales expellunt à Religione, in sententia expulsiua declarent eorum professionem, vel susceptionem habitus irritam, & nullam; & an sacris initiati sint, necne.

DE CORRECTIONE PATERNA EX MVNERE.

Tractatus Secundus.

P R AE A M B V L V M.

S V M M A R I V M.

1 *Diuisiones, & subdiuisiones bimembres.*

PRimum essentiale diximus in correctione, vel iudicio Regularium esse Iudicem competentem, cui annexum esse modum præscriptum procedendi nullus est ambigendi locus: non enim pro libito, & arbitrariè procedere possunt Regulares Iudices; sed certis, ac iustis præscriptis legibus, citra quas iniustum,
1 & nefas certò committerent: duplici autem via procedere possunt (quemadmodum in præfatione prætactum est) vel ex munere, vel ad instantiam partis: & in vtraque via, vel Paternè, vel Iudicialiter. Cùm autem secunda via comprehendat actorem; Prima verò amplectatur Iudicis munus ex se, hic pertractabitur Primùm Paterne in hoc secundo Tractatu, deindè Iudicialiter in tertio.

An

An spectet ad Prælatos Regulares corrigere Paternè ex munere. *Cap. I.*

SVMMARIVM.

1 *Prælati Patrum munus pro viribus exercere debent, priusquam ad iudicium deueniant.*

1 PRimo, summoque loco Pręlati Regulares Patrum sibi nomen omninò, & rem assumere debent; charitateque paterna vndique muniri, & affluere, & munus Patrum pro viribus exercere, antequam ad iudicium procedant, ad quod non nisi quasi coacti, & vi quadam impulsi procedere debent. Hinc enim in toto terrarum orbe, & ab originariis, & nascentibus Religionibus Patrum perpulchrum nomen sibi Regulares omnes adsciuere, ab omnibusque, more maiorum recepto, Patres appellantur. Quod nomen primo loco Prælatis competit: cęteri namque inferioris notæ potius, & proprius fratres appellantur, nempè eiusdem Patris, & Pręlati filij. Prælatis itaque propositum erit verorum Patrum nomen, & munus arripere, vt quoad fieri possit nil de supplicijs cogitent; sed suos subditos, veluti filios, ament, eorum vitia priùs charitatiuè corrigendo, eorumque piè vulneribus medendo, & eorum crimina radicitus quidem, sed suauiter euellendo. Hinc Diuus P. Benedictus in tertio suæ Regulæ capite ait; quod meminisse debent, quo nomine sint insigniti, Patrum, uidelicet, atque ideò curent de re ipsa egregie præstare, & D. Ambrosius in suo Pastorali Pręlatos, vt Pasto-

res alloquens, & Patres; ait. Actio congruat nomini, nomenque actioni, nè sit nomen inane, & crimen immane, honor sublimis, & vita decliuis. Itaque valde essentiale arbitror in Religionibus (quarum finis, principium, & medium est amoris glutinum, & charitatis vinculum) vt in omni causa criminali Paternè, charitatiueque procedant Prælati Regulares cum suis subditis, quoad fieri poterit, priusquam ad iudicium perueniant, grauiterque illos peccare, si secus faciant, exceptis casibus atrocibus & notorijs, & omnibus alijs, quos charitas ipsa docebit non sine iudicio pertractari posse, nè iustitia detrimentum patiatur, cum scandalo, & obseruantiæ Regularis euersione.

Ad quos Ordinis Prælatos pertineat Paternè visitare, atque corrigere Regulares. Cap. II.

SVMMARIVM.

1 *In vnaquaque Religione necessarius visitator.*
2 *Primus visitator est Generalis Minister, & supremus in quauis Religione.*
3 *Ordinarii visitatores sunt Prouinciales Ministri.*
4 *Tenentur itaque visitare Iure diuino, & communi quotannis, & corrigere subditos.*
5 *Ad idem tenentur Iudices Delegati.*
6 *Prælati quicunque locales Paternè tantum corrigere debent.*
7 *Series, & ordo Prælatorum subordinatorum.*
8 *Duplici de causa datur potestas in non subditos.*

1 Ex

1 EX determinatis in prima parte huius Tractatus clarè patet, quòd illimet, qui sunt Iudices competentes, tam ordinarii, quam Delegati, ijdem erunt visitatores, & correctores, ad quos pertineat corrigere, ac visitare: oportet enim in vnaquaque benè instituta Religione frequentem ex eodem Ordine visitatorem adesse, qui subditorum relaxationes, inobseruantias, transgressionesque prӕscrutetur, et corrigat illa omnia tam in capite, quam in membris; quӕ corrigenda viderit iuxta decreta Concil. Trid. & cuiuslibet Religionis.

2 Primus itaque (vt in primo cap. de Iudice competenti dictum est) ac summus Visitator, & Pater est Generalis Minister cuiuscunque Religionis, qui per se quoad fieri poterit, vel per alium, vbi non poterit, vniuersam Religionem suam visitare tenetur.

3 Post quem ordinarij visitatores, & Iudices ordinarij sunt Prouinciales Ministri in sua quisque Prouincia de Iure communi, & in Ordine Sancti Francisci, Iure speciali; nam in Regula patris nostri Francisci Generalibus non prӕcipitur visitatio: sed tantum Prouincialibus Ministris, prout explicat Bonauentura, & tradit Corduba super regula c. 10. q. 1.

4 Iure igitur communi, & Diuino tenentur Generales, ac prouinciales omnes cuiuscunque Religionis suos Fratres visitare, & corrigere, vt probant Doctores ex illo Lucӕ c. 12. Et tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos: quӕ verba (vt notat Rodericus Tom. 2. quӕst. 4. artic. 4.) ad omnes Prӕlatos referuntur, qui curam habent animarum, quòd ipsum iure humano prӕcipitur omnibus Religionum exemptarum Prӕlatis

Prælatis ex Concil. Trident. sess. 25. de Regular. c. 10. & 20. vt visitent videlicet omnia monasteria sibi subdita; ex quo Generales totum Ordinem, Prouinciales verò totam Prouinciam quotannis, ac monasteria sibi subdita visitare, delinquentesque ibi repertos corrigere tenentur.

5 Idemque munus præstare debent Iudices Delegati, & Commissarij secundum facultatem, & iurisdictionem sibi delegatam: vel vniuersam Prouinciam, vel vnicum Conuentum, vel plures, prout in eorum commissionibus, & Delegationibus continebitur.

6 Denique Prælati locales, quocunque nomine appellentur, siue Abbates, siue Priores, siue Propositi, siue Commissarij, in nostra quidem Religione sunt Guardiani, Præsides, & eorum Vicarij, qui omnes corrigere possunt Fratrum sibi subditorum crimina tam grauia, quam leuia paternè tantum; quomodo autem Iudicialiter, dicetur inferius suo loco. Prælati itaque locales quicunque sunt ordinariissimi Iudices, qui Fratrum, & subditorum quotidianos defectus corrigere debent, singulosque sibi subditos in officio continere; modò priuatim, & secreto admonendo: modò adhibendo duos vel tres grauissimos patres; modò publicè leuiusculis pænitentijs mortificando, seruatis seruandis, vt sequenti capite præscribetur.

7 Gradatim verò se habent præfati omnes; ita, vt infimum teneant locum Prælati locales; super istos sunt Prouinciales Prælati, super Prouincialibus Generales, super hos Protectores, super Protectores Papa: & respectiuè horum Delegati; qui omnes in sibi subditos ordinariam exercent iurisdictionem, vel Delegatam.

8 Et

8 Et in sibi non subditos, etiam duplici de causa, vel ratione compromissi: vt, quando quis Prælato, cuius non est subditus, voluntariè se subijcit, quod inter nos vix locum habet, vel ratione loci commissi delicti: nam secundum Clarum q. 38. in principio, & secundum communem vnusquique Prælatus potest corrigere delinquentem in suo loco, vt Prouinciales in sua Prouincia, & Prælatus localis in suo Conuentu ratione commissi ibi delicti, licet aliàs delinquens non esset eius subditus, & hoc nullam habet difficultatem de correctione fraterna loquendo; de iudiciali autem dicetur inferius.

De modo visitandi, & corrigendi Paternè. Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Prouincialibus nostris competit ex Regula munus Paternè visitandi.*
2 *Modus specialis visitandi Fratres, & loca in visitatione Prouincialium Ministrorum.*
3 *Qua forma interrogandi singuli Fratres, & de quibus.*
4 *Grauiter monendi qui visitantur.*
5 *A iuramento exigendo prorsus abstinendum.*
6 *Super generalibus fieri debent interrogationes.*
7 *Prælati locales Paternè visitent, & inuigilent.*

1 CONstat ex dictis superius, quod primum, præcipuumq; Prælati munus est paternè procedere omni prorsus, quoad fieri potest, iudicij forma reiecta, quod speciali

ſpeciali Iure diuinus ille vir Pater noſter, Sanctus Franciſcus vigilantiſſime admonuit, vndecimo regulæ capit. illis verbis: Fratres, qui ſunt Miniſtri, & ſerui aliorum Fratrum, viſitent, & moneant Fratres ſuos, & humiliter, & charitatiue corrigant eos. Ex quibus charitatiuis uerbis clare conſtat, ultra ius commune Euangelicum Prælatos Prouinciales Ordinis noſtri ex Regula teneri ad paternam, & charitatiuam uiſitationem, & correctionem.

2 Quam tali forma obeundam more maiorum docet antiquiſſima regularis traditio, regulariſque diſciplinæ inſtitutio, ut Generales pro eorum pietate, ac temporis opportunitate, pro negotiorum magnitudine, & grauitate; Prouinciales vero Fratribus in communitate congregatis uerbum Dei proponant, illoſque grauisſime adhortentur, & inde ſanctiſſimum Sacramentum, & Eccleſiam viſitent, Sanctas Reliquias, & oleum Sanctum, necnon infirmariam, & infirmos omnes.

3 Quibus peractis ad ſuam reſidentiam ſingulos reuocent Fratres, priuate, ac ſecreto eos interrogando, primum de diuino cultu, deinde quomodo ſeruentur leges Eccleſiaſticę, præcipuè Concil. Trid. quæ obſeruanda ſummopere, & veneranda idemmet Concilium præcipit, inſtanterque commendat Pius quartus in Bulla confirmationis eiuſdem Concilij, & ſtatim debent Prælati deſcendere ad præcepta Regulę, & generalium Statutorum; ac diligenter inquirere, ſi hæc ſeruentur, quibus Fratres voto ſpeciali ſunt obſtricti: & denique perquirere de vita, & conuerſatione Fratrum interrogando de his, quæ ſolent in uiſitationibus generalibus perquiri.

Et

4 Et aduertant, quòd non solum interrogationes debent fieri de plano, vt aduertit Rodericus eadem quæst. 4. art. 5. & Hostiensis ibidem adductus: sed ita grauiter moneri debent Fratres, vt quilibet dicat quidquid scit, vel credit, vel fama est patrari ab aliquo, vel contra diuina pręcepta, vel contra Regulam, & bonos mores, vt supra dictum est.

5 Qua in visitatione Paterna prorsus abstinendum a iuramento exigendo a subditis, sed solum grauiter sunt monendi, & (vbi opus fuerit) præcepto adstringendi, vt veritatem plane aperiant, & conscientiam exonerent super omnes, quas sciuerint quomodocunque transgressiones, quo Prælati possint iuxta Regulę præscriptum Paternè suos Fratres monere, humiliterque, & charitatiuè illos corrigere.

6 Quæ Paterna visitatio, & monitio generalissima semper debet esse, atque præcedere omnem iudicij formam, & strepitum, vt supra expositum est.

7 Pręlati verò locales iuxta vniuscuiusque Religionis institutum quotidie inuigilare debent, Fratrumque corrigere quotidianos defectus charitatiuè, cellasque, vel officinas visitare, quando opus fuerit, & cetera sui muneris explere Paterne.

Quo-

Quomodo Prælati terminare debent paternam Visitationem, & corrigere subditos. Cap. IV.

SVMMARIVM.

1 *Prælati non leuiter, & crebro subditos remoueant de assignatis locis.*
2 *Prius charitatiue, ac secreto corrigant.*
3 *Prælati etiam locales coerceant subditos ab egressu Conuentus.*
4 *Abstineant etiam Prælati a sermonibus publicis.*
5 *Nec non a præceptis similibus.*
6 *Populi hinc ansam accipiunt infamandi familias, & Religionem.*
7 *Prælati prima uice Paternè corrigant, & secreto.*
8 *Adhibitis aliquando grauissimis testibus.*
9 *Singulorum visitatio propria visitatorum manu obsignanda.*
10 *Ut indè uia præcluditur malignis.*
11 *Et corrigendi corrigantur.*
12 *Et rationem reddere possunt Prælati sui muneris.*

1 CAuere debent primò Prælati prouinciales, nè leuiter & crebrò post peractam visitationem Paternam statim Fratres transmittant de vno loco in alium in transmissorum infamiam, & Monasterij, nec non totius Religionis: nam ex tali subita, & non opportuna Fratrum transmissione, ac mutatione sępe sæpius maxima oritur infamia in populo contra Fratres cum scandalo, commotione, ac murmuratione ipsius populi: & ea multoties

multoties, quę tantum leuiter suspicabantur, pro veris deindè ex tali subita mutatione habentur, & prædicantur. Deum itaque in his, & proximi, necnon Religionis famam præ oculis habeant Prælati, nec sint indiscreti, nec præcipitati, nec furore, vel iracundia perciti, ne iram Dei incurrant.

2 Sed prius charitatiue, ac secreto moneant subditos de quibus orta fuerit aliqua suspicio, vt vel si ea purgetur, & emendetur, & illęsa conseruetur fama.

3 Necnon Prælati locales prudenter, & seruata proximi fama tales coerceant subditos a frequentiori egressu a Conuentu, & a vagationibus per Ciuitates, & loca, & ab ingressu in illas domos, vel conuersatione illarum mulierum, de quibus probabilis orta fuerit suspicio.

4 Imprudenter itaque, & non sine graui culpa agunt Prælati, qui contra aliquem leuiter suspectum statim procedunt, vel illum infamando sermonibus publicis in communitate Fratrum contra eum tonant, & fulminant.

5 Vel isti præcipiendo in virtute Spiritus Sancti, vel sub excommunicationis pæna, nè talem, vel talem domum ingrediatur: vel nè cum talibus conuersetur mulieribus, præsertim quando sunt nobiles, & honestę: nam ex his populi maleuoli nutriũtur detractiones, & Matronæ infamantur nobiles, & in Religionem deuotæ, ac benemeritæ, quæ in suę deuotionis, et meriti recompensam a Pręlatis indiscrete, ac turpiter, & ingrate indelebili notantur infamia.

6 Nàm populi maleuoli ex his acuunt linguas suas, sicut serpentes: & sepulcrum patens est guttur eorum in infa-

Infamiam tàm ipsarum nobilium feminarum, quam ipsius Religionis, & virorum in ea sanctæ, honestæ, ac spectatæ vitę: quę ego sepius euenire experientia didici in magnis Ciuitatibus ex indiscretione, imprudentia, & furore Prelatorum, quæ prudenter caueant, & D. O. M. per suam pijssimam misericordiam auertat.

7 Itaque Paternum visitationis munus sic explendum, vt Prælati priuate, & secreto saltem prima vice, & (quod est) charitatiuè corrigant delinquentes.

8 Vel etiam (si expedire videbitur) statim prima vice adhibitis grauissimis, & secretissimis assistentibus delinquentes paternè corrigant, saluberrimisque præmuniant monitis, vt indè, nisi resipuerint, ad iudicium, & pęnas procedi possit sine ipsorum Prælatorum culpa, & absque subditorum grauamine: quę omnia sola supereminens docere poterit charitas.

9 Animaduertant autem Prælati, vt hæc omnia in scriptis fiant, singulorumque dicta non nisi propria manu firmata recipiant, etiamsi nihil se scire dixerint visitatione dignum,

10 Vt illa peracta maleuolis, ac malignis aditus prȩcludatur omnis altercandi, & malignandi ex aliqua passione, vel odio post visitationem indigne iniusteque conceptum.

11 Et prȩterea, vt si aliquid, vel correctione Paterna, vel iudiciali dignum subditi exposuerint, opportunè prouidere possint Prælati.

12 Et inde omnibus rationem reddere tàm in syndicatu, quam in quacunque se offerente occasione de recte administrato munere secundum peractæ uisitationis exigentiam.

De

De nonnullis monitis pro paternæ correctionis termino. Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Nulla chartulæ, vel schedulæ infamatoriæ clanculo recipiendæ.*

2 *Prælati non sint leues in credendo, sed prudentes.*

3 *Nullus peccatum proprium tenetur manifestare.*

4 *Visitationis paternæ terminus pro diuersitate delinquentium.*

5 *Visitatio paterna ad mortificationes quasdam leues sese extendit.*

6 *Ad quas Prælatorum localium etiam se extendit munus.*

7 *Excepta remotione fratrum ab vno in alium locum.*

1 ADuertant vlterius Prælati quicunque secundum Doctrinam Hostiensis adductam a Roderico q. 5. art. 5. vt nec ante, nec post visitationem paternam recipiant clanculo chartulas, vel schedulas, vel quæcunque alia scripta infamatoria, vel diffamatoria contra aliquē siue Prælatum, siue subditum, nisi seruato iuris ordine, vt inferius dicetur.

2 Nec tamen debent esse nimis increduli, sicut nec nimis creduli, sed prudenter, & maturè suum explere munus modo supra exposito.

3 Subditi verò aduertant, quod nullus tenetur in huiusmodi visitationibus delictum a se, etiam publicè commissum, quomodocunque manifestare: non enim delinquens tenetur se prodere, nisi legitime sit interrogatus.

Quod quomodo fieri contigerit, inferius dicetur; sicut etiam ostendetur, quomodo peracta visitatione paterna deueniendum erit ad iudicialem, si opus fuerit.

4 Sic autem visitationis paternæ terminus, & finis erit secundum delinquentium exigentiam, vel admonitio secreta, inter Prælatum, & delinquentem solum, vel adhibitis duobus, vel tribus testibus grauibus, vel admonitio publica in communitate fratrum; & hoc, vel in vniuersum descripto delinquente, vt minus confundatur, vel illo expressè nominato, vel etiam coram se genibus flexis vocato, vel alterius illum afficiendo aliqua pænitentia, vel mortificatione, vt deosculationis pedum fratrum, vel disciplinationis super nudos humeros, vel ieiunij in pane, & aqua genibus flexis, & similium iuxta vniuscuiusque Religionis instituta, & delictorum, vel personarum exigentiam vsque ad remotionem delinquentium subditorum ab vno loco in alium, non autem Guardianorum.

5 Nam vsque ad similes mortificationes, quæ solum ad quemdam decorem, & quamdam disciplinæ regularis obseruantiæ retinendam, & conseruandam in Religionibus institutæ sunt, & a quibus nullatenus appellare licet extendi inclusiuè, paternæ visitationis munus nullatenus ambigo.

6 Ex quibus concludo, quod Prælati locales (quibus apud nos Obseruantes in scriptis procedere iuridicè est vetitum) vsque ad præfatas omnes, & consimiles mortificationes procedere poterunt inclusiuè, paternè corrigendo.

7 Excepta remotione fratrum, quæ solis Prouincialibus competit: sicut antiquissima, & receptissima Pa-

trum

trum traditione obseruatur in vniuerso ordine. Quod nam autem remedium adhibeant vbi, iuridicè, & inscriptis procedendum fuerit, suo loco inferius dicetur, & hic visitationis, seu correctionis paternæ finis, & terminus quoad ordinarios Prælatos.

De Visitatoribus extraordinarijs. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Syndicatus officialium inferiorum diuinitus institutus, & necessarius.*

2 *Est enim totius iustitiæ experimentum.*

3 *Prælatorum inferiorum syndicatus iure diuino institutus.*

4 *Huic Prouinciales ministri quotannis Guardianorum syndicatum tenent.*

5 *Et Prouinciales ministri syndicari debent in fine officij.*

6 *Visitatores, & syndicatores ad hoc mittendi omni exceptione maiores nullatenusque suspecti.*

7 *Præfati Visitatores paternè prius inquirere debent.*

8 *Possunt sub delegare.*

9 *Caute tamen id efficiant.*

10 *Nec ex eadem Prouincia assumendi.*

11 *Nisi adsit probatissimus.*

12 *Præfati visitatores specialiter quid inquirant.*

1 Constat diuinitus institutum esse officialium syndicatum: nam summus Prælatus rationē reddere tenetur de inferiorum iudicum iniustitijs, vt aduertit Ro-

dericus eadem quæstione art. 1. ex iure ciuili quod citat.

2 Et addit vigilanter, quod syndicatio est experimentum totius iustitiæ: quod probat Cæsarianorum exemplo, qui cum omnia fraudum consuetudine temerare consueuissent, causam dederunt, vt ab officialibus arcta ratio expostularetur; nam iustissimum est, vt quod officialis in officio comedit, syndicatus tempore male digestum digerat, & si bene in officio se gesserit, laudes, præmiaque consequatur: vt in iure ciuili quoque traditur, & seruatur vbique, vt constat.

3 Quare ad res nostras applicando, Prælati ordinis inferiores, qui multo perfectiores esse debent sæcularibus iudicibus nullatenus ægrè ferre debent syndicatum: præsertim cum vltra ius ciuile iure diuino id illis præcipiatur, vt vnusquisque videlicet inferior Prælatus rationem reddat villicationis suæ, vt constat ex Euangelio; Luc. 16. quod & ante Samuel exactissimè expleuit cum populi syndicatum sponte subire voluit. 1. Reg. 12. Communissima itaque, & receptissima est doctorum sententia, omnes Prælatos inferiores debere visitari, & sindicari iuxta vniuscuiusque conditionem, & gradum.

4 Hinc Prouinciales Ministri suis in visitationibus paternis quotannis Guardianorum singulorum syndicatũ habẽt: mosq. inoleuit in probatissimis Religionibus.

5 Vt ipsimet Prouinciales ministri in fine officij syndicari debeãt, & visitari, vel a Prælatis Generalib. ordinis; vel a Cõmissarijs ad id specialiter deputatis a Generalib.

6 Generales autẽ attẽdere debẽt quos mittãt visitatores, & syndicatores, An videlicet sint suspecti, vel inhabiles, vel indigni ad huiusmodi ministeriũ subeũdum; sed idoneos, & probatos doctrina, & moribus instituere, ne

per ignorantiam, vel passionem, quæ non decet in Prouinciarum perniciem, & subuersionem aliquando parent.

7 Qui Visitatores ita instituti paterne prius visitare, & inquirere debent vnumquemque Conuentum, & fratrem eo modo, quo superius de ordinarijs Visitatoribus Prouincialibus expressum est.

8 Possunt autem huiusmodi Commissarij, qui ad visitandam vniuersam aliquam Prouinciam cum plenitudine potestatis instituti sunt, alios particulares subdelegare Visitatores ad particulares Conuentus, & causas. 1

9 Quod tamen caute, nec passim est faciendum, & nisi cum aliter fieri non possit.

10 Nec ex eadem Prouincia sumi deberent, cum in vnaquaque Prouincia sibi ad inuicem coniunctissimi, & notissimi fratres vix passione aliqua, partialitate, vel factione spoliari possint.

11 Quare, si aliquis ex Prouincia assumi contigerit, is diligenti examine, omni passione, & partialitate spoliatus, aliasque idoneus repertus eligatur.

12 Habent denique tales instituti Visitatores, & Commissarij speciale munus, vt nedum de vita, & moribus singulorum fratrum; sed specialiter de ipsius Prouincialis nedum vita, & moribus; sed officio peracto perquã diligenter exquirant, exactumque de ipso teneant syndicatum: qua in re nonnullos Visitatores grauiter errare, pessimeque deficere, in Prouinciarum perniciem vidi maximam, omnẽ videlicet alium finem, & scopum habentes, quam de vita, & moribus Prouincialis inquirere, cuius syndicatum tenere, vt dictum est, ex munere debent.

DE CORRECTIONE IVDICIALE EX MVNERE.

Tractatus Tertius.

PRAEAMBVLVM.

SVMMARIVM.

1 *Diuisio Trimembris.*

EXpleto modo corrigendi Paterne ex munere in superiori Tractatu, in sequenti de modo corrigendi Iudicialiter est pertractandum. Id autem tripliciter fieri poterit, generaliter, vel mixtim, vel specialiter, & de singulis ordinate dicendum.

An Prælati locales Iuridice corrigere possint. *Cap. I.*

SVMMARIVM.

1 *Prælati locales in scriptis procedere nequeunt.*
2 *Jncarcerem possunt delinquentes conijcere de consilio Discretorum.*
3 *Statimque moneant Prouincialem.*
4 *Processus inchoare nequeunt.*
5 *Nisi Comissarii instituantur quod raro fiat, ac urgentissimis de causis.*
6 *Authoritas ordinaria ad quæ extendatur.*

1 SÆpius prætactum est superius, Prælatos locales in omni ferè approbata Religione Iudicialiter procedere

dere non posse, nec processus in scriptis formare.

2 Duplex tamen remedium adhiberi potest; primum, quod vrgentissima de causa omnes Prælati locales delinquentem quemcunque in carcerem detrudere ad custodiam, & detinere; de consilio tamen Discretorum Conuentus possunt, vbi enim fuga timeretur, vel scandalum, vel detrimentum imminens, & similes ob causas.

3 Super quibus statim per expressum nuntium certiorem debent facere Prælatum Prouincialem, qui pro suo zelo, & prudentia prouideat secundum causarum exigentiam.

4 Processus autem inchoare nullatenus possunt ex immemorabili nostræ Religionis consuetudine.

5 Secundum remedium est, quod Prouinciales possunt suam auctoritatem totam delegare Prælatis localibus, illosque Commissarios instituere; & sic habent auctoritatem conficiendi, ac terminandi processus secundum delegationem: quod obseruari nonnunquam vidi, & in nostra, & in alijs probatissimis Religionibus, sed nullatenus est faciendum nisi rationabilibus, vrgentissimisque de causis.

6 Prælatorum localium itaque auctoritas, & Iurisdictio in Paternis tantum correctionibus gradum sistit: illisque leuiusculis, vt superius latius ostensum est; nec vlterius procedere valet ordinaria, & eorum propria Auctoritas quod immemorabili in nostra Religione consuetudine prolatum, seruatumque semper fuit.

De Inquisitione Iudiciali generali. Cap. II.

SVMMARIVM.

1 *Iudicialis Inquisitio Generalis præcipitur Prælatis.*
2 *Inquisitio Generalis Iudicialis ad omnia se extendit.*
3 *In ea omnes diligenter interrogantur subditi.*
4 *Modus examinandi in Inquisitione Generali Iudiciali.*
5 *Semel in anno à quocunque Prouinciali fieri potest.*
6 *Ac toties, quoties opus fuerit.*
7 *In ea omnes, & singuli quomodo examinandi.*
8 *Quando procedi poterit contra quemlibet.*

1 OMnes porro Prouinciales Prælati, & Prouincialiũ Superiores, tam generales, quam speciales Inquisitionem Generalem ex officio pro libito absque aliquo alio motiuo saltem semel in anno instituere possunt in vnoquoque Conuentu; nulli enim fit iniuria generaliter inquirendo, & propterea generalis Inquisitio, & Visitatio (nedum Paterna, de qua supra) iudicialis præcipitur omnibus Prælatis Ecclesiasticis vltra Canones antiquos c. perniciosam de offi. Iud. ord. & c. Roman. §. sanè de cens. in 6. expressè a Concil. Trident. session. 25. superius citato.

2 Quæ Visitatio generalis ex munere secundum Archidiac. in cap. fel. de pœnis §. vlt. & secundum omnes se extendit ad omnium criminum genera, omnia includit nempe crimina, & personas; & hac vtuntur Prælati visitando Prouincias, vel Conuentus, & Monasteria, tam quoad delicta, quam quoad personas, iudicialiter seruatis seruandis.

3 Fit

3 Fit igitur Inquisitio generalis iudicialis tali forma, quod prorsus tam quoad personas, quam quo ad delicta inquiritur vniuersaliter de omnibus, & singulis relaxationibus, respectu omnium, & singulorum subditorum Prouinciæ, vel Conuentus, omnes interrogando, eo modo, quo in visitatione paterna fieri dictum est.

4 Eo tamen discrimine, quod in visitatione paterna solus Prælatus visitat, & sine iuramento; hic autem scriba, idest Secretarius, excipit diligenter singulorum dicta iuramento medio: & coram duobus Patribus grauibus assistentibus, sicut infra in accusationibus, & omnibus iudicialibus processibus obseruandũ esse dicetur.

5 Inquisitio præterea generalis prædicta vltra munus annuale, quod Prouinciales perficiunt visitando Prouincias paternè, possunt etiam iudicialiter semel in Anno instituere, secundum exigentiã Prouinciæ, quod multi Prouinciales inuiolatè seruant; sed satius esset omittere, vbi non constiterit esse necessariam, vel admodum expedire.

6 Debet vlterius institui, & repeti quoties opportunũ iudicabitur à Prælato, vt quoties infamia fuerit de aliqua totali, vel vniuersali relaxatione in Prouincia, vel Conuentu, & similibus de casibus, & quoties ex paterna visitatione præcognouerit Prælatus necessarium esse, iudicialem quoque statim adhibere.

7 Quam sic instituet, vt iterum singulos paternè iam visitatos reuisitet iudicialiter à singulis exigendo iuramentum, tamquam testibus ex officio assumptis; & ea omnia diligenter obseruando, quæ de testibus obseruanda inferius dicentur: excepto eo discrimine, quod illi ad instantiam partis; isti verò ex munere citantur, &

exa-

examinantur, in ceteris omnibus pares existunt. Et ideo, ne repetere cogamur, hic aptentur, quæ ibi ponentur.

8 Si autem in tali visitatione sic generaliter peracta reperti fuerint plures testes, & ad minus duo, qui sint contestes de aliquo particulari delicto ab aliquo particulariter patrato poterit contra illum talem absolutè procedi usque ad sententiam definitiuam, & puniri tanquam conuictus: datis tamen prius defensionibus, & alijs seruatis, quæ de iure fuerint seruanda, ut in 6. Tractatu de Reo dicetur; quę in omni generali visitatione iudiciali simili modo semper seruanda sunt, undecumque inquisitio sumat originem.

De secundo Genere Visitationis Iudicialis, ex munere; mixta ex generali, & speciali. Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitio mixta ex generali, & speciali.*
2 *Fieri poterit ex iis, quæ in visitatione paterna.*
3 *Vel ex euidentia, & notorietate delicti.*
4 *Alia mixta generalis de delictis, specialis de persona.*
5 *Hæc nunquam fit nisi in sindicatu.*
6 *Extra sindicatum impia est, & iniqua talis inquisitio.*
7 *Nonnulli Prælati hac in re turpiter errant.*
8 *Alii casus, in quibus est licita.*

1 SEcundo modo Inquisitio iudicialis fieri contigerit non generaliter absolutè; sed secundum quid, & mixtim; ut quando inquiritur de aliquo delicto speciali, & determinate, & ignorantur delinquentes; quia tunc

tunc fit specialis inquisitio quoad delictum; generalis verò quod personas delinquentes.

2 Et hæc inquisitio similiter fieri poterit, si ex visitatione paterna resultent per plures testes, contestes, probationes legitimæ delictorum in se, vel indiciorum sufficientium ad inquisitionem ignoratis delictorum patratoribus.

3 Vel etiam quoties extra visitationem delictum aliquod esset euidens, & notorium, ignorato auctore, sic tenet Innocentius extra de elect. in capit. bonæ num. 5. quem referunt, atque sequuntur Nauarrus cap. 18. num. 38. & Iulius Clarus, & Ananias de accusat. in c. Inquisitionis in 4. & Felinus ibid. Et hanc praxim seruat totus mundus, quidquid sentiant Sotus, & quidquid prolixè nimis disputet Doctor modernus contra ipsum, patet enim, quod nulli similiter fit iniuria inquirendo generaliter de personis, nulla facta de aliquo particulari mentione.

4 Vel è conuerso fit specialis inquisitio quo ad personam; generalis verò quoad delicta, quando contra aliquam determinatam personam, quoad vitam, & mores inquiritur generaliter de delictis eiusdem.

5 Quæ inquisitio specialis de persona, & generalis de delictis, nullatenus debet fieri, nisi in sindicatu, vt animaduertit vigilantissimè Rodericus tom. 2. q. 5. art. 1. nempe quando sindicatur Guardianus, vel Minister Prouincialis, & huiusmodi officiales Prelati inferiores.

6 Ceterum sic inquirere contra aliquem, cui non conuenit sindicatus, impium arbitror, & iniquum: nam, hac patefacta ianua, nullus erit dissidiorum fi-

nis in Religionibus, nulla quies, tranquillitas nulla nullusque Religiosus quantumcunque vita, & moribus probatus a detractoribus tutus, malignantibusq. securus.

7 Qua in re nonnullos Prælatos, & Visitatores maximo cum animi dolore in Regularis obseruantiæ perniciem, & malignantium nutrimentum, & discordiarum fomitem delinquere vidi: nec enim possibile videtur, vt ex visitatione paterna possint deponere testes sufficienter de vita, & moribus in generali alicuius personæ particularis, nulla facta mentione de specificatis delictis.

8 Quare hæc inquisitio solum sindicatui conuenire videtur quoad finem punitionis, de quo hic agitur; ceterum licita hæc erit semper, quando inquiritur de vita, & moribus personarum assumendarum ad aliquam dignitatem, vel gradum, vel etiam ad malefícia tollenda; vt homicidia, furta, & similia, præsertim scandalosa, vel pniciosa, de quibus latius Nau. de Iudic. n. 29. & de qua dictũ est sup. hoc eod. cann. & inde, est enim coincidens quo ad delicti speciem, & in his casibus testes debent deponere cum iuramento quidem, sed quasi paternè, & non integrè iudicialiter, sed sub secreto, & absque omni famæ læsione, quoad fieri potest, & caueant Iudices, & Prælati nè aliter, nec alio modo, vel sine a prædictis tales inquisitiones instituant in Religionis perniciem.

De

De inquisitione iudiciali specialiter peragenda ex munere. Cap. IV.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitio totaliter specialis quæ.*
2 *Ad hanc deuenire quomodo poterit Prælatus ex munere.*
3 *Sufficiens causa est infamia nota.*
4 *Quando dicitur fama nota.*
5 *Quando est fama probata.*
6 *Quod pariter locum habet in ordinario, & delegato Iudice.*
7 *Textus male intellectus.*
8 *Alias possent mali Prælati eam fingere ad libitum.*
9 *Validus tamen erit processus de iure communi, etsi non prius probetur fama.*
10 *Secus autem si reus exceperit.*
11 *Quæ sententia non est admittenda inter nos regulares.*
12 *Id nouis rationibus probatur.*

1 TErtia denique inquisitio specialis erit tam quoad delictum, quam quoad personas, vt cum de certo, & determinato crimine, cõtra certam, & determinatam personam inquirere oportuerit iudicialiter.

2 Ad quam specialem inquisitionem contra aliquem particularem deuenire non potest Prælatus ex munere absque sua grauissima culpa, & grauissimo religionis detrimento, nisi paterno plenè, atque perfectè expleto munere in visitatione paterna, ex qua resultent probationes, vel indicia sufficientia, vel nisi precedat infamia, vel aliquid istis æquiualens.

3 Vt autem ab infamia ordiar, potest inquisitio specialis moueri contra personam particularem, quando vel ex visitatione paterna, vel quomodolibet præcedit infamia delicti, vel indiciorum sufficientium, nota, & probata.

4 Nota erit, quando scandalum causaretur, si non procederetu contra delinquentem famosum, prout resoluit Nauarrus adductus a Roderico q. 5. cit. art. 5.

5 Probata verò erit, si adsint legitimæ probationes, ita, vt vel ex visitatione paterna, vel alias ex clamorosa insinuatione, quæ famam ipsam ad aures iudicis sæpius detulerit, iudex ritè, ac rectè moueatur ad probandam prædictam famam, legitimis, & idoneis testibus iuratis, & ritè examinatis: ex quibus appareat (ad omnem dolum, & fraudem etiam ipsius iudicis tollendam) legitimè probata dicta fama, vel delicti in se, vel indiciorum sufficientium.

6 Quam sententiam verissimam arbitror, & necessario seruandam non distinguendo inter iudicem ordinarium, & delegatum; cum in hoc parificentur, vt omnis penitus præcludatur aditus dolis, & fraudibus in quocumque iudice, quidquid alii, & præsertim quidam modernus Doctor sentiat contrarium sentiat de vtroque iudice ordinario, & delegato: contra id, quod docet Nauar. expresse Rub. de iudiciis, num. 91. cum multis ibi adductis Doctoribus quos sequitur; & contra communem, & nulla sufficienti ratione.

7 Sed solum ex textu male intellecto extra de accusat. in cap. qualiter, & quando, ex illis verbis, si per clamorem, & famam ad aures superioris peruenerit, &c. nam intelligitur de fama probata modo exposito.

8 Alias possent iudices, (vt dictum est,) pro libito aliqua

passione,

passione, vel odio moti clamosam insinuationem fingere, famamque non veram: & indè multa sequi absurda, & inconuenientia: quæ omnia euitari, clarum est, probata modo præscripto fama.

9 Sequitur præterea idem Doctor opinionem Nauarræ loco citato, videlicet, quòd, si iudex absque informatione de infamia processerit ad inquisitionem specialem; nihilominus valebit processus: & condemnari poterit Reus si præsens non exceperit; peccabit tamen mortaliter Prælatus, vt docet Nauar. ibidem.

10 Sed si Reus statim exceperit, & iudice volente prosequi appellauerit, non valebit processus, quia per appellationem iudicis potestas suspenditur.

11 Sed præfata sententia vera erit de iure communi, & inter iudices non regulares: At de regularibus iudicibus loquendo, semper auderem dicere processum esse nullum; siue reus exceperit, & appellauerit, siue non, propter superius adductas rationes, quæ me conuincunt.

12 Et vlterius probare infamiam legitimè, nullatenus potest vitiare, nec obesse: non probare verò impium potest esse, ac perniciosissimum. Quare penitus probanda, vt valeat processus, aliter inualidum fieri omninò processum, vel saltem lege municipali inter nos regulares vehementer cuperem; inter quos tutior pars, & mitior, & magis quieta, & regulari obseruantiæ congruens est eligenda semper. Probanda igitur est fama; præsertim cum id valdè sit consonum viri naturali, & doctrinæ Nauarri citato loco, & morbus malignantium, & calumniatorum inter nos regulares, id remedium exposcat, quam maximè.

Quomodo

Quomodo, & qua forma probanda sit fama. Cap. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Examinandum, an fama a piis, vel maleuolis ortum ducat.*
2 *Fama quid sit.*
3 *Probanda ad minus per duos testes contestes.*
4 *Deueniendum in examine ad Auctores, unde sumpsit originem.*
5 *Quare testes sufficientem rationem reddant.*
6 *Quod seruandum etiam in loco turpi.*
7 *Deponentes non tenentur scire quid sit fama.*
8 *Non sufficiunt ad inquirendum plures deponentes secreto, & paternè.*
9 *Perperam agunt Prælati secus facientes.*
10 *Sed tali casu Prælati paternè tantum corrigere debent.*
11 *Inde supersedere attendendo emendationem, vel infamium ad inquirendum iuridicè.*
12 *Emendato reo non potest Iudex procedere iuridicè.*

1 FAma ex Conc. Tolet. ab omnibus recepto, & a Roderico ibidem citato, & ex Nauarro, vbi supra, sic examinari debet, vt priusquam ad inquisitionem procedant Prælati, diligenter curent inuestigare, an ea infamia a maleuolis, an a piis viris, & honestis orta fuerit: & vt procedatur tutius, & ad omnem euitandam iniustitiam,

2 Notandum, quòd fama, vt colligitur ex Bart. ff. de quæst.

quæst. l. de minore. §. tormenta. est communis opinio voce manifestata ex suspicione prouueniens, quæ, si sit de malo, dicitur infamia,

3 Quæ probata erit sufficienter per duos, vel tres testes contestes, vt in alijs probationibus, omni exceptione maiores, qui deponant se ita publicè, vel passim audiuisse, vt tradit Baldus de præsum. in cap. literas, nu. 2. & testatur Clarus, q. 6.

4 Et vlterius interrogari debent, à quib. audierint, quousque deueniatur ad Auctores, vndè sumpsit originem, vt sciatur, & perpendatur, an ab honestis, & probis, & fide dignis ortum duxerit, vel a maleuolis: nam hoc secundo casu nil efficeret, nec esset sufficienter probata fama; vt notant Bart. & Clar. vbi supra, & Innocentius d. c. qualiter, & quando.

5 Ex his constat debere testes deponentes de fama reddere sufficientem rationem scientiæ: aliàs non probarent, vt notat Bart. ibidem.

6 Quæ seruanda sunt etiam de re gesta in loco turpi, saltem quoad Regulares, quidquid secus doceat idem modernus Doctor, aliàs non præcluderetur omninò via malignãtibus, qui pro libito possent adhibere personas infames, ac maleuolas ad probandam famam contra superius tradita expresè, & contradictoriè.

7 Et multò minus requiritur, quòd deponentes sciant, quid sit fama, quidquid sentiat idem cum Claro, vel communi, vt dicit; nam hoc est præcisum iudicis munus, nè committat errorem, vel iniustitiam in iudicijs, & Clarus contrarium sentit expresè, quæst. 6. versic. postremo scias. hac motus ratione, quod nulli inuenirentur testes idonei ad probandam famam, nisi essent iu-

risperiti cum omnes fere laborent hac in re ignorantia, fortè inuincibili: & sic deperiret iustitia, quod absurdum nullatenus admittendum, sed sufficit, quod testes sint fide digni, & probi, & ritè deponant. Cętera callere iudicis est munus.

8 Addit Rodericus, quòd etsi tres, aut quatuor denuncient paternè contra aliquem secretò dicentes, ipsum cum quadam muliere accubantem vidisse, vel aliquid huiusmodi commisisse, cuius criminis ille non sit infamia notatus: in eo casu non potest Prælatus talem delinquētem secretò denunciatum publicè punire: quia sic deponentes non sufficienter probant famam, quæ nulla extat, nec produnt per aliquam iudicialem denunciationem, vel accusationem; sed solum paternè: ex quo colligit, non posse Prælatum vocare alios testes, vt de vita talis delinquentis secreti, & occulti perquirat, quod maximè mihi probatur.

9 Ex quo patet malè agere Prælatos ecclesiasticos, & Regulares publicè suos subditos punientes nulla præcedente accusatione, vel infamia nota, & probata, vt supra, ratione criminum occultorum, quæ commiserunt propter tres, aut quatuor testes de ipsis criminibus secretò deponentes. Quam in opinionem adducit Salsedum, & Concil. Tolet. cuius verba vltra superius citata sic refert; Promotor fiscalis apud ecclesiasticum iudicem neminem deferat, nisi quem legitima, ac frequens grauet infamia.

10 Quam doctrinam ego sic amplector, vt quemadmodum supra exposui, quando tres, aut quatuor, vel plures testes deposuerint de crimine occulto in paterna visitatione nulla iam præcedente, vel existente nota infa-

miæ,

miæ, Prælatus non debet iudicialiter procedere, sed solum paternè corrigere modo supra exposito.

11 Qua correctione peracta (vt notat ibidem Rodericus) tenentur Prælati supersedere, & attendere, an delinquẽs resipuerit, vel si reddatur notoriũ, & manifestũ eius delictũ ex perseuerãtia in ipso ita, vt delinquẽs possit iuridice conueniri, & conuinci, ex infamia indè orta.

12 Nàm e contra si facta dicta secreta admonitione, & correctione, subditus ad meliorẽ frugem se conuerteret, non poterit Prælatus amplius de eius causa vt iudex cognoscere; sed vt bonus, & prudens medicus, si potest mederi absciffo digito, nõ debet amputare manum, vel bracchium, vt notat idem Rodericus ex Arag. ibidem.

Quid agendum, quando duæ extant contrariæ probatæ famæ. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Duplici fama existente pro, & contra aliquem standum est pro reo.*
2 *Similiter, si per triẽnium sanctè, ac illibatè vixisset.*
3 *Quoad tẽpus cæteris paribus standũ est priori famæ.*
4 *Absolutè autem standum est validioribus, & verisimilioribus probationibus.*
5 *In ambiguis paternè corrigendum.*
6 *Inuiolabiliter non puniendum nisi probatum.*
7 *Quibus de causis inquirendum.*

1 SI duæ extant contrariæ probatę famæ, distinguendũ est: nam si ęqualiter in omnibus; semper standum est

risperiti cum omnes fere laborent hac in re ignorantia forte inuincibili: & sic deperiret iustitia; quod absurdum nullatenus admittendum, sed sufficit, quod testes sint fide digni, & probi; & ritè deponant. Cętera callere iudicis est munus.

8 Addit Rodericus, quòd etsi tres, aut quatuor denuncient paternè contra aliquem secretò dicentes, ipsum cum quadam muliere accubantem vidisse, vel aliquid huiusmodi commisisse, cuius criminis ille non sit infamia notatus: in eo casu non potest Prælatus talem delinquẽtem secretò denunciatum publicè punire: quia sic deponentes non sufficienter probant famam, quæ nulla extat, nec produnt per aliquam iudicialem denunciationem, vel accusationem; sed solum paternè: ex quo colligit, non posse Prælatum vocare alios testes, vt de vita talis delinquentis secreti, & occulti perquirat, quod maximè mihi probatur.

9 Ex quo patet malè agere Prælatos ecclesiasticos, & Regulares publicè suos subditos punientes nulla præcedente accusatione, vel infamia nota, & probata, vt supra, ratione criminum occultorum, quæ commiserunt propter tres, aut quatuor testes de ipsis criminibus secretò deponentes. Quam in opinionem adducit Salsedum, & Concil. Tolet. cuius verba vltra superius citata sic refert; Promotor fiscalis apud ecclesiasticum iudicem neminem deferat, nisi quem legitima, ac frequens grauet infamia.

10 Quam doctrinam ego sic amplector, vt quemadmodum supra exposui, quando tres, aut quatuor, vel plures testes deposuerint de crimine occulto in paterna visitatione nulla iam præcedente, vel existente nota infa-

miæ,

miæ, Prælatus non debet iudicialiter procedere, sed solum paternè corrigere modo supra exposito.

11 Qua correctione peracta (vt notat ibidem Rodericus) tenentur Prælati supersedere, & attendere, an delinquēs rescipuerit, vel si reddatur notoriū, & manifestū eius delictū ex perseuerātia in ipso ita, vt delinquēs possit iuridice conueniri, & conuinci, ex infamia indè orta.

12 Nàme contra si facta dicta secreta admonitione, & correctione, subditus ad meliorē frugem se conuerteret, non poterit Prælatus amplius de eius causa vt iudex cognoscere; sed vt bonus, & prudens medicus, si potest mederi abscisso digito, nō debet amputare manum, vel bracchium, vt notat idem Rodericus ex Arag. ibidem.

Quid agendum, quando duæ extant contrariæ probatæ famæ. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Duplici fama existente pro, & contra aliquem standum est pro reo.*

2 *Similiter, si per triēnium sanctè, ac illibatè vixisset.*

3 *Quoad tēpus cæteris paribus standū est priori famæ.*

4 *Absolutè autem standum est validioribus, & verisimilioribus probationibus.*

5 *In ambiguis paternè corrigendum.*

6 *Inuiolabiliter non puniendum nisi probatum.*

7 *Quibus de causis inquirendum.*

1 SI duæ extant contrariæ probatę famæ, distinguendū est: nam si ęqualiter in omnibus; semper standum est

pro reo, vt dicit Bossius in sua practica criminali tit. de fauor. defen. num. 13. pro quo similiter standum, si per trienniũ proximũ sanctè, ac illibatè vixisse probaretur.

2 Etsi ante triennium fama contra ipsum probata extitisset, quia tunc nil ei noceret, sed censeretur perfectè, ac totaliter purgata, vt inquit Clar. loc. cit.

3 Si verò prędictæ duę famæ inęqualiter probarentur quoad tempus tantum, standum erit priori.

4 Si verò quoad probationes, etiam semper standũ erit verisimilioribus probationibus, quidquid sit de prioritate, vel de posterioritate temporis, vt inquit Nauar. Et ratio clarissima est: nam verisimiliores probationes præferendæ sunt semper, quidquid sit de tempore.

5 Paternè tamen prouideri poterit in ambiguis modo superiori capitulo exposito, & supersedere expectando, an superuenerint validiores probationes, vel validiora indicia pro, vel contra prætensum reum, & sic ponderatè procedendo nemini fiet iniuria, & iustitia nullum patietur detrimentum.

6 Et denique semper, inuiolabiliterque seruandum, vt peccata nullatenus puniantur publicè, ac definitiuè, nisi vbi fuerint clarissimę probationes, & hæc communissima, & receptissima est sententia.

7 Et a simili ex consequenti non potest inquiri contra aliquem particularem speciali inquisitione, nisi præcedat contra eum fama delicti in se, vel sufficientium indiciorum nota, & probata pręualens famę contrarię, vel nisi alię ęquiualentes causę, de quibus inferius dicetur, adsint.

An

An possit vel debeat Prælatus rationabilibus de causis vitia tolerare, vel dissimulare ad tempus impunita dimittendo. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Aliquandò dissimulanda peccata secundum Panor.*
2 *Quod auctor non consentit.*
3 *Sed corrigendum semper ob publicam vtilitatem.*
4 *Nec ex aliqua inordita passione omittenda punitio.*
5 *Quando dissimulandum & quomodo.*
6 *Correctio sempre adhibenda seruatis seruandis.*

1 ABbas in cap. vt Clericorũ. de vita, & honest. Clericorum, dicit quòd aliquandò tolerari, & dissimulari possunt peccata ad tempus absque Prælatorum culpa, si ex punitione delicti timeretur, nè delinquens deterior fieret.

2 Quam doctrinam ego nõ iudico veram, nisi quandò aliquod maius scandalum in Reipublicę perniciem inde oriretur, si punirentur peccata; fallax enim tale iudicium de prętensa deterioritate rei, & nimis potens ad relaxandos Iudices a munere correctionis.

3 Et ideo Bernardus Diaz de Lugo in sua pract. crim. de concub. cap. 79. ait, quòd Prælati aduertant, nè huius doctrinę colore in vitiorum correctione torpescant: nam siuè speretur delinquentis emẽdatio, siuè non; Prælati, qui sunt etiam iudices, tenẽtur ad eorum correctionem prius paternam, deindè iudiciariam, vt sæpius dictum est; nàm non solum respicere debent vtilitatem

priuatam delinquentis, vt videlicet pęniteat, & saluetur, sed magis ad publicam totius ordinis, vt expurgetur malis, & cæteri timore pęnæ vnius coerceantur, & in officio contineãtur, sicut elicitur ex canonibus, & concilijs, & sanctis Patribus.

4 Caueant itaque Prelati (vt notat Vmbertinus in Reg. D. Patris Augustini ca. 164.) nè omittant punire subditos vel ex pusillanimitate cordis, vel ex humilitate superstitiosa, vel ex diffidẽtia proficiendi, vel ex ignorãtia, vel ex negligentia, vel propter pacem propriam non turbandã, vel propter verecundiã consciẽtia eos accusante, nè alios corrigere audeant, vel propter timorẽ odij verentes, nè in subditorum incurrant indignationem, vel propter prælationis amorem, quam amittere formidant, subditos contrà se prouocando, si puniant: vel ob defectum zeli, & cętera huiusmodi: quia tunc semper grauissimè peccaret.

5 Concinnè tamẽ notat sanctus Antoninus 3. par. sum. tit. 19. cap. 11. §. 6. quòd subditorum vitia sunt aliquandò prudenter dissimulanda, opportuniori tempore vindicanda, quãdo videlicet speratur, quòd delinquens deprehensus, toleratus tamen, augere culpas erubescat, sequè se iudice puniat. Et post multa concludit, quòd in nonnullis leuioribus magno moderamine delicti correctio temperetur: vbi autem morbi grauitas correctionis asperitatem postulat, ea non denegetur.

6 Omninò igitur ex doctrina prefati sancti correctio est adhibenda, vel mitius, vel asperiùs secundum delictorum exigentiam: quod Prælatorum iudicio, & prudentia est exequendum. Vix autem errare contigerit mea sententia, si ordo superius digestus ritè seruetur.

An possit inquiri specialiter, ac iudicialiter contra aliquem ex munere aliquo in casu; nulla praecedente infamia. *Cap. VIII.*

SVMMARIVM.

1 *Potest inquiri specialiter, quando crimen est contra rempub.*
2 *Et similiter in omnibus criminibus atrocibus.*
3 *Crimina atrocia quæ sint.*
4 *Furtum notabile inter nos crimen atrox.*
5 *Prælati perperam in eo conniuentes.*
6 *Similiter subornationes ad principaliores dignitates.*
7 *Crimina carnis regulariter non sunt atrocia.*
8 *Blasphemia vero vtique.*
9 *Crimina carnis nequaquam.*
10 *Vrgente fama inquirendum semper.*

1 SVnt multi casus, in quibus potest procedi specialiter contra aliquem, non præcedente infamia. Primum ponit Rodericus q. 1. cit. ar. 6. dicens, communem esse opinionem Doctorum in cap. qualiter & quando. de accusat. quod quando crimina sunt contra Remp. potest iudex procedere per viam inquisitionis contra delinquentem particularem, etiam si contra ipsum non sit aliqua probata infamia.

2 Quod verificari asserunt præfati Doctores in omnibus atrocibus criminibus: quam doctrinã equis, velisq; ego amplector: nam bonũ publicũ omniũ voce (nemine discrepante) præferri semper debet bono priuato.

Hinc est, quòd nisi aliter iuuari possit Respublica, nisi cum detrimento famæ, vel alterius boni alicuius particularis; eo casu præferendum est semper bonum publicum.

3 Inter crimina verò atrocia, & quæ in damnũ Reipublicæ vergunt; enumerat Rodericus ibidem crimen læsæ Maiestatis tam diuinæ, quam humanæ; furtum publici ærarij; homicidiũ alicuius hominis eminentis, a quo salus Reip. pendet; & subornationes in cathedris, & beneficiorum concursu; quando pro indignis subornatur, secundum Sotum de tegen. secret. m. 2. q. 4. concl. 3. & præterea eiusdem sunt generis Apostasia, & cætera huiusmodi.

4 Ex quib. constat, quod inter nos furtũ notabile eleemosynæ pertinẽtis ad communitatem, tàm guardianorum in administratione conuentus, quam Prouincialium in administratione Prouinciæ, potest inquiri nulla præcedente infamia contrà delinquentem particularem.

5 Qua in re multos Prælatos errare vidi pro nihilo ducentes huiusmodi publica furta, etiam creberrima, & celeberrima præcedente infamia.

6 Ad eandem quoque classem inter nos pertinent subornationes factæ pro indignis ad munera publica subeunda: vt sunt Generalatus, Prouincialatus, Diffinitoriatus: nam ad hos pertinet, vel vniuersum ordinem, vel prouinciam vniuersam regere, & gubernare; & ex consequenti qui peccat in his; peccat in Reip. ruinam, & euersionem: & ideò contra tales delinquentes potest procedi nulla præcedente infamia.

7 Refert denique Rodericus ibidem, non nullos in ea-

dem

dem classe reponere nefandum crimen, & Religiosi fornicationem, quorum tamen opinionem impugnat.

8 Et concludit, quòd peccatum Blasphemiæ vtique in præfata classe reponendum est; de quo non est ambigendum, cum sit crimen læsæ Maiestatis diuinæ.

9 Cæterum quoad peccata carnis, quæcunque sint illa cum eodem sentio Roderico; nimis namque durum esset, atque mea sententia in totalem ordinis ruinam, & destructionem singulorum Religiosorum vitā inquirere in his casibus nulla præcedente infamia notoria, & probata, vt suprà expressum est.

10 Maximè tamen dolendum, quando Prælati aliud in extremum labuntur: nec inquirere volunt huiusmodi, & similia peccata, de quib. publica est, ac notoria fama. Caueant itaque sibi, cum illis de subditis ratio reddenda sit strictissima.

Alij casus, in quibus potest inquiri specialiter, non præcedente infamia. Cap. IX.

SVMMARIVM.

1 *Potest secundo inquiri specialiter per criminis euidentiam.*

2 *Tertio ob crimen in præsentia multorum coram suo Prælato.*

3 *Quarto, quando adsunt indicia sufficientia.*

4 *Duplex fama aperit viā, idest delicti, & indiciorū.*

5 *Similiter euidentia delicti, vel indiciorum.*

6 *Quinto, confessio iudicialis, & quæ sit illa inter nos.*

7 *Etiam incidentalis confessio.*

8 *Sexto*

8 *Sexto, crimen commissum in iudicio.*

9 *Septimo, confessio iudicialis etiam coram Iudice incompetente.*

10 *Octauo, confessio extraiudicialis coram multis.*

11 *Nono, suspicio vehemens contra aliquem.*

12 *Decimo, indicia resultantia ex visitatione generali iudiciali.*

1 SEcundus casus, in quo inquiri potest specialiter non præcedente infamia, est euidentia delicti; nam delictum manifestum, & notorium, ità, vt nulla tergiuersatione celari possit, sufficientissimum est absque aliquo alio adminiculo ad specialem inquisitionem contra delinquentem.

2 Præterea tertio, quando coram ipso Prælato committitur delictum in præsentia aliquorum, etiam nullo existẽte accusatore, vel denunciatore, prout docet Caietanus 1.2.q.66.artic.3. quem citat, & sequitur Rodericus, q. 7. art. 4.

3 Deinde quarto, quando euidentia, & notoria adsunt inditia sufficientia, circa quæ cum modernus Doctor in sua practica criminali dicat, se non intelligere in hoc doctrinam D. Thom. 2.2.q.66.art.2. & Soti de secr. m. 2. q.6.conclus. 1.dub.3.

4 Notandum pro eius intelligentia, quòd fama potest præcedere, & aperire viam inquisitioni dupliciter, vel fama delicti in se, vel fama indiciorum tantum: de quibus dictum est suprà.

5 Vltrà igitur hanc infamiã delicti, vel indiciorũ potest aperire viã inquisitioni speciali, vel delictũ in se notũ, & euidens, vt dictũ est supra num. 1. vel solum indicia similiter

liter nota, & euidentia exempla; vt si reperiretur corpus hominis occisi, vel monialis grauida, vel furtum rei notabilis, & cætera huiusmodi, & non esset notus auctor, vel patrator commissi delicti, quia occultissimè patratum: sed solum essent nota indicia, quæ essent violenta ad torturam, vel æquipolentia ad semiplenā probationem: tunc iudex potest inquirere specialiter contra illum particularem, contra quem sunt indicia, verbi gratia si patrato homicidio inuenirentur arma in cella alicuius fratris sanguine conspersa, qui prius esset inimicus occisi; similiter si in casu monialis grauidæ pateret ingressus alicuius fratris ad eam, & cum ea secreta conuersatio ab alijs, sufficientia essent talia indicia ad inquirendum specialiter, & procedendum contra eum: & sic de singulis dicatur. Itaque si non præcedat infamia indiciorum, sed constet de indicijs in se, poterit specialiter inquiri; & multò magis, quam per eorum famam tantùm, vt patet.

6 Quintus casus, in quo sine infamia præcedente potest inquiri specialiter, est, quādo delinquens confessus fuerit crimen alias occultum in iudicio, licet coram paucis, vt apud nos corā Prælato, & suo secretario, & duobus assistentibus, saltem quousque perseuerauerit consuetudo apud nos tales assistentes requiri in iudicijs. Cęterū si tollerentur (quod mea sententia fieri deberet) sufficeret confessio coram Prælato, & secretario tantū, vt à simili colligitur ex cap. 1. de accusat. in 6.

7 Quod verum est, etiam si incidenter crimen cōfessus fuerit reus, vt tradit Bartolus in l. 2. ff. ad l. Iuliam de adulter. §. si publica. Quod vlterius verum est, nedum si esset circunstantia delicti, de quo reus interrogatur,

valdè aggrauans, & mutans speciem: sed etiam si esset omninò distinctum delictum; vt docet Nauarus in rub. de indiciis num. 86.

8 Sextus est, quandò delictum commissum est in iudicio: vt, si accusator conuictus fuerit de calumnia, vel de præuaricatione, vel tergiuersatione, de quibus inferius. Idem si testis falsum deponat in iudicio. Hęc ex Nauar. colliguntur loc. cit. nu. 88.

9 Septimus est confessio iudicialis, cum iuramento facta coram iudice incompetente: nam habet maiorē vim, quam confessio extra iudicialis propter vim iuramenti, & propter solemnitatem iudicis, licèt non valeat ad condemnationem propter iudicis incompetentiam.

10 Octauus est cōfessio extraiudicialis coram multis facta siuè in præsentia, siuè in absentia Prælati, nam succedit loco famæ, & ferè coincidit.

11 Nonus est quādo in aliquo conuentu cōstat clarè de crimine ignorato auctore, si adsit suspicio vehemens cōtra aliquem particularem: vt, si in aliquo officio furtum factum repereretur patratū ignorato penitus auctore, contra officialem illum inquiri specialiter posset, si contra eum esset dicta suspicio; & sic de similibus: nā suspicio vehemens maioris partis conuentus supplet vicem infamiæ, vt docet Nauarrus num. 95. in suam sententiam adducens Butrium, Abbatem, & Aretinum.

12 Decimus est, si aliquis deprehēsus fuerit in aliquo delicto in inquisitione generali iudiciali, non plenè conuictus, sed solum habentur indicia sufficientia, vel semiplenæ, probationes: tunc enim procedi poterit specialiter contra particularem indiciatum inquirendo vsque in finem seruatis aliàs seruandis.

De

De ijs, quæ non sufficiunt ad inquisitionem specialem. Cap. X.

SVMMARIVM.

1 *Qualis confessio ad inquisitionem specialem non sufficiat.*
2 *Non sufficit epistola confidenter transmissa.*
3 *Sed in similibus sola correctio paterna adhibenda.*
4 *Nec sufficit peccatum commissum coram Prælato tantum.*
5 *Nec sola correctio fraterna præcedens, nec denunciatio euangelica.*
6 *Requiritur enim denunciatio iudicialis.*
7 *Nec sufficit reperiri in fragranti a solo Prælato.*
8 *Nec sufficit denunciatio canonica.*
9 *Nec alia quęcunque, vt sic ex munere procedatur.*
10 *Nec sufficit, quòd peccata sint in præiudicium partis.*
11 *In visitatione Iudiciali omnia seruanda secundum iuris ordinem.*

1 PRimò non sufficit confessio extraiudicialiter facta, si sit coram paucis confidenter, neque confessio iudicialis metu, vel vi tormentorum facta, si post tormenta, & post metum tormentorum non ratificetur; neque similiter confessio extraiudicialis facta coram Prælato confidenter: nam hę omnes confessiones reputantur inualidæ, vel secretæ, nisi adsint adminicula.

2 Nec sufficit confessio in epistola secretò ad amicum, vel alium quemcumque transmissa; quam Prælatus aliquam

quam ob causam aperiet,& perleget,vt colligitur ex Nauar. eodem loco num. 86. & Soto de tegen. m. 2. q. 6. nec etiam ex dictis sufficeret epistola ad ipsummet Prælatum transmissa.

3 Sed in iis, & similibus debent Prælati adhibere solam correctionem paternam leuiorem, vel grauiorem, sicut opportunius illis videbitur secundum veram,& rectam prudentiam,& charitatem, & iustitiam simul.

4 Nec sufficit peccatum commissum coram Prelato tantum non præsentibus aliis sufficientibus testibus, vt notat Clarus q. 8. versic. sed pone & alibi.

5 Nec sufficit sola monitio fraterna præcedens, etsi delinquens nõ corrigatur: nec similiter denunciatio euangelica, quidquid doceat modernus doctor de rebellione denunciati ex Doctrina Soti, vt ipse asserit de sec. m. 2. q. 6. cocl. 1.

6 Sed requiritur vlterius denunciatio iudicialis, concurrẽtibus his, quæ ad illam sufficiunt, & ordine superiùs descripto seruato: & sic dẽt intelligi doctrina Soti; & tũc nõ procedit iudex ad inquisitionẽ specialẽ ex munere, vt de ea hic loquimur. Sed potius ad instantiam partis, vt saltem excitatus per denunciationem. Et hic dictus doctor confundit terminos procedendi ex munere, vel ad instantiam partis.

7 Nec sufficit, vt delinquens reperiatur in fraganti crimine a solo Prælato; sed requiruntur testes, vt supra dictum est: quibus existentibus indubiè poterit iudex procedere specialiter; sed seruato iuris ordine in essentialibus contra id, quod asserit idem doctor ex doctrina Clari q. 8. sed intelligenda est, si alii adsint testes, vt supra num. 4. expressum est: aliàs cuicumq; Iudici liceret pro arbitrio,

arbitrio, falsa imponere crimina, quod magnum esset absurdum inter regulares, & omninò vitandum.

8 Neque sufficit denuciatio canonica contra eundem Doctorem, nisi modo suprà exposito de Euangelica; & sic intelligendus est Clarus iterum adductus.

9 Et vniuersaliter quando denũciatio (quocumque nomine appelletur, siue Euãgelica, siuè canonica, siue regularis) est sufficiens ad inquisitionẽ specialem, non proceditur merè ex munere, sed potius ad instãtiam partis; quia re vera non sufficit ad id, nisi denunciatio iudicialis; omnes enim aliȩ solum valent ad paternam correctionem, vt patet.

10 Nec sufficit (contra præfatum Doctorem) quòd peccata sint in prȩiudicium Tertii, nisi aliæ causæ adsint, vt patet in suis exemplis de calumniatore, & de falso teste, quia non propter præiudicium tertii potest Iudex procedere specialiter; sed propter notorium in Iudicio, vt constat. Et ideo aliud exemplum de falsa scriptura non sufficit, si fuerit secreta, vt superius dictum est; quod, si publicetur, tũc sufficit similiter ex notorietate, & non ex præiudicio tertii: quod solũ nunq̃ sufficit ad inquisitionem specialem ex munere; sed aliis concurrentibus, & sufficientibus, de quibus suprà iuxtà Nauarri doctrinam in Man. c. 18. nu. 56. & in c. inter verba concl. 6. nu. 19. & alibi sȩpè.

11 Denique tam in inquisitione generali iudiciali, quã speciali omnia illa de Testibus, & citationibus, & interrogationibus reorũ, & defensionibus, & aliis vsque ad sentétiam definitiuã oĩno seruãda, quȩ de iure obseruari debent ad instantiam partis, & hic aptari possunt, prout de singulis inferius suis locis tradetur.

An

An Populi clamor sufficiat ad inquisitionem specialem. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1 *Clamores populi nullatenus temerè audiendi.*
2 *Secus facientes puniendi.*
3 *Idem confirmatur Pilati exemplo.*
4 *Idem ipsius Dei exemplo monstratur.*
5 *Grauiter errant qui secus faciunt.*
6 *Nullatenus itaque vulgi accusatio admittenda.*
7 *Auctores tumultus puniendi: & magis Prælati delinquentes.*

1 VAnæ siquidem populi voces minimæ sunt audiēdę secūdum cōmunem consuetudinem,& practicam; nam legibus magis quā clamoribus populi debet iudex adhærere l. iustif. C. de offi. rect. prou. & l. Decurio. C. de pęnis. & vbicumque se offert populi clamor, vel contra Prælatū Generalē, vel Prouincialem respectiuè in capitulis generalib. vel prouincialibus, quādo pręfati Pręlati iam in syndicatu officio sunt functuri, plerumque vanus est, atque iniustus huiusmodi populi clamor, docendusque tunc est, & ad veritatis notitiam manuducendus populus, & non temerè, nec inconsulto audiendus: vt dicitur in quodam decreto c. docendus dist. 66. nam sæpe sæpius inclinatur populus, & vulgus, vel odio, vel interesse, vel fauore cōtra Præfatos tumultuarie: & tunc sedandi tumultus, non concitandi, vel nutriendi.

2 Ex hoc valde improbandi sunt, qui iuxta excessus men-

mensuram puniendi præsidentes in præfatis quocunque nomine appellentur: vel quauis auctoritate fulgeant, qui solũ propter populi clamores nõ prius diligenter inspecta rei veritate cõtra præfatos Prælatos vel tonãt, vel fulminant in sermonibus publicis, vel illos molestant, & inquietant quacunq. alia via, prout in simili ponderant, Baldus in l. obseri §. antequam. ff. de offic. procons. & Accursius in d. l. Decurio. & Benedictus in c. Raynuc. vers. mortuo itaque in prin. fol. 122. nu. 237. & Cassaneus in catal. glo. mundi 4. par. consil. 6. & Montaltus in Trac. de retract. sent. Pilati. & Episc. Redin. de ma. princ. quel s. sed etiam num. 44. fol. 78.

3 Qui omnes iniquam ex hoc ostendunt sententiam Pilati contra Dominũ nostrũ Iesum Christum solis populi clamoribus moti ad tradendum ipsum populi uoluntati nulla in eo mortis causam inueniendo, ut apud Lucam c. 23. dicitur. Quo exemplo discãt cęteri Præsides.

4 Hinc Deus Optimus Maximus humanorum actuum infallibilis, & inobliquabilis regula, Iudices docuit humanos nullatenus commoueri debere huiuscemodi populi clamorib. sed ad claras probationes, & manifestas recurrere, factique ueritatem diligenter peruestigare, quandò videlicet clamore audito contra sodomitas ait. Gen. 18. Descendam, & uidebo, utrum clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint.

5 Cum igitur Deus, etsi nec fallere, nec falli possit, uerumtamen, ut normam traderet cęteris iudicibus non errandi, nequaquam populi clamorem audire uoluit, sed rem diligenter a se perspectam nobis ostendere, nescio, quomodo inueniantur hoĩes, qui passim fallere, ac falli possunt, tam temerario ausu præsumentes, ut nulla in-

E spe-

specta rei veritate, per solas populi acclamationes tam validè commoueantur, plerumque contra innoxios, probosq; viros, non solum contra Prælatos præfatos in syndicatu, sed etiam contra viros alioquin eminentes in ordine, vel in Prouinciis ob res præclarè gestas, ac benemeritos, & dono Deo optimos Prouinciarum, & Reip. moderatores, qua in re experientia didici, nonnullos Generales Prælatos in Prouincialibus capitulis turpiter lapsos, intolerabiliterque errasse.

6 Vniuersaliter itaque, siue cõtra Prælatos in syndicatu, siue contra viros in ordine, siue Prouinciis eminentes nullatenus admittenda est vulgi accusatio, & populi reclamatio: nam secundum Concilium Sardicense c. pe ric. de pęnit. dist. 1. Temeraria est, & culpabilis, & secundum Augustinum cap. Hinc sunt. 22. q. 4. Propter malos acclamantes non debent probi viri fauore iuridico destitui. Sæuit enim (vt nouit etiam Ethnicus ille Virgilius) animis ignobile vulgus.

7 Vnde Paulus iurisconsultus, l. si quis §. motores. ff. de pęn. Auctores seditionis, & tumultus, vel concitatores populi pro qualitate dignitatis aut in crucem tollantur, aut bestiis subiiciantur, aut in insulam deportentur. Hæc ille. Quid in Religionibus, vbi res omninò in multitudine pacis, iustitiæ sanctitate, & luce meridiana clara veritate, & silentii pro viribus religiositate omninò gerendæ, ac terminandę? Quid si Prælati ipsi Generales concitatores populi, & tumultus excitatores, & seditionis auctores euaderent? Videant ipsi. Vidi ego, & sustinui. Videat Deus Optimus Maximus, & iudicet.

An

An purgatio canonica adhibenda, vbi non sufficiat inquisitio specialis, vel non sit ei locus.

Cap. XII.

SVMMARIVM.

1 *Purgatio canonica olim in vsu, & quæ sit illa.*
2 *Ea vsi sunt etiam olim summi Pontifices.*
3 *Nunc penitus abolita, & meritò.*
4 *Præsertim contra viros claros, & eminentes.*
5 *Iterum ostenditur iure optimo, abolitam purgationem canonicam.*
6 *Si quis tamen sponte illam subierit, & vt innocens absoluendus.*
7 *Nequaquam verò a subditis vi extorquenda.*
8 *Qui proximi famæ pro viribus consulant.*

1 SAncti quidem patres, vbi crimina probari nequaquã poterant, ad remouendam omnem criminum suspitionem, purgationem canonicam instituerunt, vt patet extra de purg. canon. & per Hostiensem ibidem. §. 1. quæ sic fiebat. Reus coram Iudice iurabat se non commisisse delictum cap. quoties. eodem titulo, & vlterius testes compurgatores adducebantur, qui iurabant credendum esse illi, qui se purgabat, dignumque esse fide, ac verum iurasse, vt patet præfato capite.

2 Hæc in priscis Patribus adeò in vsu erat, vt se solemniter purgare non sint veriti ad remouendum subditorum scandalum quamplures summi Pontifices: ita Damasus, & Paschalis primus, & Simachus, & Greg. VII.

coram Henrico IIII. & Pelagius primus coram Narsete publicè purgati sunt sicut in Annalibus Romanorum Pontificum est videre apud Platinam in vita Pontificum, & apud Campensem lib. 6. Hierarch. Eccles. & Brunum lib. 4. de Hæret. c. 11.

3 Verumtamen iuremerito ab vniuerso prorsus orbe Christiano præfata canonica purgatio est abolita, nec eius nomen quidem auditur inter ipsos regulares: nam infamia sępe sæpius fallax est secundum Panormitanum in cap. cum insuper. de confess. in fi. & secundum communem sententiam, & experientiam: & (vt ait D. Bernardus melliflué semper, sed in hoc supermelliflué in epist. de perfect. vi.) sæpe sæpius fallitur humana suspicio: & accidit sæpissimè, quod temerarii quidam homines, nedum a perfectione regulari alieni, sed ab omni prorsus pietate, & Religione Christiana ex leuibus coniecturis, & signis leuiusculis, grauia, & enormia scelera suspicantur, & in vulgus effutire audent in magnum suarum animarum, & proximorum bonoris, & famæ detrimentum, & dispendium.

4 Præsertim verò insolescere solent huiusmodi farinæ homines contra viros virtute claros, & eminentes, eorum splendore obcæcati, qui dum suis vitiis, & defectibus aliorum virtutū exemplis mederi deberent, virtuti ipsi sese opponunt, inuident, atque insidiantur, virtutis lucem obnubilantes, sese que obcęcantes & falsorum criminum puluerem, ac nebulam in proprios, aliorumque spargentes oculos in religionis detrimentum. Vulgus enim reliquum facilè mobile, rumorumque lubens auditor, & sui ipsius concitator non modo similia credit, sed temerè, atque inconsiderate multiplicat.

5 His

5 His igitur de caussis, penitus reiecta, & abolita est canonica purgatio, & prætereà, si (vt inferius ostendetur) Reus iuridicè interrogatus, iuramentoque obstrictus poterit aliquando coram Iudice veritatem rationabiliter negare, & occultare, ad quid huiusmodi canonica purgatio inducenda ? Iure itaque optimo ab vniuersa Dei ecclesia penitus elimata, & abolita.

6 Verumtamen, si quis fortè fortuna spontè voluerit huiusmodi purgationem canonicam subire, illamque rite perfecerit, iudex absque mora debet illum innocentē declarare, & ab infamia criminis absoluere, & ipsum in pristinum statum restituere, vt iure cautum est cap. ex tuarum. de purg. canonica.

7 Sed, vt dixi, caueant omninò iudices, nè huiusmodi purgationē canonicā violenter a subditis extorqueant, sed pro vt iuris iuxta probata, & allegata procedant.

8 Et animaduertāt circa proximi famā; quod, si viri innocētis sanguis effusus de terra clamat ad Deū cęli Gen. 4. non sine clamore denigratus honor vtique remanebit ad Deum, quem viri innocentes pretiosiorem æstimant quacumque huius mundi caduca re: virorum itaq; innocentium honori, & famæ omninò prouidendum, & nullatenus permittēdum, vt vulgi clamoribus denigrentur, & dilacerentur iniuste, cum ordinis delustratione, ac dedecore: quare non oscitanter, sed perquam diligenter in his peruigliare debent Prælati.

An possit inquiri specialiter, ac iuditialiter ex munere contra aliquem infamatum de vno delicto, etiam de aliis, de quibus non est infamatus: at dubitatur commisisse. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Non potest inquiri nisi de crimine, de quo sunt indicia, vel de necessario connexis.*
2 *Sola suspicio non sufficit.*
3 *Secus facientes Prælati errant.*
4 *Quod maximè caueant Prælati Generales.*
5 *Quando inquiri potest specialiter ad solam informationem.*

COmmunissima, & receptissima est sententia, quod non potest inquiri contra aliquē specialiter nisi de il
1 lo delicto, de quo est infamatus, vel sufficienter indiciatus, & nullatenus de aliis, nisi sint adeò cōnexa, vt de vno nō possit cognosci sine alio, vt si non possit cognosci, an aliquis commiserit sacrilegium in monasterio cum moniali, nisi cognosceretur de ingressu in monasterium, & sic de similibus; itaque perpetuo seruandum est ex doctrina Caietani 2. 2. quæst. 69. & Soti de secret. memb. 2. quæst. 6. concl. 5. dub. 5. & lib. 5. de iustit. & iur. q. 6. art. 2. quòd nunquam potest Iudex contra personam infamatā, seù conuictā de vno crimine inquirere de aliis criminib. occultis, de quib. nō adsint vel indicia, vel infamia: etsi essent crimina eiusdem speciei, dūmodo non sint connexa, vt dictum est, siuè connexione causæ, siuè connexione indiciorum, siue connexione circumstantiarum, extra quos casus vltra citatos doctores cauetur

expresse

expresse in cap. cum opporteat extr. de accus. quod nullatenus possit fieri inquisitio, nisi de illo crimine, de quo quis est infamatus, vel sufficenter indiciatus modo superius disposito.

2 Suspicio vero sola, vel sola dubitatio, vel opinio de aliquo delicto non sufficit, vt Prelati contra aliquem Religiosum specialem inquisitionem iuridicam instituant ex munere ex eo, quod sit infamatus de alio crimine non connexo.

3 Nam Prælati præ oculis habere debent proximi famam, eamque sarctam tectam pro viribus conseruare, nam si secus fecerint, grauissime peccant, & in Remp. quam priuant splendore innocétiæ, ac bone famæ, & vtilitate inde emanante, & in ipsummet proximum tanto grauius, quanto ille dignior est, ac eminentior.

4 Quod maximè caueant Prælati Generales præcipue, ne sub prætextu aliquo vel reformationis, aut libertatis prouinciarum, vel capita factionum extinguendi, & ceteris huiusmodi vanis prætestibus viros eminentes in ordine, ac Prouinciis pessumdent, ac perdant, deornãdo, & delustrando, & penitus obscurando prouincias, & ordinem vniuersum in eius perniciem, & euersionem.

5 Verumtamen possunt inquirere Prelati de vita, moribus, & genere alicuius particularis, etiam de crimine non connexo, vel de quo non est probata infamia, quandò non ad punienda vllatenus delicta, sed ad examinãda merita, vel demerita, vt dignoscant, An talis videlicet sit habilis, vel inhabilis ad aliquam dignitatem: sicut a simili non est necessarium, vt infamia præcedeat ad inquirendum, an volens cum aliqua contrahere matrimonium, sit aliquo impedimẽto irretitus, ex quibus elicitur

posse Prælatos optimo iure inquirere merita, vel demerita illorũ, quos ad aliquam dignitatem vel prelationem promouere intendunt, etiamsi nulla præcesserit infamia, sed nullatenus, nec vmquam ad puniendum, vel etiam infamandum, seu diffamandum, sed solum ad informati onem sumendam ad finem præfatum.

Quid sit notorium, vel publicum. Cap. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Notorium delictum quid sit.*
2 *Discrimen inter publicum, & notorium, & quid sit propriè publicum.*
3 *Publicum tantum non sufficit ad inquisitionem.*
4 *Non est notorium, quod soli domestici norunt.*
5 *Sed quod maior pars Conuentus, vel Collegii nōrit.*
6 *Non potest designari certus numerus.*
7 *Sed prudentiæ Prælatorum standum.*
8 *Triplex notorium.*
9 *Tertium sufficit ad specialem inquisitionem.*
10 *Publicum multiplex.*
11 *Neutrum in se sufficit ad inquisitionem.*
12 *Sed omnes denunciare tenentur.*

1 CVm sit facta mentio in superioribus de publico, & notorio delicto, & de publicis, & notoriis indiciis, & eadem sint sæpius repetenda, notandum est, quòd illud dicitur notorium delictum, vel indicium, quod notum est omnibus: & ideò notorium appellatur, quod nulla tergiuersatione celari potest. Et aduertit Rodericus

cus q. 6. ar. 4. quod notorium non deriuatur a verbo noto, (vt asserit Siluest. in cap. olim. de verb. signific. & c. quæsitum. de cohabit. Cleric. sed a verbo nosco, scis, & sic notorium est illud, cuius omnes habent notitiam, & ita publicum, & notorium sępius confunduntur.

2 Sed valdè tamen differunt; nam omne notorium est publicum, & nō e conuerso: potest enim esse peccatum publicum, idest publicatum a maleuolis sine aliqua facti certitudine, aut euidentia; & in tali casu peccatum æquiuoce dicitur publicum, non enim quia patratum; sed quia publicatum a maleuolis in infamiam alicuius.

3 Et hoc non sufficit ad inquisitionem, de qua supra: sed requiritur, vt sit publicum, & notorium modo explicato.

4 Pro cuius ampliori intelligentia notandum vlterius, quod non sufficit ad præfatam notorietatem delicti, vt sit notum tātum habitantibus cum delinquente sub eodem tecto, si ignoretur ab aliis: præsumitur enim secretum, & non publicum, vel notorium, quod soli domestici norunt; quod intelligendum est (vt aduertit idem Rodericus) de domibus priuatis sæcularium, vbi pauci degant in familia.

5 Sed locum non habet in Collegijs, conuentibus, aut Monasteriis, in quib. peccatū quodlibet cōmissum notoriū erit semper, vel publicum, si a maiori parte euidenter sciatur, etsi ab aliis ignoretur in eodem Conuentu; & multo magis si ignoretur a sæcularibus, quos latere semper deberent omnino peccata Religiosorum intra claustra commissa.

6 Et licèt Rodericus dicat illud notorium esse, quòd coram decem personis est commissum: hoc tamen ego

renuo

renuo: nam ad accusationem (vt inferius dicetur) sufficit, vt peccatum sit commissum coram duobus, vel tribus testibus; quare, si numerus excesserit ad quinque, videtur mihi, quòd possit videri notorium, & publicum; tum, quia in tanto numero regulariter non videtur posse occultari aliqua tergiuersatione delictum, quod sufficit ad notorietaté, vt ex eius descriptione superius lata constat: quam approbat etiam Rodericus cum communi: tum, quia in nonnullis conuentibus nostris non degunt de familia plures, quam quinque, vel sex fratres: ideo peccatum, vel indicium, quod notum est, aliquo modo pluribus, quam quatuor, mea sententia notorium erit publicum, licet certa regula præscribi non possit, vt affirmat Soto in 4. dist. 12. q. 2. art. 6.

7 Iudicio ergo Prælatorũ, eorũq; prudentiæ, ac zelo id relinquendum, vt aduertant præsertim ex circumstantijs, & qualitatibus personarum, nè pateat aditus conspirationibus, quæ fortè non difficulter inter quinque, vel sex concludi poterunt.

8 Vlterius notandum, quod triplex est notorium, nempe iuris, quod fit per sententiam iudicis, aut per confessionem rei, aut per claram testium probationem. Vel secundo ex præsumptione iuris, quod fit, quando iudex procedit ad punitionem propter vehementes coniecturas, & indicia æquipollentia facto: vt, si clericus cum suspecta muliere sub eodem tecto cohabitaret: hic enim pœna concubinarij afficitur. Vel tertio notorium facti, & est illud, quod nullo modo potest negari, vel occultari aliqua tergiuersatione, vt dictum est.

9 Et hoc tertium est notorium, de quo hic loquimur, tam delicti in se, quam indicij sufficientis, quod notorium

rium aperit viam iudici ad inquirendum, & procedendum ex munere ſpecialiter contra aliquem, vt dictum eſt.

10 Denique notandum, quòd publicum æquiuocè dicitur, nempè, vel quia publicatum modo ſupra expoſito, & de quo ſufficienter dictum, vel obiectiuè, quia contra bonum publicum; vt ſunt crimina in Deum, vt hæreſes, blaſphemiæ, & ſimilia: vel crimina lęſæ Maieſtatis temporalis, vt in Religione, graues offenſæ in Generalem, & Prouincialem, & eorum locum tenentes, non autem in Guardianos, & alios Prælatos locales, vt coniici poteſt ex noſtris ſtatutis, & tale publicum opponitur cõtra priuatum, & non contra occultum, quod priuatum dicitur, quod committitur contra priuatam perſonam, niſi lege publicum cenſeatur, vel ob ſcandalum, vel ob damnum ex conſequenti reſultans in Remp. vt eſſet homicidium, ſacrilegium inſigne, & cætera huiuſmodi.

11 Et neutrum iſtorum ſufficit in quantum publicum tantum ad ſpecialem inquiſitionem inſtituendam, ſed benè in quantum notorium, vel atrox, vel ſi aliud æquiualens adſit adminiculum.

12 Publicum verò hoc duplici modo tenētur omnes denunciare, vel accuſare, ſeruatis ſeruandis, vt dictum eſt, & dicetur latius infra. Priuatum verò ſolum ille, qui iniuriam, vel damnum paſſus eſt, ſimili modo ſeruatis ſeruandis.

An

An crimina sic tempore præscribantur, ut nullus amplius locus supersit inquisitioni iudiciali.

Cap. X V.

S V M M A R I V M.

1 *Actori præscribitur aliquando tempus ad agendum.*
2 *Prælatis verò ex munere procedentibus nunquam præscribitur.*
3 *Quod a Prælatis tolli nequit.*
4 *Debita tamen limitatione.*
5 *Consopita verè iterum exsuscitare impium.*
6 *Perquirenda etiam quantuncumque antiqua delicta duplici limitatione.*
7 *Quæ verò antiqua, vel præscripta dicantur.*
8 *Limitationes dictorum.*

1 DElicta quidem, attento iure canonico, minimè præscribuntur, vt notat Rodericus to. 2. qq. q. 5. ar. 11. ex quadam Glossa, ex Decio, Bossio, & Nauar. & præterea ex iure communi probat præscribi tempus actori, quo elapso non possit amplius agere, ideſt accusare, vel denunciare. At de his inferius.

2 Quo verò ad inquisitionem ex munere, de qua hic agimus, tenet cum Cappella Tolosana decis. 140. & decis. 188. quòd Prælati etiam elapso termino iuris communis, vel etiam specialis in aliqua Religione conditi, posſint procedere ad inquisitionem contra delinquentes, illosque corrigere, ac punire.

3 Quod etiam confirmat ex Innocentio in cap. ad no-

ſtram

ſtram de appellationibus, & ex Canthera, & ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 10. vbi ait, quòd neq. in his, vbi de viſitatione, aut morũ correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad ſedem Apoſtolicã interpoſita, executionẽ eorũ, quæ ab his (ideſt ordinariis) mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquomodo impediat, aut ſuſpẽdat, &c. quod Cõcilii decretum extẽdi volunt et ad excludendam tẽporis præſcriptionem: ita quod, ea non obſtante, cuiuſque decreti vi poſſint Prælati Regulares ad correctionem, & punitionem procedere, non ad inſtantiam partis, cum contra eam ſtatuto ſit præſcriptum, ſed ex munere pro bono publico, pro quo debet Prælatus ex officio procedere.

4 Quam doctrinã ea limitatione, quam addit idem Rodericus, recipiendam arbitror, & nõ aliter, videlicet, vt nullatenus pſcribatur Prelato poſſe ex officio procedere, ſeruatis ſeruandis, vt ſupra quãdo delicta in perniciem, & damnum Reipub. vergunt: cuius intereſt, nè talia remaneant impunita delicta. Et ſic puniri poſſet ex munere a Prælatis poſt multos annos, elapſo etiam præſcriptionis tẽpore, qui bona publica quomodocunq; furatus fuerit, & qui ſimilia in Reipub. damnum patrauerit.

5 Caueant verò Prælati, nè in Dei offenſam, & proximi, & in propriæ ſalutis detrimentũ exſuſcitent a mortuis iam conſopita, & a memoria hominum iam elapſa delicta, paſſione aliqua, vel odio agitati; nam preter, vel contra præfatam limitationẽ aliquid attentare, vel perquirere iniquum arbitrarer, & impium, & in maximam Religionis perturbationem, ac perniciem, & odio Dei ęternè dignum, quidquid ſecus attentatum fuerit.

6 Pote-

6 Poterunt autem (quin & meo iudicio debent) vnico in casu errata delinquentium quantumcumque antiqua, & a memoria hominum elapsa, inquirere, videlicet; quãdo delinquens in eodem genere delicti alias delinquere solitus fuerit, siue alias punitus, siue non, dummodo aliqualiter constiterit vel per famam, vel per indicia æquipollentia: & eo casu perquirenda talia prætérita delicta nullatenus, vt puniantur: sed solum vt cognoscatur plenius, an talis p̃tésus reus delinquere sit solitus. His duabus limitationibus, nempè in eodem genere delicti, non autem in diuerso disparato; non ad puniendum, sed ad plenius cognoscendum delinquentis vitam, & morem, & præsentis prætensi delicti probabilitatem, & non aliter, nec alio modo, vel fine poterunt antiqua perquiri delicta.

7 Quæ vero antiqua dici possint, & a iudicio repellenda, vel omninò vel saltem quoad punitionem modo supra exposito, non est meum decernere; sed arbitrarer, quod trãsacto cuiuslibet Prouincialatus triénio, & peracta visitatione per commissarium in fine cuiuscumque Prouincialatus transmitti solitum; completoque talis Commissarii múnere, ac syndicatu, nullus deberet omninò remanere iudicii locus pro delictis in præterito prouincialatu commissis.

8 Dummodò nõ insurgerent noua indicia, vel cõtinuatio in iisdem delictis, vel constiterit, tam Prouincialem præteritum, quam Commissarium præfatum iustitiam violasse, fraudolenterque peccata silentio inuoluisse. Cętera verò iudici competentia essentialiter, cum habeant necessariã connexionẽ cum pertinẽtibus ad actorẽ, vel reũ, suis quibusq; locis respectiuè pertractabũtur.

De modo terminandi processus in causis criminalibus summariè, & breui. Cap. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Prælati, quoad possunt, summariè procedant, & sine strepitu Iuditii.*

2 *Quod obseruandum tam in processu ex munere, quam ad instantiam partis.*

3 *Nam religiosis institutis maximè congruit.*

1 Bifariam Prælati Regulares terminare possunt iudiciales processus, vel seruato plenè iuris ordine secundum allegata, & approbata: vel summariè, siue de plano, sola veritate facti inspecta. Quandò itaque Prælati subditos in officio continere sola paterni muneris vi non poterunt, & ad iudicium quasi coacti illis procedendum fuerit, instandum arbitror, & quod non sine graui culpa pretermitti possit, vt prius querant punire subditos sine strepitu iudicii, sed summariè, ac de plano secundum sua regularia statuta, dummodo id sine scandalo, & sine iustitiæ detrimento (quod semper est euitandum) fieri possit.

2 Et hoc tam procedendo iudicialiter ex munere (vt superius dictum est) quam ad instãtiam partis, vt inferius dicetur; sed quia vt plurimũ iste modus magis posse habere locum videtur procedendo ex munere, vbi nulla instat, nulla reclamat pars, quam vbi proceditur ad instantiam partis, ea instante, & reclamante: Ideò hic adnectẽdum istũ procedendi modum duxi: licet vbique, ac

semper

ſemper, quoad fieri poterit, etiam in proceſſib. ad inſtantiam partis cuperem eundem præfatum ſeruari modum, quoad opportunè fieri poterit.

3 Namq. in Religione quid turpius, aut Religioſis inſtitutis pernicioſius, quam, quod Prælati ipſi, quorum intereſt pacem, quietem, traquillitatem, & charitatẽ pro viribus fouere, fiſcales fiant acerbiſſimi, & duriſſimi, & oĩa ſtrepitu, altercatione, contentioneque repleantur? quæ oĩa pro viribus euitãda ſunt, euitariq. facile poterunt, ſi abſque iudicii ſtrepitu ſummariè, ac de plano de Diffinitorum, vel aliorum grauiſſimorum Patrum conſilio, & conſenſu feratur ſententia in delinquentes. Et dicit Rodericus Emanuel to. cit. q. 3. ar. 1. quod iuris Pontificii eruditi hunc modum procedendi maximè commendant inter Regulares, abſtinendũq. ab illo exacto, & pleno iuris ordine, tum quia id contentionis genus cũ monaſticæ inſtitutionis tranquillitate multũ pugnat; tum quia eo pertinent monaſteriorũ inſtituta, vt ſecundũ ea oĩs monacorũ vita tẽperetur, prout dicitur in iure canonico c. qualiter & quando & c. olim de accuſat. Et hinc eſt, quod aiunt Panor. in c. ſi quis, & in c. cum contingat de foro competenti. & Lupus, & Felinus ab eodẽ citat in. 5. Prælati Regulares in monacorum cauſis diſceptandis iuris apices proſequantur. Nam ſequeretur alias, vt eſſent conſulendi Iuriſperiti ſeculares, & nummi ad eorum ſumptus ſuppeditandi, & alia eiuſdem generis incommoda, quibus nimium Religionis candor macularetur.

De

De quatuor seruandis particulis in modo procedendi summariè. Cap. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor particulæ explicantur in modo procedendi summariè.*
2 *Quid per particulam simpliciter intelligatur.*
3 *Secunda particula, idest summariè explicatur.*
4 *Tertia particula, idest de plano explicatur.*
5 *Explicatur quarta particula, idest sola veritate facti inspecta.*
6 *Ius gentium quid sit apud Regulares.*
7 *Itaque summarie procedendum in causis grauibus.*
8 *In leuiusculis autem ad statuta, vel Iudicis arbitrium.*

1 VT verò nil essentiale in huiusmodi modo procedendi omittatur, quatuor sunt particulæ notãdæ, quas põderãt Iurisperiti, & Canonistæ, videlicet, vt procedatur simpliciter, summarie, de plano, & sola veritate inspecta. Per quas particulas essentialia iudicii significantur; prout notãt Panor. Paulus, Card. Felinus, Hostiens. Romanus, Bald. quos citat, & sequitur Rod. vbi sup.

2 Itaque particula simpliciter excludit calumniatorias omnes delationes, & dolosas dilationes, inanesque exceptiones, adeò quod si constet de commisso delicto, vt notat Bart. in l. 1. §. tene illud. ff. ad Silan. & Ant. Gomez. de delict. c. 9. tit. c. nu. 2. tunc essentiale seruabitur iudicii quoad primam particulam.

F 3 Secun-

3 Secunda vero, ideſt ſummariè, id ſignat, vt quæ ad iuditij vim, & naturam attinent, ſolum adhibeantur: quæ ſunt, vt capitulorum copia, de quibus cauſa dicenda eſt, reo tradatur; ſed ſummariè, nempè quoad ſubſtantiã omiſſis leuioribus circumſtantiis, & quæ propalare poſſent reo actorem, vel teſtes. Et hoc eſt, quod ait Hoſtiēſis citatus a Roderico, vbi ſupra, quod Reo manifeſtanda quidem ſunt dicta teſtium, ipſorum vero nomina ſilentio inuoluenda: nam cum Religioſis plurimum commodi ex animi tranquillitate procedat, nihilque ſic Religionis quietem labefactet, quam teſtium nomina manifeſtare, cum ex eo acerbiſſima inter fratres excitentur odia, vltiones expectentur, innumeraque perturbationum naſcantur ſemina; ſummariè itaque capitulorum notitia concedi debet excluſis teſtium nominibus, & particulis, quæ illos manifeſtare poſſint; dummodo (vt dictum eſt, & notat Panor. in d. c. qualiter, & quando) iuſtitia detrimentum non patiatur, & defenſioni locus nō præcludatur, vt contingere poteſt in grauiſſimis cauſis criminalibus, quod quidem iudicio, prudentiæ, charitatique Prælatorum ponderandum, & arbitrandum. Et ego in quadam cauſa criminali ſatis graui ſic practicaui, cum eſſem Prouincialis, quod cum Reus inſtaret teſtium nomina ſibi pandi ad ſe defendendum, & ego ex eo coniicerē maximam perturbationem, ac perniciem Reip. euenturam, elegi potius reum impunitū dimittere, cauſamq. ſilentio inuoluere, quam teſtium nomina reſerare, cum ſolum eorum dicta ſummariè (vt dictum eſt) reo ad ſe defendendum tradidiſſem.

4 Tertia particula de plano ſignificat ſecundum Paulum, vt, omiſſa ſolemnitate ſedēdi, etiā feriatis diebus, in

causa procedi possit, & secundum concessionem Bonifacii Octaui postpositis vanis exceptionibus, tergiuersationibus, & appellationibus, quæ in hoc Iudicio summario nullatenus admitti debent, nè lites, & contentiones inter ipsos regulares immortales fiant in disciplinæ regularis destructionem, & regularis obseruantiæ totalem euersionem.

5 Quarta particula, sola veritate facti inspecta, significat, vt solemnitates omnes iuris reiiciantur, ita vt nec de beneficiari pars ad videndũ iurare testes, nec longæ debēt cōcedi moræ, vel interualla; sed moderatū temporis interuallum, & opportunum reo concedendum, nè imparatus, & incautus causam dicere cogatur, & præterea ex hac particula iuris omnes reiici debent rimulæ, vel apices, & solum seruandum ius naturale, ac gentium, vt notant Abbas, & Florentinus a Roderico citati, vbi supra.

6 Ius autem gentium apud regulares sunt eorum generalia statuta, vt notat Mansus de caus. reg. c. 17. p. 27. in fin. quem sequitur Rodericus.

7 Optimum igitur (vt dixi) arbitror, vt Prælati regulares antequam deueniant in quacumque causa criminali ad plenum illum, & rigorosum iuris ordinem, summe enitantur, vt simpliciter, summariè, de plano, &, sola facti veritate inspecta, modo supra exposito procedant. Et hoc in causis grauibus.

8 In leuiusculis enim, vt silentium frangere, ad matutinum semel vel iterum non surgere, omnino sine scriptis ad regulares correptiones, vel iuxta præscriptam statutorum formam, vel ad Prælatorum arbitrium procedi debet post posita prorsus omni tergiuersatione, vel

appellatione, ſicut olim cautum fuit per Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum Dominum Protectorem, Cardinalem Matthæium.

De ſecundo modo procedendi ſecundum plenum iuris ordinem. Cap. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Extremum remedium eſt exactus iuris ordo.*
2 *Quid ſeruandum ſecundum exactum iuris ordinem.*
3 *Quo differt modus iſte a ſuperiori.*
4 *Appellationes, & exceptiones hic admittendæ.*
5 *Longioraque interualla concedenda.*
6 *Sed hic modus extremum ſit remedium.*
7 *Caſus, in quibus præfatus modus adhiberi debet.*

1 POſtremum prorſus, & extremum remedium, & non niſi magnis, & vrgentibus cauſis, & rationib. adhibendum Regularibus eſt recurrere ad plenum illum, & exactum iuris ordinem in proceſſibus.

2 In quo procedendi modo nil eorum, quæ legib. præſcripta ſunt, prorſus omittatur, exceptis tamen quibuſdam ſolemnitatibus iuris, apicibus, & rimulis, ad quæ nunquam regulares tenentur, ex conſtit. Bonif. VIII. ſæpius citata vbique gentium vſu recepta inter omnes Regulares.

3 Differt verũtamen in multis modis iſte a præcedenti: nã in hoc non ſummariè, vt in priori, ſed plenè, atq. exactè accuſatoris, ac teſtium nomina ſunt propalanda, & ſingulorum dictorum a principio vſq. ad finem proceſſus plena, & integra copia ritè collationata, nulla particula

ticula prætermissa reo tradi debet ad se defendendum; & hoc est, quod ait Panorm. in d. cap. qualiter, & quando, & alibi grauissimis id probans rationibus, & ità conciliantur Doctores hac de re discrepantes.

4 Præterea non de plano, vt in priori modo; sed iustæ exceptiones, & appellationes admitti prorsus debent: ordinatè tamen, vt infra dicetur in Tractatu de Defensionibus.

5 Hinc non sufficit solã veritatem facti inspicere; sed oportet longiora interualla Reo ad ipsius petitionem, & instantiam concedere, necnon vltra generalia Religionum statuta respectum, & relationem habere ad leges canonicas, & ciuiles secundum causarum maiorem, vel minorem grauitatem.

6 Et hic modus procedendi, vt dixi, extremum debet esse in Religione remedium; nec ad eum deueniendum, nisi vrgentissima cogente necessitate, nè regularis disciplina relaxetur, & cõtrouersiæ, atq. relaxationes in Religione immortales reddantur, sicut in foro sæculari. Prælatorũ itaq. illud esto iudicium, quando (prius tamen cæteris procedendi modis superioribus semper adhibitis) modus iste denique sit applicandus.

7 Casus verò frequentiores illi erunt, quando videlicet eo nõ adhibito iustitia detrimentũ pateretur: vel quãdo reus indefensus maneret; vel quãdò grauissimę sunt causæ, vel ratione delicti, vel rõne personæ, de qua agitur; vt sunt Patres ordinis, & qui fuerunt Ministri Prouinciales, & Clarissimi Theologi, & Concionatores Clarissimi, vel etiam Prouinciæ Patres: qui omnes (vt videtur) cum sint Religionis decus, & ornamentum, fulcimentũque, maiori sunt honore, ac reuerentia digni, quam cæ-

teri omnes inferioris notæ: supposito tamen, quod vnicuique suum tribuatur, ac seruetur ius, & fas, in nullo penitus violatum.

Modus procedendi secundum statuta ordinis. Cap. XIX.

SVMMARIVM.

1 *A pœnis legum non licet appellare.*

2 *Constitutio Bonifacii Octaui de modo procedendi inter Regulares.*

Non licet a correctionibus appellare. ibidem.

3 *Ad quæ teneantur, vel non vigore præfatæ constitutionis Prælati.*

4 *Nulla grauis sententia ferenda contra inauditum, vel non conuictum, aut non confessum.*

5 *Inquisitio specialis quo casu liceat.*

6 *Ad interrogandum Reum quæ requirantur.*

7 *Occultè delinquens quomodo puniendus.*

8 *Secus si crimen atrox fuerit.*

9 *Pœnæ statutorum quomodo incurrantur.*

10 *Et quomodo a Prælatis declarandæ, & a Reis subeundæ.*

11 *Item quomodo statutorum censuræ incurrantur.*

12 *Pœnæ debitæ a quo infligendæ.*

13 *Accusantium, testiumque nomina quando aperienda, nec nè.*

14 *Modus præfatus obseruandus a Prælatis ordinis.*

1 Statuta nostra Generalia fol. 139. tit. de correctionibus, & appellationib. aliquas breues regulas tradũt, quæ

quæ vtriq. procedendi modo, singula singulis proportionatè reddendo, seruire possunt; quarũ tenoré de verbo ad verbum hic inserendum duxi: sic igitur decernunt.

2 A supradictis pęnis appellare cuiquã nè liceat, quoniã a legibus appellare non licet; prout iure cautũ est, & specialiter ex constit. Bonifacii Papæ Octaui manifestè constat. Quam constitutionem hic apponendam operę pretium duximus, & censuimus. Bonifacius Papa VIII. ad Augumentum continuum Religionum, & ordinũ, quos Romana suscepit, & approbauit Ecclesia, paternis studiis attendẽtes; & considerantes attentius, quod non intermissa sedulitas disciplinæ, & rigoris ordines supradictos, statusque regulares salubriter dirigit, & conseruat; quodque si eam perire, vel remitti contigerit, Ordo quilibet collabi necessario cogeretur, pẽsantes quoq, quod si regularium personarũ correctio rimas iuris, & apices sequeretur, huiusmodi rigor lentesceret, ac multiplici laxatione torperet: Nos vestris piis supplicationibus inclinati, vobis auctoritate Apostolica indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones fratrum eiusdem ordinis delinquentium infligendas, Prælati ordinis supradicti, ad quos ea spectare noscuntur, rimulis iuris, & apicibus eius postpositis, liberè procedere valeant, secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, & facienda ordinis instituta. Nec volumus eisdem licere fratribus ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, pręuia deliberatione, & maturitate debita oseruatis.

3 Cum autem hæc Apostolica constitutio, siue concessio, facta sit ad propulsandas subditorum calũnias, & ad compescendam nimiam Prælatorum in puniendis fratri

F 4 bus

bus licentiam declaramus, & decernimus, quod licet Prælati omnes ad apices iuris ex ſupradicta conſtitutione non teneantur; vt ſunt citationum interualla, dilationes, interlocutoriæ, & cætera huiuſmodi, quę non ſunt de eſſentia iuris: non tamen poſſunt in actis iudicialibus pro eorum arbitrio procedere, ſed iure diuino, ac naturali ad ſubſtantialem iuris ordinem tenentur.

4 Ideò ſtatuimus, & decernimus contra inauditam partem, aut in eum, qui non eſt legitimè, ac ſufficienter conuictus, aut confeſſus, grauem aliquam ſententiam ferri non poſſe, nec debere, qua quis aut actibus legitimis, aut officiis ordinis priuetur, aut in exilium relegetur, aut aliquo notabili nocumento afficiatur: & latam, ipſo iure nullam eſſe decernimus, atque oppoſitum facientes actibus legitimis perpetuò priuari debere.

5 Rurſus inhibemus, nè Prælati nominatim de peccato alicuius inquirant: niſi eo de crimine fuerit infamia iure notatus, aut aduerſus eum indicia ſint euidentia, vel prababilia.

6 Caueant prætereà Prælati, ne graue crimen aliquod ſuis ſubditis iudicialiter imponãt, vt ad crimen obiectũ reſpondere teneantur, niſi præter denunciatorem, accuſatoremuè, ſit alius ſaltem teſtis fide dignus iuridice interrogatus, vel niſi reus eſset infamia, vel indiciis euidentibus euidenter grauatus. Qui ſecus fecerit Prælatus, officio priuetur ſuperioris arbitratu.

7 Si quis tamen per duos, vel tres conteſtes fuerit cõuictus de aliquo crimine, alias omnino occulto, vt ſæpè cõtingit; tunc non publicè, ſed ſecreto, coram teſtibus reus eiuſmodi puniatur.

8 Verumtamen, ſi crimẽ eiuſmodi atrox fuerit, reus legitime

gitimè conuictus publicè corrigatur, quamuis inter reliquos fratres crimen ipsum alias occultum sit: vt vnius correctio cæteris transeat in exemplum.
9 Declaramus item, quòd quando in statutis pœna carceris, & excommunicationis, suspensionis, aut priuationis exprimitur, vel taxatur, nolumus ad eam obligari, aut teneri fratres, nisi scienter, & ex deliberatione contrarium facientes. & etiam vbicumque taxatur pœna ipso facto incurrenda, decernimus in pęnam eiusmodi neminem incurrere, nisi post declarationem factam a Prælato.
10 Prælatus autem non declaret quemquam commisisse delictum, pro quo pęna ipso facto erat imposita, nisi prius per rei euidētiam, vel alias legitime de crimine constiterit, facta verò declaratione, ipso facto absque alia impositione reus taxatam pęnam incurrat.
11 Declaramus quoque, quòd vbicumque in constitutionibus censura excommunicationis, aut suspensionis, etiam sententiæ latæ continetur, censura eiusmodi ante declarationem (vt supra) non incurratur.
12 Et, si ibi expressum non fuerit, à quo pœna imponi, aut infligi debeat, intelligatur ab eo infligi debere, seù declarari, coram quo legitimè probatur excessus, dum modo ad eundem pertineat ipsius excessus correctio.
13 Ad pacem autem inter fratres conseruandam, ordinamus, vt Prælati nullo modo testium, vel accusantium, nomina reis manifestent, quamuis etiam ad instantiam, & punitionem procedant, nisi vbi, & quandò eorum iudicio in oppositione alicuius grauis, & infamatorii criminis iustitia periclitaretur. Nam eo casu, si reus petat, & accusantium, & testium nomina sibi notificari debere, non

bus licentiam declaramus, & decernimus, quod licet Prælati omnes ad apices iuris ex supradicta constitutione non teneantur; vt sunt citationum interualla, dilationes, interlocutoriæ, & cætera huiusmodi, quę non sunt de essentia iuris: non tamen possunt in actis iudicialibus pro eorum arbitrio procedere, sed iure diuino, ac naturali ad substantialem iuris ordinem tenentur.

4 Ideò statuimus, & decernimus contra inauditam partem, aut in eum, qui non est legitimè, ac sufficienter conuictus, aut confessus, grauem aliquam sententiam ferri non posse, nec debere, qua quis aut actibus legitimis, aut officiis ordinis priuetur, aut in exilium relegetur, aut aliquo notabili nocumento afficiatur: & latam, ipso iure nullam esse decernimus, atque oppositum facientes actibus legitimis perpetuò priuari debere.

5 Rursus inhibemus, nè Prælati nominatim de peccato alicuius inquirant: nisi eo de crimine fuerit infamia iure notatus, aut aduersus eum indicia sint euidentia, vel prababilia.

6 Caueant præterea Prælati, ne graue crimen aliquod suis subditis iudicialiter imponāt, vt ad crimen obiectū respondere teneantur, nisi præter denunciatorem, accusatoremuè, sit alius saltem testis fide dignus iuridice interrogatus, vel nisi reus esset infamia, vel indiciis euidentibus euidenter grauatus. Qui secus fecerit Prælatus, officio priuetur superioris arbitratu.

7 Si quis tamen per duos, vel tres contestes fuerit cōuictus de aliquo crimine, alias omnino occulto, vt sæpè cō tingit; tunc non publicè, sed secreto, coram testibus reus eiusmodi puniatur.

8 Verumtamen, si crimē eiusmodi atrox fuerit, reus legitime

gitimè conuictus publicè corrigatur, quamuis inter reliquos fratres crimen ipsum alias occultum sit: vt vnius correctio cæteris transeat in exemplum.

9 Declaramus item, quòd quando in statutis pœna carceris, & excommunicationis, suspensionis, aut priuationis exprimitur, vel taxatur, nolumus ad eam obligari, aut teneri fratres, nisi scienter, & ex deliberatione contrarium facientes. & etiam vbicumque taxatur pœna ipso facto incurrenda, decernimus in pœnam eiusmodi neminem incurrere, nisi post declarationem factam a Prælato.

10 Prælatus autem non declaret quemquam commisisse delictum, pro quo pena ipso facto erat imposita, nisi prius per rei euidētiam, vel alias legitime de crimine constiterit, facta verò declaratione, ipso facto absque alia impositione reus taxatam pœnam incurrat.

11 Declaramus quoque, quod vbicumque in constitutionibus censura excommunicationis, aut suspensionis, etiam sententiæ latæ continetur, censura eiusmodi ante declarationem (vt supra) non incurratur.

12 Et, si ibi expressum non fuerit, à quo pæna imponi, aut infligi debeat, intelligatur ab eo infligi debere, seù declarari, coram quo legitimè probatur excessus, dummodo ad eundem pertineat ipsius excessus correctio.

13 Ad pacem autem inter fratres conseruandam, ordinamus, vt Prælati nullo modo testium, vel accusantium, nomina reis manifestent, quamuis etiam ad instantiam, & punitionem procedant, nisi vbi. & quandò eorum iudicio in oppositione alicuius grauis, & infamatorii criminis iustitia periclitaretur. Nam eo casu, si reus petat, & accusantium, & testium nomina sibi notificari debere, non

re, non est ei denegandum; sed iis, & aliis eiusmodi ad formam iudicialem pertinentibus; latius in libello, siuè practica criminali, &c. Hæc statuta nostra.

14 Præfatus modus a statutis nostris præscriptus, nullatenus a nostris Prælatis transgredi licet, quem hic apposui; vt Prælati sciant ad illum teneri, nedum procedendo ex munere iudicialiter, sed etiam procedendo iudicialiter ad instantiam partis per quācumq. viam: sed quia valdè diminutus est vt constat; ideò supplendo pro viribus meum sequar institutum abstinendo ab allegatione præfatorum statutorum, vt plurimum, cum hic perquam clare habeantur.

TRA.

DE MODO CORRIGENDI REGVL. AD INSTANTIAM PARTIS.

Tractatus Quartus.

PRAEAMBVLVM.

SVMMARIVM.

1 *Diuisio bimembris. Subdiuisio bimembris.*

EXpleto Tertio Tractu, in quo de Iudice competenti actũ est, & de modo procedẽdi ipsius iudicis, vel Prælati, tã paternè, quam iudicialiter ex munere: nunc explicandus est modus procedendi ad instantiam partis. Quę pars in omni criminali Iudicio est Actor: in Actore porrò duo essentialia necessariò principaliter concurrunt; nempè Actor ipse, ac probationes. De Actore tria sunt ponderanda videlicet correctio fraterna regulariter ab ipso præmittenda, Denunciatio, & Accusatio: de quibus ordinate dicendum, & primum de correctione fraterna.

De Correctione fraterna, & de tribus ex parte delinquentis ad illam requisitis. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *Ad correctionem fraternam omnes tenentur.*

2 *Tres conditiones ex parte delinquentis. Prima nullus corrigendus nisi ob peccatum lethale.*

3 *Vel*

3 *Vel ob veniale dispositiuum proxime ad mortale.*
4 *Secundo, quod sit emendę spes.*
5 *Quando quis teneatur dubitans de fructu.*
6 *Tertio, quod sit opportunitas temporis.*

1 CVm in regulari disciplina illud fundamentum iaci permaxime cupiam, vt priusquam ad aliquem iudicialem actum deueniatur, a correctione fraterna incipiatur semper; hinc ab illa exordiẽdo in hoc tractatu illam de iure naturali diuino esse, ac positiuo, & ad illam omnes teneri sub peccati mortalis pęna notissimum suppono, & quemadmodum Iudex prius paterne quam iudicialiter procedere debet, vt superius ostesum est; ita pars nonnullis circumstantiis, & conditionibus vt statim dicetur ex Gersone Trac. 14. de Corr.

2 Quarum tres enumerat ex parte delinquentis, & tres ex parte corrigentis. Prima ex parte delinquentis est, quod nullus tenetur corrigere, nisi propter peccatum lethale a corrigendo patratum: nam finis correctionis est proximi salus, & lucrum, vt constat ex Euangelio, & Patribus: non autem perditur proximus, nisi propter peccatũ lethale. Igitur propter id tantũ est corrigendus.

3 Vel etiam propter veniale proximẽdispositiuum ad mortale, vt docet Sotus, quem sequitur Nauarrus in cap. inter verba concl.6. & in Man. c.24.n.12. Gerson. Trac.14.de correct. quos adducit, & sequitur Rodericus q. 8. ar. 1. & 2.

4 Secundo ex parte delinquentis requiritur, vt in eo sit spes emẽdationis ad hoc, vt quis ad fraternam teneatur correctionem, ad quam non tenetur, si nullum inde speret fructum, & multo minus quãdo ex correctione illum

deterio-

deteriorem fieri dubitaret: nam tali casu deficit correctionis finis, qui est proximi salus.

5 Verum est tamen, quòd credens correctionem suam nullum damnum allaturam, licèt dubitaret de spirituali profectu, ad eam obligatur; vt docet contra Caietanũ Adrianus, & Sotus, & D. Chrisostomus adducti a Roderico vbi supra. Namque sicut non est licitum pro tali desinere orare, sic non est licitum cessare a correctione ipsius in casu, quo sine fructu damnum timeretur vel publicum, vel priuatum, vt v. g. si crederet subditus corrigendo Prælatum ipsum potius irasci, quam spiritualiter proficere, ac inde iracundia percitum, totam inquietaturũ communitatem, nullatenus ad eum corrigendum astringetur, vt docet D. Thomas, quem citat, & sequitur ibid. Rodericus.

6 Tertia conditio, quę ex parte delinquentis teneri similiter videtur, est ipsa temporis opportunitas, eo vsque enim differenda est correctio, quousque speretur temporis opportunitas ad salubriter, & fructuosè corrigendum proximum: sine qua opportunitate prudentissimè iudicanda non tenebitur quis ad correctionem fraternam.

De tribus requisitis ex parte corrigentis in correctione fraterna. Cap. II.

SVMMARIVM.

1 *Tres conditiones ex parte corrigentis, prima vt nullatenus quæratur occasio.*

2 *Secunda, vt ex charitate leniter corrigat.*

3 *Tertia, vt corrigens ponderet suum statum.*

4 *Ter-*

4 *Tertia conditione hac non obstante, quando quis tenea tur.*

5 *Non tenetur quis ad corrigendum se ipsum, vt corrigat proximum.*

6 *Secus de Prælato.*

7 *Secus etiam de priuato cum inuincibiliter ignorante.*

8 *Auctor sentit aliter quo ad vltimum casum.*

9 *Et similiter quo ad primum, quod probat.*

1 CONditiones ex parte corrigentis enumerat Gerson, vbi supra. Prima est, quod habeat certam cognitionem peccati oblatam, quomodocumque & nullatenus quæsitã: nullus enim tenetur inquirere de vita proximi, nisi Prælati ex munere, vt supra. quin peccatum esset, curiose illam peruestigare.

2 Secunda Conditio corrigentis est, quod in spiritu lenitatis, & suauissime corrigat, adeò, vt clarissime cognoscat correctus eam ex amore fraterno, & fraterna charitate prouenire in ipsius correcti commodum, & salutem.

3 Tertia denique conditio est, vt corrigens cõsideret seipsum, & suum statum, & gradum, & illum cum gradu, & statu delinquentis comparet, diligenterque ponderet, si aliquis idoneus existat ad hoc munus correctionis subeundum, vel qui magis teneatur; & quem speret non deficere in sibi debito munere: in his enim, & similibus casibus non tenetur quis minus idoneus, & inferioris conditionis corrigere delinquentem. Pondera re denique debet, an in peccato existat mortali, & præsertim in eodem, de quo delinquens est corrigendus.

4 Et, si, hoc non obstante, præcognoscat suam correctionem

ctionem profuturam, eam omnino adhibere tenetur ex D. Tho. 2.2.q.33.ar. 5. si verò cognoscat correctionem esse frustratoriam, ad illam non tenetur secundum sententiam Roderic. q. 8. art. 3. in quam etiam citat Ludouicum Lopez.

5 Et addit, quod talis existens in peccato non tenetur conuerti ad Dominum, si sit persona priuata, vt corrigat fratrem suum, sicut prodigus non tenetur perquirere diuitias dissipatas ad subueniendum pauperi, etiam in casu grauis necessitatis.

6 De Prælato vero cum Soto, & Arag. contrarium sentit, vt videlicet seipsum corrigere teneatur, si constet ex sua bona vita subditos spiritualiter profectum iri.

7 Limitat etiam in priuatis, & vult, quod teneantur ad correctionem illorum, qui alicuius præcepti Decalogi habent inuincibilem ignorantiam, velut, si quis ignoraret, simplicem fornicationem esse peccatum. Talis enim ignorantia contingere nequit sine magna Dei irreuerentia, & sine graui Reip. Christianæ damno, ut notat ex Arag. quem sequitur.

8 Sed, tanti viri pace, vltimus casus nullatenus pertinebit ad fraternam correctionem, sed ad spirituale documentum, eritque opus misericordiæ spiritualis distinctum a correctione, vt constat, & docet Nauar. in Man. cap. 24. num. 12. quòd est docere ignorantes; ad quod tenentur omnes, siuè existant in peccato, siue non, præsertim in tali proposito casu, & similibus quemadmodum omnes tenentur ad subueniēdum proximo in casu necessitatis corporalis, siuè existant, siue non existāt in peccato: nam quilibet, quātuncumq. peccator, tenetur semper ad euitāda noua peccata: quæ tamen incurreret

si in

ſi in præfatis, & ſimilibus caſibus delinqueret.

9 Limito etiam Rodericum in eo, quod ait exiſtentem in peccato non teneri ad corrigendam vitam ſuam, vt inde poſſit corrigere fratrem: nam ſi eius peccatum ſit aliis in ſcandalum, & præſertim ipſi corrigendo, talis ita peccans etiam priuatus, ne perdat proximum ſuo ſcandalo, ſeipſum corrigere, ac emẽdare tenetur iuxta communẽ: & ſpecialiter Nauarr. in Man. c. 24. num. 23. & ſic, ex communi præcepto, iam correptus, & emendatus fratrem corrigere tenetur, quem dubio procul maximè mouebit, eo præcipue fragilitatem ſuam confitendo, ſe olim in ſimilibus implicatum, & per gratiam Dei liberatum oſtendendo; Cæterũ iuxta eiuſdem Nauarri doctrinam in Man. cap. 24. n. 12. vnuſquiſque, quantumcunque peccator, ad correctionem proximi tenetur, cum nemini ſua malitia prodeſſe, aut bonitas nocere debeat. c. 1. de poſtul. prel. l. itaq. fullo. ff. de fur. & vnumquemque poſſit ope diuina ſuorum peccatorum pænitere; cap. ponderet. 60. diſtinct. & inde proximum corrigere.

De correctione fraterna in peccatis pernicioſis.
Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Quid agendum in delictis pernicioſis.*

2 *Gradatim procedendum: primo potentiorem adeundo aliquem.*

3 *Secundo Prælatum ipſum, & reipublicæ moderatorem.*

4 *Vel*

4 *Vel proximus præmonendus.*
5 *Vel opportunius adhibendum remedium.*
6 *In quo multi errant grauiter, grauiusque Prælati ipsi.*

1 SI aliquando peccatum, quod tẽtatur, in damnum cedens Reipublicę, vel alicuius tertii redundare videbitur; & id per fraternam correctionem impediri non posse probabiliter iudicabitur, in tali casu omne possibile remedium adhiberi debet ex præcepto charitatis sub pœna peccati mortalis, vt damnum illud euitetur, v. g. si quis pararet insidias ad occidendum proximum, vel publicum ærarium exhaurire tentaret, & inter nos publicas eleemosynas furari, vel coniurationem, aut conspirationem in detrimentum famæ proximi malignè ordiri, in his, & similibus quisque pro virili omne possibile remedium adhibere tenetur, vt dixi.

2 Sed gradatim procedendo, vt semper occultetur delictum, & saluetur proximi fama: primo, videlicet, aliquem potentiorem, & grauiorem adeundo, qui possit, & velit prudenter absq. vllo scandalo tale impedire orditum facinus, & si non sequeretur omnimoda salus in machinante, sat erit, vt damnum reparetur reip. vel proximi, & malignus machinam suam detectam videns, vel saluetur, vel confundatur, & sic, vel ex confusione tandem resipiscat, quod si non, sua propria malitia, & obstinatione damnabitur.

3 Si verò potentior, & ad id idoneus reperiri nequiuerit, cautè monendus est, vel reip. moderator, si damnum, quod intentatur, est contra Rempublicã, vel Princeps, vel Prælatus, secundum facti exigentiam, & qualitatem rerum, & personarum respectiuè.

4 Vel ipſemet proximus præmonendus, ſi machinatio eſt contra priuatum, vt ſibi cauere poſſit, & intentatũ damnum euitare, quod maxima cum cautela eſt præſtandum, nè inde maioris diſcordiæ, vel ſcandali maioris occaſio inter proximos oriretur.

5 Et denique opportunius, & ſalubrius remedium eſt adhibendũ ad pręfatum euitandum damnũ, vel reipublicæ, vel priuatæ viri, ſecundum vniuſcuiuſque charitatem, & prudentiam, quæ hic maximè præualent, & ſine errore dirigent.

6 Qua in re multos errare grauiſſimè vidi, qui nedum proximũ monitũ non fecerunt de imminenti ſibi parato per inſidias dãno, præſertim in fama, & honore; ſed potius coniurantes, & conſpirantes omni pietate, & charitate ſpoliatos proximi ruinam, & euerſionem per crudeles inſidias intẽtare vidi publicè, & ſub Prælatorum oculis, ac ſi nulla eſſet culpa, vel peccatum, ſed virtus, & meritum, quod impiiſſimum, & pernicioſiſſimum eſſe in Religionibus nullus non videt.

Qua forma, & quomodo adhiberi debet correctio fraterna. Cap. IIII.

SVMMARIVM.

1 *In correctione fraterna ordo a Christo præſcriptus.*
2 *Nec obſtat, ſi ſolus corrigens delinquentem nouerit.*
3 *Sed in ſecretis delictis nullatenus ad iudicium deueniendum.*
4 *Cautè porrò, ac maturè procedendum.*
5 *Aliquando ſtatim adhibendi teſtes.*
6 *A teſtibus adhibendis quando abſtinendum.*

7 *Aliquan-*

1 MOdum corrigendi clarissimè præscripsit Christus Dominus ore proprio Mat. 5. quare oīno seruandus, & nullatenus variandus, & mirū est, quod sic ab omnib. floccipédatur christicolis; At prorsus intolerabile, quod ēt a viris religiosis, & vitam perfectā euangelicam profitétib. Essentiale itaq. arbitror, & de iure diuino positiuo expresso, vt antequā frater fratré, vel enunciet, vel accuset, illū fraternè corrigat modo a Christo Domino pscripto, vt prius, videlicet fratrem delinquenté inter se, & ipsum solum corrigat, quod si non resipuerit, adhibeat duos, vel tres testes grauissimos, & secretissimos, & meliores, quos adinuenire poterit, & delinquentis magis amicos: & (vno verbo) illos, quos magis aptos iudicauerit ad conuertendū, lucrandū, & saluandum fratrem.

2 Nec obstat, si solus corrigens peccati delinquentis esset conscius, & ideo adhibendo duos, vel tres infamaretur delinquens: nam spiritualem salutem præferri debere bono temporali famæ docuit expresse Christus, cū præcepit dictam correctionem coram duobus, vel tribus testibus peragendam.

3 Dummodo intra terminos fraternæ, vel paternę correctionis cōtineatur, & nullo modo in peccatis secretis ad iudiciū deueniatur, vt inferius dicetur. Cæterum infra dictos terminos vsq. ad euangelicam denunciationē deueniri

ueniri debet forma præſcribenda, vt ſic, vel cõfuſus peccator ad frugem ſe meliorẽ conuertat. In peccato porrò ſic ſecreto nõ poſſe procedi vltra correctionẽ hãc fraternã, & deniq. euangelicam denunciationẽ abſolutè reſoluo: ſecus in peccato commiſſo corã plurib. vt infra ſuis locis dicetur. Itaq. poſſe adhiberi teſtes fraternè corrigẽdo, etiã in peccato ſecreto, aſſerit Rodericus vbi ſupra; dicens, hanc eſſe cõmunem opinionem oĩum Doctorũ.

4 Limitationes tamẽ addit peroptimas, vt videlicet antequam adhibeãtur teſtes, repetatur ſæpius iteratis vicibus correctio fraterna priuatè ſine illis,

5 Dummodo ſit aliqua ſpes emendæ; alias nõ reiteranda, ſed ſtatim teſtes adhibẽdi: quod corrigẽtis arbitrio, & prudentiæ relinquendũ; qui præ oculis habere debet fratris lucrum, & ſalutem, opportuniori, ſuauiori, ſecretiori, & citiori modo poſſibili, nè diutius frater in ſtatu peccati mortalis inſoleſcat, & indè obſtinatior fiat, & incorrigibilior, & iram Dei magis incurrat in dies.

6 Præterea limitandum, quod ſi proximus ex dictorum teſtium aſſiſtentia præcognoſcatur non emendandus; ſed timeatur ipſum petulantiorem fieri, & in deteriora lapſurum, amiſſa iam verecundia, prorſus abſtinendum a dictis teſtibus adhibendis.

7 Et ſi efficacior, & opportunior modus iudicabit lucrãdi fratrẽ, Prælatũ ſtatim adeundo, omiſſis teſtib. & aliis, vt ſup. corrigẽs Prȩlatũ ipſum immediatè adire tenetur.

8 Si tamen Prælatus ſcientia, zelo, prudentia, & charitate tanto munere digna ſit præditus: alias prorſus abſtinendum, nec ad ipſum, etiam vt ad patrem, accedendũ.

9 Multoties enim qui aliquando ſubditi exiſtentes videbantur benigni, manſueti, & pii, atq. zelo, & charita-

te

te plenissimi: postea Prælati effecti, vt zelantes appareant, rigorose nimis; vel potius crudeliter procedentes, barbari tyranni appellari magis possunt, quam patres, cum paternis charitatis visceribus omnino sint spoliati, & destituti.

10 Prudentia igitur, & charitas corrigentis in similibus casibus ipsum docebit opportuniorem, salubriorem, & efficaciorem modum corrigendi proximum.

11 At regulariter modus a Christo Domino præscriptus est seruādus. Quod si probabiliter, seruatis, vt supra, seruandis nulla sit spes correctionis, & peccatū sit sine proximi scandalo, reipublicæ detrimento, vel etiam tertii, is omninò Dei iudicio dimittendus, & cōmittendus, orationibusque iuuandus, nec vllatenus infamandus.

12 At, si peccatum fuerit cum proximi scandalo, & cum detrimento Reipublicæ, vel etiam cum euidenti damno tertii, prouidendum est omninò meliori, & opportuniori modo iuxta superius traditas regulas, & limitationes: & nisi aliud occurrat remedium, deueniendum est ad accusationē, vel denunciationē, vel cautam admonitionem tertii, contra quem intentatur damnum, seruatis seruandis, vt superiori capite expressum est.

De Correctione fraterna, an sit cum periculo vitæ adhibenda. *Cap. V.*

SVMMARIVM.

1 *Aliquando cum periculo vitæ correctio adhibenda.*
2 *Nunquam tamen extra casum talem.*
3 *Opinio Roderici, contra quem sentit Auctor.*

4 *Idem in detrimento famæ.*

5 *Excipiunt aliqui Prælatos, contra quos sentit Auctor.*

1 CORDUBA citatus a Roderico q. 8. ar. 5. cum Nauarro, & Adriano, quos amplectitur, docet, quod intelligẽs fratrem in peccato mortali vitam finiturum, nisi ab eo fraternè corrigatur, tenetur cum periculo vitæ charitatiuum istud correctionis fraternę munus explere. Siquidem Dominus noster animam suam pro suis dedit ouibus: & quemadmodum quis tenetur succurrere infanti, quem sine baptismo videt ab hac vita discedere: sic tenetur vitæ spirituali proximi in extrema necessitate existentis cum periculo propriæ vitæ corporalis: licet Soto contrarium teneat de baptismo dicti infantis.

2 In casu verò non extremæ necessitatis nemo tenetur cum tanto periculo fraternam explere correctionem, nam tunc aliis modis bonum spirituale proximi prouideri poterit.

3 Addit Rodericus ibidem, quod si præuideretur ex negatione talis correctionis fraternæ proximum in mortali peccato moriturum, præstanda esset fraterna correctio cum periculo vitę etiam extra casum extremæ necessitatis; At huiusmodi præcognitionem ego reputo impossibilem intellectui creato, cum solum Deus pręcognoscat prædestinatos, & reprobos, & ex consequenti qualis debeat esse vniuscuiusque finis, & exitus. Cæterum nos mortales nequaquam id iudicare, vel præcognoscere possumus: quare mihi resolute dicendum videtur, vt extra casum extremę necessitatis fratris existentis in peccato

cato mortali notorie, & de propinquo morituri nullus teneatur ad fraternam correctionem cum periculo propriæ vitæ,

4 Vel etiam cum graui famæ detrimento, vt sentire videtur Soto ab eodem Roder. citatus, & idemmet Rodericus in fine adducti articuli; quare multo minus tenebitur quis cum periculo vitæ, cum sit bonum altioris gradus, iuxta communem sententiam receptissimam: quare non est admodum sibi constans Rodericus in hoc, alias eruditissimus.

5 In sequenti vero excipere videtur Prælatos, quos teneri vult ad correctionem subditorum, etiam cum periculo vitæ iuxta sententiam Soti: quam tamen impugnat sequendo Caietanum, cui Caietano & ego assentio, licet non ex ratione, quam Rodericus ibidem adducit; quia videlicet corrigant quasi vt subditi, & non ex iustitia. Nam superius probatum est, Prælatos ex munere teneri ad visitationem, & correctionem fratrum, & ad alia multa, ad quæ non tenentur subditi. Verumtamen arbitror cum Caietano, muneris debito non obstante, non teneri Prælatos ad correctionem fratrum paternam cum euidenti periculo propriæ vitæ, vel cum certa famæ amissione: in cæteris verò, quæ norunt, vt priuati, secluso Prælati munere, non seueriori, neque arctiori lege obstringendi sunt, quam subditi; & in hoc sensu a Roderico non dissentio, quoad rationem ab illo superius adductam.

DE DENVNCIATIONE.

Tractatus Quintus.

PRAEAMBVLVM.

HOc in tractatu multi multa prolixe nimis: At nos breuiter explicabimus quid, & quotuplex sit denũciatio, singula percurrendo membra.

De Denunciatione Euangelica. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio duplex; Euangelica, & Iudicialis.*
2 *Euangelicæ denunciationis descriptio.*
3 *Cum illa coincidit canonica denunciatio.*
4 *Ad eam non deueniendum, quando sufficit correctio fraterna.*
5 *Cum illis coincidit regularis denunciatio.*
6 *Omnes itaque sub vnica euangelica denunciatione continentur.*
7 *Ea dupliciter expletur.*
8 *Quando adhibendus primus modus.*
9 *Quando secundus adhibendus.*

1 HIc diuisiones, & subdiuisiones vitantes nonnullorum auctorum, qui rem potius confundunt, quam declarent, vnica diuisione contenti, & vnica subdiuisio-

ne

ne primo dico, quod duplex est denunciatio, euangelica vna, iudicialis altera.

2 Euangelicam sic describo. Denunciatio Euangelica est propalatio criminis apud Prælatum, vt ad patrē delata, ad emendationem delinquentis pro eius cōuersione, ac salute, & ad euitandum, vel resarciendum damnum Reip. vel tertij post peractam fraternam correctionem: nam euangelica tunc locum habet, quando, facta fraterna correctione, fratre non emendato, recurrit corrigens ad Prælatum denunciando illi crimen, vt ab ipso paternè corrigatur, & damno imminenti, vel illato prouideatur.

3 Cum ista coincidit denunciatio canonica, vt animaduertit Sotus, & alii; nec enim distinguuntur, vt perperā aduertit modernus Doctor, per id, quod euangelica precisè sit ad emendationem fratris, canonica verò, vt resarciatur, vel euitetur damnum Reip. vel personæ priuatæ: nam vtraq. latissimè patet, parique graditur passu, vtraque enim procedit ex charitate ad correctionem fratris, & obiter ad euitandum, vel resarciendum damnum Reip. vel tertii, & vtraque requirit præuiam correctionem fraternam, vt ex superiori descriptione colligitur, & notant Doctores in cap. nouit. extra de iudiciis.

4 Ex quorum doctrina colligitur, quod vbi est locus correctioni, si illa sufficiat ad correctionem delinquentis, nō est deueniendum ad denunciationem, ad quam si deuenitur non sufficiente præuia correctione, ordo seruatur euangelicus: hinc euangelica denunciatio dicitur, siue canonica.

5 Cum quibus etiam coincidit regularis denunciatio in omnibus: nihil enim addit, nisi præscriptum statutorum

rum cuiuslibet approbatæ Religionis supponendo semper ordinem euangelicum a Christo præscriptum.

6 Et ideo, ne confusionem inducat multiplicatio terminorum absque diuersitate notabili significatorum, eandem omninò facio denunciationem euangelicam, canonicam, & regularem sub vnico semper titulo eas comprehendendo, nempè sub denunciatione euangelica: nam a Christo Domino in Euangelio instituta est, vt dixi.

7 Et hæc duplici modo expleri potest. Primo plenè ordine seruato euangelico, de quo supra; secundo, illo prætermisso, statim, & immediatè ad Prælatum confugitur, delinquentis peccatum ipsi reuelando, vt paternè charitatiueque prouideat.

8 Primus modus est seruãdus regulariter iuxta superiorem descriptionem, quando probabiliter spes conuersionis delinquentis prçconcipitur, quam tandem frustratus corrigens ad Prçlatum recurrit.

9 Secundus verò modus tunc est adhibendus, quando nulla spes habetur emendæ, vel correctionis fratris per correctionem fraternam, sed solum speratur per paternam Prælati grauiorem, & seueriorem admonitionem.

De iudiciali denunciatione. *Cap. II.*

SVMMARIVM.

1 *Denunciationis iudicialis descriptio.*
2 *Ex ea Prælatus inquisitionem instituet.*
3 *Si denuncians renuit probandi onus.*
4 *Cum ea coincidit denunciatio publica.*

5 *Discri-*

5 *Discrimina inter iudicialem, & euangelicam denunciationem.*

6 *In quo conueniant contra secus opinantem.*

1 Denunciatio iudicialis est manifestatio criminis iuridice facta Prælato sine aliqua prætensione, vel iure actionis, sed merè, ac precise ad excitandum Prælatum, vt ipse ad arbitrium suum seruato iuris ordine corrigat, & puniat, & prouideat, prout de iure expedire videbitur, & hæc est sola iudicialis, quæ merè denunciatio est, & de qua semper loquimur, quandocumque in hoc opusculo de iudiciali denunciatione fiet mentio, quę ad munus Prælati excitandum tantummodo fit.

2 Qui sic excitatus inquisitioné instituet, si expediens fuerit secundum Panormitanum in cap. cum oporteat, de accus.

3 Et sic denũcians renuit probandi onus, ac denunciationem prosequendi vsque ad finem: & sic partem in iudicio non sumit, vt constat: sed Prælati conscientiæ, ac zelo totum relinquit onus.

4 Et hæc coincidit cum denunciatione, quam appellant publicam, ad quã tenẽtur officiales, & hęc mea sententia inter Regulares competit specialiter Prȩlatis localibus, qui cum in scriptis procedere non possint, nec processus formare, in grauioribus denũciare tenentur Prouincialib. vel aliis superioribus generalibus, & ipsi superiores tenentur ex officio iuridice procedere. Et aliquãdo hæc eadẽ cõpetit cõmissariis delegatis, vbi in grauissimis causis auctoritate sibi delegata se non posse rite perficere præcognouerint: nam tunc tutius erit abstinere, & superioribus delegantibus denunciare, qui (vt dictum

ctum est) excitati per hanc, iuridice procedere tenentur, prout eis magis expedire videbitur, & sic de aliis inferioribus Prælatis respectu superiorum, vt infra dicetur.

5 Differunt porrò istæ duę denunciationes in multis; nam in euangelica nunquam iudiciali processui est locus, sed regulariter mouet iudicem ad solam paternam delinquentis correctionem, vel ad summũ potest aperire viam iudici per famam, vel per aliud æquiualens, vt ipse nouum instituat procedendi modum per viam inquisitionis ex munere, seruatis seruandis, vt supra. In denunciatione verò iudiciali semper iudicialiter procedere poterit Prælatus statim, si ei expedire videbitur: In euangelica non exigitur a denunciatore, nec a testibus iuramentum. In iudiciali, & ab eo, & ab illis, & deniq. vno verbo in iudiciali omnia essentialia iudicii obseruanda, quæ tali modo procedendi competunt. In euangelica nil aliud requiritur, quam charitatiuum paternum munus ad corrigendos delinquentes forma superius prescripta.

6 Non differunt autem in eo (quod perperam aduertit idem modernus Doctor) quod iudicialis bonum resarciri denuncianti velit, Euangelica verò nequaquam; nam (vt dictum est supra) euangelica etiam restaurationem damni vltra salutem delinquentis prętendit, & publicam, & priuatam, & ab ea semper exordiendum antequam ad iudicialem deueniatur: At differunt in solo modo; nam ibi paternè, hic iudicialiter totum expletur.

An

An Prælati teneantur semper admittere præfatam denunciationem iudicialem, & iuxta illam inquirere: Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *In ea quomodo sit inquirendum.*
2 *Contra viros in ordine eminentes nunquam acceptanda.*
3 *Et vniuersaliter cautius admittenda.*
4 *Quando admittenda, & qualiter.*
5 *Ea prætermissa quid agendum.*

1 PRælatorum est prudenter, ac vigilanter cũ omni zelo, & charitate expendere, an iuridice procedere oporteat, vel nõ: põderantes personã denunciantis, & denunciati cũomnib. circũstantijs, & annexis: nã, si denũciator esset malignus, & inquietus, nullatenus debet audiri; vel si denunciatus esset vir eminens, vita, & moribus per plurimos annos in sua religione probatus, nequaquam acceptanda esset contra eum denunciatio talis, a quocũmque fieret, vel pari, vel etiam magis eminenti: nam sæpe angelus tenebrarum in angelum se transformat lucis: & viri alias piissimi aliquando passione aliqua perciti se pręcipites dant in proximi, præsertim eminentis, depressionem, vel oppressionem.

2 Quare concludo contra tales viros eminentes nullatenus acceptandam talem denunciationem, nè virorum eminentium in Religione fama denigretur: & sic ordo vniuersus, illis extinctis, penitus delustretur, & obscuretur,

tur, ſed contra tales ſolum accuſatio ad pęnam talionis eſt acceptanda, nè malignantes (cuiuſcumque gradus, & cōditionis exiſtant) ſub ſpe indemnitatis, & remanen di impuniti, anſam, & occaſionem captent opprimendi præfatos eminentes viros in religionis dedecus, & detri. mentum irreparabile.

3 Similem doctrinam accuratè tradit Rodericus, q. 6. adducta, art. 8. quam colligit ex iure cap. repellant. de accuſ. cap. ſi pecca. 1. q. 1. & ex Speculatore de Denunc. §. 1. & Hoſtienſ. tit. de inquiſitione. §. 2. & Glo. in cap. cum contingat. de reſcript. & alibi, & ex Baldo, & Gregorio Papa, qui reprehendit quendam Epiſcopum de facili credentem denunciatoribus leuiter, & indè punientem re non bene cognita. Maxima itaque prudentia, & charitate Prælati ſuper his inuigilare debent, nec facilè admittere denunciatores tales, ſed potius tutiorē, & ſecuriorē eligendo viā vbicumq. aliquā habuerint difficultatē, vel dubitationem, eos ad pęnā talionis obligent, & adſtringant: & attēdant, quòd maleuoli, & inuidi delatores, & calūniatores vbicumq. publicentur, dignoſcātur, paruipendātur, & ſpernantur, & odio habeātur, viliſſimiq. ab omnib. reputentur tamquā alienæ famæ inſidiatores, & Reip. pernicioſiſſimi, niſi coerceantur: nam (vt ait Suetonius in Domitiano) Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat. Caueant ergo Prælati, nè huiuſmodi farinæ hominibus ſe immiſceant credendo leuiter, & eorum improbitatis, & impietatis participes fiant in totius ordinis detrimentum, & virorum innocentiū denigrationem famę, & irreparabile damnū.

4 Eſſentiale denique arbitror, vt Prælati, antequam denunciationem quamlibet admittant cuiuſcumque

perſo-

personæ, quamuis insignis, debeant omnino denunciantes interrogare, an fraternam correctionem adhibuerint per se, vel interpositam personã, & omne aliud remediũ possibile, antequã ad ipsam denunciationẽ deuenerint, & maturè, ac discussè ponderatis põderandis, si iudicauerint indebitè fraternã correctionẽ omissam, vel aliquod aliud æquiualens remedium, quod opportunum, & efficax iudicauerint, præfatam denunciationem iudicialem nullatenus admittant, sed solum paternam, & euangelicam modo quo supra.

5 Vel iubeant denunciantibus ipsis, vt indebitè omissa charitatiuè adhibeant, vt minus lædantur, & confundantur subditi, & suauiori modo gradatim corrigantur (vt supra expressum est) priusquam Prælati faciem adire cogantur, vt iudicem. Et regulariter denunciatio nunquam admittenda, si correctio fraterna omissa fuerit, vel aliquod æquiualens remedium, vt dictum est; si ei sit locus.

Quænam Denunciatio nunquam sit admittenda. *Cap. IIII.*

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio subdola nunquam admittenda.*
2 *Quænam sit illa, & qui tales.*
3 *Tales omnino reiiciendi.*
4 *Peccant etiam mortaliter.*
5 *Hæc denunciatio cum accusatione coincidit.*

Quan-

tur, ſed contra tales ſolum accuſatio ad pęnam talionis eſt acceptanda, nè malignantes (cuiuſcumque gradus, & cōditionis exiſtant) ſub ſpe indemnitatis, & remanendi impuniti, anſam, & occaſionem captent opprimendi præfatos eminentes viros in religionis dedecus, & detrimentum irreparabile.

3 Similem doctrinam accuratè tradit Rodericus, q. 6. adducta, art. 8. quam colligit ex iure cap. repellant. de accuſ. cap. ſi pecca. 1. q. 1. & ex Speculatore de Denunc. §. 1. & Hoſtienſ. tit. de inquiſitione. §. 2. & Glo. in cap. cum contingat. de reſcript. & alibi, & ex Baldo, & Gregorio Papa, qui reprehendit quendam Epiſcopum de facili credentem denunciatoribus leuiter, & indè punientem re non bene cognita. Maxima itaque prudentia, & charitate Prælati ſuper his inuigilare debent, nec facilè admittere denunciatores tales, ſed potius tutiorē, & ſecuriorē eligendo viā vbicumq. aliquā habuerint difficultatē, vel dubitationem, eos ad pęnā talionis obligent, & adſtringant; & attēdant, quòd maleuoli, & inuidi delatores, & calūniatores vbicumq. publicentur, dignoſcātur, paruipendātur, & ſpernantur, & odio habeātur, viliſſimiq. ab omnib. reputentur tamquā alienæ famæ inſidiatores, & Reip. pernicioſiſſimi, niſi coerceantur: nam (vt ait Suetonius in Domitiano) Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat. Caueant ergo Prælati, nè huiuſmodi farinæ hominibus ſe immiſceant credendo leuiter, & eorum improbitatis, & impietatis participes fiant in totius ordinis detrimentum, & virorum innocentiū denigrationem famę, & irreparabile damnū.

4 Eſſentiale denique arbitror, vt Prælati, antequam denunciationem quamlibet admittant cuiuſcumque perſo-

personæ, quamuis insignis, debeant omnino denunciantes interrogare, an fraternam correctionem adhibuerint per se, vel interpositam personã, & omne aliud remediũ possibile, antequã ad ipsam denunciationẽ deuenerint, & maturè, ac discussè ponderatis pōderandis, si iudicauerint indebitè fraternã correctionẽ omissam, vel aliquod aliud æquiualens remedium, quod opportunum, & efficax iudicauerint, præfatam denunciationem iudicialem nullatenus admittant, sed solum paternam, & euangelicam modo quo supra.

5 Vel iubeant denunciantibus ipsis, vt indebitè omissa charitatiuè adhibeant, vt minus lædantur, & confundantur subditi, & suauiori modo gradatim corrigantur (vt supra expressum est) priusquam Prælati faciem adire cogantur, vt iudicem. Et regulariter denunciatio nunquam admittenda, si correctio fraterna omissa fuerit, vel aliquod æquiualens remedium, vt dictum est; si ei sit locus.

Quænam Denunciatio nunquam sit admittenda. Cap. IIII.

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio subdola nunquam admittenda.*
2 *Quænam sit illa, & qui tales.*
3 *Tales omnino reiiciendi.*
4 *Peccant etiam mortaliter.*
5 *Hæc denunciatio cum accusatione coincidit.*

Quan-

1 QVandam peruersam adinuenerunt malignantes machinationem, cui denunciationis perpulchrum titulum indiderunt; quæ accusationis vim prorsus habet, & in qua denunciatoris finis, & scopus, & consilium est ea omnia faciendi, & præstandi, quæ ad accusatorem spectant; licet velit sub denunciationis pulchro titulo in tuto se ponere, vt pęnas talionis euadat, & impunitus remaneat in defectu probationis.

2 Tales autem denunciatores sunt, qui vltra productã denunciationem cũ testibus iterum, & sæpius, vel oretenus, vel per litteras Prælatos molestius excitant, atq. vehementer vrgent, & vsque ad causæ finem non desistunt.

3 Et tales vtique, vel omnino sunt expellendi, & reiiciendi, vel omnino compellendi ad probandum, & si legitimas probationes egregiè non præstiterint, talionis pęna sunt plectendi, quo sic a calumnijs, & maledicis litteris, falsisque denunciationibus arceantur.

4 Peccant enim mortaliter sic denunciantes de aliquo iudicialiter, quod probare non valent, vt in iure cap. plerumque. 2. q. 7. c. placuit. 6. q. 2. & cum communi tenet Nauarrus in cap. inter verba. conclus. 6. num. 23. quem adducit, & sequitur Rodericus q. 6. ar. 9.

De tali itaq. denunciatione iudiciali nil aliud hic penitus, quia coincidit, cum accusatione omnino: quare de illa ibi iunctim tractabitur, & nunquam de hac denunciatione verbum facere intendo in hoc opusculo; sed eam penitus reiicio, & ab omni prorsus regularium iudicio eliminanda, & exterminanda veluti admodum noxia, & perniciosa regulari nitori.

Denun-

Denunciatio iudicialis in quo differat ab accusatione. Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Discrimina inter denunciationem, & accusationem.*
2 *Quæ congruunt etiam denunciationi euangelicæ.*
3 *Finis etiam denunciationis iudicialis est bonum publicum.*
4 *Similiter illa intendit vindictam sicut accusatio, sed cum discrimine.*
5 *Hinc descriptiones differentes.*
6 *In errores labuntur plurimi ex confusione terminorum.*
7 *Perniciosum est accusare statim non præmissis aliis remediis.*

1 OMnis vera denunciatio iudicialis multipliciter differt ab accusatione. Primò, quia denunciatio criminis correctionem tantum prætendit, & restaurationē damni, si adest: accusatio autem vltra id punitionē delinquentis prospicit. Secundò denunciatio ex charitatis fonte principaliter scaturit, & secundario ex iustitiæ zelo: accusatio autem ex iustitiæ zelo primo proficiscitur cum charitate coniuncta. Tertiò denunciationē tenētur omnes præstare: accusationē vero nequaquam; vt inferius videbitur. Quarto denunciatio fratre emendato, cessat omnino, adeo, vt nec Prælato, vt patri, crimen manifestari possit, præsertim quando Prælati à visceribus paternitatis deficere cognoscuntur; & probabiliter timeri possit, ne vindictam ex passione aliqua,

potius quam iustitiam quærant: accusatio vero non cessat; quia vltra emendam exquirit vindictam, vel priuatam, vel Reipublicæ cum punitione delinquentis. In accusatione criminis probatio requiritur semper: In denunciatione vero nō est necessaria. Sexto accusator nūquam in iudicio potest esse testis: denuncians vero in denunciatione iudiciali, quam prosequitur Prælatus, iuridice potest assumi in testem, prout docent Soto, de secret. memb. 2. q. 4. par. 41. colum. 2. & lib. 5. de iustit. q. 6. artic. 2. conclus. 4. & Simanc. de institut. nu. 5. & Nauarr. in rubr. de iud. num. 19. & Bannes 2. 2. q. 33. artic. 5. quod probant ex Euangelio, vbi a Christo Domino denunciaturus iubetur adducere secum vnum, vel duos testes, vt vel cū vno ipse concurrēs sint duo, & cū duobus tres existant, quæ sententia verissima, & fundatissima mihi videtur, præsertim si talis denuncians ordinem superius digestum seruauerit: nam eo seruato, constat clarissimè ipsum solum excitare voluisse iudicem ad iudicialiter procedendum, vt superius dictum est. Quare nil obstat, vt in testem a iudice assumi possit, secus vbi denuncians denunciaret, malignè accusare volens, quod Prælati erit discernere ex iam dictis. Septimò accusatio non potest fieri per litteras, denunciatio sic, secundum Abbatem in cap. licet a beato. de accus. nu. 2. & alii. Octauo accusatio requirit ordinariam punitionem ad præscriptum legis; Denunciatio extraordinariam tantum, & mitiorem iuxta Antonium de Butrio in cap. dilectus. de simon. & ratio est, quia procedit magis ad arbitrium iudicis, quam ad instantiam partis, quæ non instat, nec se obligat ad pœnam talionis. Nono accusator potest appellare, ac tenetur se subscri-

bere, ac verificare accusationem; denunciator ad nullũ istorum tenetur iuxta Bossium tit. de denunciat. nu. 14. omnes istæ differentiæ sunt re vera inter denunciationem iudicialem, & accusationem.

2 Qua in re errant dicentes nonnullas earum esse inter denunciationem canonicam tantum, & accusationem, non autem inter accusationem, & iudicialem denunciationem. Bene verum est, quod omnes conueniunt etiam denunciationi canonicæ, quam nos euangelicam appellauimus. Nam (vt constat) multo magis distinguitur ab accusatione, quam denunciatio iudicialis. Et ideo prædictæ omnes differentiæ illi congruunt, & vlterius aliæ, secundum quas denunciatio euangelica differt a iudiciali, vt ostensum est.

3 Errant etiam, qui dicunt, quod finis iudicialis denunciationis est bonum denunciantis precisè: nam potest esse etiam in bonum publicum, & in solam correctionem fratris, vbi non sufficit denunciatio Euangelica, vel correctio fraterna, vt ostensum est supra.

4 Errant etiam dicentes denunciationem non intendere vindictam publicam, vel punitionem denunciati propter bonum publicum; sed solum interesse denunciantis. Et per hoc distingui ab accusatione; nam vtraque in idem tendit, licet cum aliquo discrimine: nam accusator instat, & petit: denuncians autem in arbitrium relinquit iudicis, vt ipse excitatus expetat vindictam publicam, & punitionem delinquentis propter bonum commune, & alia omnia, quæ accusator instando expetit.

5 . Et hinc est, quod denunciatio iudicialis est mera manifestatio criminis, sine aliqua actione facta Prælato, vt ipse ex officio emendet delictum ad arbitrium suum secundum ius: accusatio verò est delatio criminis cum actione, qua iudex expetitur ab actore punire reum.

6 . In errores autem istos, & alios persimiles labuntur, qui confundunt terminos denunciationis iudicialis cum accusatione, vel cum aliis denunciationibus superflue multiplicatis, & perperam distinctis, vt ex dictis constat.

7 . Nonnulli enim denique aliam adducunt differentiam, dicentes, quod denuncians tenetur corrigere fratrem, priusquam denunciet: accusans verò nequaquam; a quorum opinione, tanquam a perniciosissima Religionis peste, procul refugio, & essentialissimum arbitror, & quod sine graui peccato, & Religionis detrimento prætermitti non possit in approbatis omnibus Religionibus, vt à correctione, vel saltem denunciatione prorsus ordiri debeat quilibet Regularis, antequam vel accusationis vmbram intentet rationibus superius expressis, suisque locis repetendis inferius cum alijs etiam validioribus, quandocumque correctioni, vel denunciationi sit locus, vt dictum est, ac dicetur.

Quisnam

Quisnam denunciare teneatur. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Omnes tenentur denunciare aliquo modo.*
2 *Duplici causa quis excusatur, & quæ prima.*
3 *Secunda est, si delinquens iam est emendatus.*
4 *Regulares omnes ad illam (iis exceptis causis) tenentur.*
5 *Nec ab ea excipiuntur infames, & alii.*

1 OMnes Regulares cuiuscunque gradus, & conditionis, nemine prorsus excepto, ad denunciationem tenentur, vel paternam, vel iudicialem secundum superius exposita.

2 Duplici tamen de causa excusari quis poterit. Prima, si maximum detrimentum ipsi denuncianti ex denũciatione obuenturum valdè probabiliter timeatur; non tenetur enim in tali casu quis denunciare secundum Rodericum q.6. art.2. Cauere autem oportet, ne leuiter, vel affectatè damnum timeatur: si enim constet de secreto, ac taciturnitate Prælati, impossibile videtur detrimentũ aliquod deuenire posse denunciãti, cũ nullatenus denunciantis nomen, siue paternè, siue iudicialiter denunciet, aperiri vnquam debeat.

3 Secunda causa excusans est emendatio delinquentis; nam si iam correctus, & emendatus est, nullus relinquitur denũciationi locus siue paternæ, siue iudiciali; nam vtraq. ex charitate procedit in proximi salutem.

4 Et hinc est, quod Regulares omnes nullo penitus excepto (vt dictum est) ad talem denunciationem adstrin-

guntur; quod adeò verum esse affirmat Rodericus loco citato, vt ad ipsam in causis criminalibus teneantur, etsi timeant denunciatos pœnam abscissionis membrorum, vel sanguinis effusionis, aut mortis etiã subituros; dummodo ab ipsis denunciantibus fiat legitima protestatio, vt irregularitas vitetur: quemadmodum tenent Caiet. 2.2.q.23.ar.7. Soto de teg.secret.memb.2.q.5.concl.3. & Nauar.cap.inter verba.11.q.3. Couar.Clemen. si furios.2.par.§.5. quos citat, & sequitur ibidem Roder.

5 Nec excipiuntur ab huiusmodi denunciatione infames, nec excommunicati; sicut excipiuntur a denunciatione, quæ habet vim accusationis, & ab ipsa accusatione: nam in illis auctoritas in proponente requiritur, a qua prædicti iuridice sunt priuati, non autem prohibentur (vt oculatè aduertit Caiet. 2.2. q.68. artic.2. ad primum, quem sequitur Rodericus eadem q.6.ar.3.) a denunciatione, de qua hic agimus, nam in illa nõ exercetur aliquod auctoritatis opus, sed charitatis tantummodo in delinquentis animæ salutem.

An quis teneatur denunciare delinquentem etiam emendatum. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Aliquò in casu denunciandi sunt emendati iam.*
2 *Officiales obligati quinam sint.*
3 *Inter Regulares sunt Prælati locales.*
4 *Et aliquando commissarij delegati, & alij.*
5 *Ab ea quando abstinendum.*

1 Vnico

1 VNico in casu, quando nempè delicta etiam emendata transeunt in damnum Reipublicæ, si remaneant impunita, vel ob scandalum, vel aliud simile, officiales tantum denunciare omnino tenentur, cum sit actus iustitiæ, quo vindicta delinquentis prætenditur, non in animæ delinquentis curam: sed quia interest Reipublicæ, ne delicta remaneant impunita, prout tradit Innocentius in cap. nouit. de iudic. & cap. præcip. 11.q.2.& communis.

2 Quinam autem sint huiusmodi officiales, ad quos præfata denunciatio pertineat, certum est in sæculo, vel in clero esse fiscales: at inter nos propriè non dantur.

3 Sed (vt dictum est supra) Guardiani, & Prælati locales, qui in scriptis procedere non possunt, ex officio denunciare tenentur, etiam sub grauis peccati pœna, & secundum exigentiam, & opportunitatem tenentur subditos carceribus mancipare de consilio discretorum conuentus; & inde Prælatos superiores facere certiores denunciando ipsis, vt secundum delicti exigentiam prouideant, & processus forment prout de iure.

4 Et aliquando contingere poterit commissarios quoscumque delegatos non posse aliqua de causa perficere, vt dictum est supra, & tunc debent suis delegãtib. ex officio denunciare: similiter quando contigerit Prouinciales ipsos sua ordinaria auctoritate ob aliquod impedimentum Reip. prouidere non posse; tali casu Generalibus Prælatis, vel aliis superioribus ex officio omnino denunciare tenentur, quod idem si fortè (sed fere impossibile videtur) contigerit, impedimentum seruandum est a Generalibus ipsis, denunciando videlicet causæ sta-

tum, vel Illustriss. Domino Protectori, vel Sanctissimo.

Ea tamen limitatione, maxima cum cautela, prudentia, & zelo, adhibenda, vt in Reip. salutem, & bonum talis denunciatio fiat: nam si potius damnum Reipub. orietur, vel scandalum, vel perturbatio, ab ea prorsus, etiã ab officialibus prædictis, abstinendum, cum nulla alia supersit causa illam peragendi, delinquente iam correcto, & emendato, vt supponitur.

Quando, & qua forma Denunciatio facienda. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio tenens a denunciatione iudiciali ordiendum.*
2 *Contrarium sentit auctor cum Corduba.*
3 *Gradatim procedendum.*
4 *Contrariæ rationis solutio.*
5 *Auctoris sententia validius roboratur ex Christi præscriptis.*

1 RODERICUS q. 7. art. 4. dicit, quòd quãdo peccatũ est publicũ, statim est denunciandũ, vel accusandum nulla secreta correctione fraterna præcedente. Quã in sententiam citat D. Tho. 2. 2. q. 33. ar. 7. quã & probat; quia cũ peccatũ sit publicũ, & scandalo plenũ, sine publica correctione relinqui nõ debet. Et præterea quia Christus ait Mat. 5. si peccauerit in te frater tuus, quando. n. peccatũ est publicum, peccatũ non solum est contra corripientem, sed etiã contra alios, scandalizando ipsos, & ita cum communi tenere Sotum de tegend. secret. q. 4. concl. 5. ait. In eadem sententia sunt alii adducentes

illud Tim. 5. Peccantes coram omnibus argue: & illud cap. 1. extra de pœn. & remis. manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.

2 Quibus non obstantibus dico cum Doctissimo Corduba in additionibus ad Sotũ loco citato, numquã omitti posse tuta conscientia ordinem fraternæ correctionis superius digestum: adeò quod inter ipsos regulares, inter quos vigere charitas, & pacis concordia maximè debet, essentiale prorsus arbitror, & quod sine graui culpa omitti non possit, vt a correctione fraterna semper ordiri debeat proximi emenda, & correctio modo superius expresso opportuniori, quandocumque ex tali correctione fructus intentus probabiliter speratur ita, vt semper incipiendum sit a priori gradu, ex quo correctus maiorẽ coniiciat charitatem in corrigente; & inde facilius, & promptius inclinetur, & attrahatur ad sui emendam, & correctionem: & sic pedetentim procedendum ad grauiores, & vrgentiores correctionis gradus, licet correcto, vel corrigendo molestiores, dummodo salus ipsi acquiratur.

3 Igitur siue peccatũ sit publicũ, siue priuatũ, ex Patrũ, quos viderim, cõmuni sententia, semper in primo gradu correctio fraterna est adhibenda ordine seruato Euãgelico a Christo Domino distincto, & tradito, si eidẽ sit locus, videlicet si eo solũ profici ad proximi salutem speratur; quod si non, denunciatio secundo loco est adhibenda Euangelica: vel, si hoc non sufficit, denunciatio iudicialis; nã m de accusatione suo loco. Et hũc ordinẽ dico iterum essentialem semper esse inter ipsos regulares, nec omitti posse absque grauissima culpa: nam Religiosi in tam arcto charitatis vinculo degunt, vt illorũ debeat esse

cor

cor vnum, & anima vna magis, quàm credentium in primitiua ecclesia; quia in statu perfectiori; & ideò numquam debent deuenire ad arma iudicialis denunciationis; & multò minus rigorosæ accusationis, nisi coacti: & id reseruare omninò debent pro extremo remedio, quando alia superiùs applicata non iuuent: salus enim proximi suauiori modo possibili est quærenda, sicut docuit Christus Dominus.

4 Nec obstat ratio Roderici superiùs adducta: nàm ad peccatum publicum & publicum scandalum resarciendum sufficit publica penitentia, idest; quòd delinquens publicè appareat correctus, & emendatus: quemadmodum ipsemet Rodericus fatetur inferius, quasi sibi contradicendo. Et per idem patet ad ea, quæ adducunt alij; quin verba ipsa Canonis adducta id sonant, quòd nempè peccata publica publica correctione, idest emendatione, purgentur: nec enim refert, qua medicina sanetur ægrotus, idest, qua via, & ratione corrigatur delinquens, quò ad modum corrigendi in se publicum, vel secretum; sed ille debet præferri semper, qui est minoris incommodi, & minoris confusionis, & verecundiæ delinquenti: & qui maiori sit charitatis ardore plenus, & vnionis, & concordiæ regularisquè fraternæ pacis magis conseruatiuus; & sic dubio procul Paulus glossandus.

5 Ad auctoritatem verò Christi adductam, nullum vidi sanctorum Patrum sic eam interpretatum: nec enim valet negatiuè ullibi, vt si non dicat scriptura: id præterea non dixisse voluerit: etsi ergò Dominus dicat. Si peccauerit in te. nō pp hoc exclusit, vt simul & semel peccatū fuerit coram alijs: quin (vt dixi) communior sententia, & verisimilior est, vt de peccato coram multis commisso

loqua-

loquatur Christus: quorum singulis dicit. Si peccauerit in te. nàm inter eos magis aptus ad corrigendum priùs tenetur, & gradatim omnes alij: nàm præcipit ibi Christus ad iudicium deuenire Ecclesiæ contra incorrigibilem, quod numquam fieri potest omnium ore, atque sententia contra delinquenté coram vno tantum, quin peccatum esset grauissimum sic secretò delinquentem propalare, ac diffamare iuxta omnium receptissimam, & communissimam sententiam: sed solum talis est corrigendus fraternè: & vbi non sufficit, deueniendum est ad solam denunciationem paternam: quæ si non sufficit grauiori modo possibili applicata, & peccatum sit secretum, vt supponitur: denunciationi iudiciali nullus est locus, vt constat; cùm testes desint, & multo minus consequenter accusationi. Præcipit ergo Christus clarissimè præfatum ordinem seruandũ in peccatis publicis, non in secretis; quidquid astruat Rodericus loco citato, & alij cum ipso.

Quid agendum cum peccatum secretum est in damnum Reipublicæ, vel tertii. Cap. VIIII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio dicentium statim a denunciatione ordiendum.*

2 *Contrarium sentit Auctor ex opinantium doctrina.*

1 Rodericus art. 3. eiusdem quæstionis ait, quod, si crimen in damnum tertii sit, illico sit denunciatio facienda, prȩsertim cũ ibi loquatur de denunciatione, quȩ vim

vim accusationis habet, vt ex processu eius doctrinæ ibidem conijcitur.

2 Licèt, quasi sibi contradicendo, se corrigat, uidelicet, vt prius correctio sit adhibenda fraterna, si speretur fructus: & pergit moderando suam doctrinam dicens, quod Deus, quo minus possibile fuerit, lædatur: & quod in denunciatione delinquentis nomen non exprimatur, cum ex hoc magnum ipsi detrimentum generetur: & præsertim, si homo sit spectatæ famę, & honoris, & aliquod paruum intentet crimen in leue proximi detrimentum, & cętera huiusmodi adducit. Ex quibus ego concludo, & confirmo meam sententiam superius expressam, vt semper a suauiori, & mitiori gradu sit incipienda correctio delinquentis; et si tertii damnum resarciri potest mitiori modo, quàm delinquentem denunciando, prętertim iudicialiter, a denunciatione prorsus abstinendum. Sed ordo seruandus a Christo præscriptus, vt sępius dixi. Idē prorsus seruandum in peccatis, quæ sunt in detrimentū Reipublicæ cum hoc discrimine; quod cum bonum publicum priuato sit semper anteponendum: hoc in casu rigorosius est procedendum, & ad validiora recurrendum arma: si magis quàm probabiliter mitioribus non sit locus: quod prudētiæ, & charitati derelinquitur iudicādū.

An peccata, quæ solùm sunt in damnum delinquentis, denunciari possint. Cap. X.

SVMMARIVM.

1 *Opinio aliorum.*
2 *Contrariū sentit Auctor; doctrina eorundē opinantiū.*
3 *Ordo à Christo prȩscriptus omninò seruandus.*

Rode-

1 R Odericus ibi it in aliud extremum subiungens, quod peccata, quæ solùm sunt in damnum delinquentis; vt fornicatio, gula, & similia, non debent denunciari iudici etiam paterne, si non speratur fructus; sed potius timetur delinquentem deteriorem fieri: & in tali casu nullum aliud interesse remedium, nisi postulare a Deo delinquentis correctionem gemitibus inenarrabilibus.

2 Hæc Roderici doctrina est expresse contra superius tradita, nisi intelligat de peccatis omninò secretis: nam de publicis quomodocumq; conclusum est, nedum propter delinquentis bonum, & eius conuersionem: sed etiã ob Reipublicæ bonum, ne videlicet disciplina regularis periclitetur, & cęteri ob malum exemplum incorrecti relaxentur, & scandala proximorum inde oriantur: quare ipsemet Rodericus quasi se retractando in artic. 6. sequenti ait, quòd si peccata Regularium non emendentur, & correctione præcaueantur, in tam graue damnum Religionis cedũt, vt quod est a sãctissimis religiosis prędecessoribus in ædificationem patratum, per malũ vnius fratris exemplum obscuretur; prout ex mẽte D. Thomę, Soti, Cordubæ, & Nauarri, concludit præstantissimos Theologos tenere, quos ipse clarè sequitur.

3 Recolligendo igitur quæ diximus iuxta traditas a Christo Domino regulas, & communem omnium Patrum, ac Theologorum sententiam, in omnibus peccatis proximi primum addibenda est fraterna correctio, secundo paterna denunciatio; & denique denunciatio Iudicialis, quæ viam aperiat iudici ad inquirendum per talem denunciationem excitato, testes examinando, & cętera prosequendo, prout de iure.

Vtrum

Utrum quis teneatur denunciare quod audiuit; & an peccet non probando. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1 *Nullus tenetur denunciare quæ per auditum tantum nouit.*
2 *Nec etiam debet.*
3 *Etiamsi à Prælato sub excommunicationis pœna id præciperetur.*
4 *Quando, & quo casu ad id tenentur.*
5 *Tutior, & facilior via pro subditis.*
6 *Prælati itaque vigilent.*
7 *Denunciãtes nullatenus ad onus probationis tenẽtur.*
8 *Subditi ponderent quos, & apud quos denuncient.*

1 NVllus (vt arbitror) tenetur denunciare quod auditu tantum percèpit: & licet Rodericus q.6. cit. art.7. limitet, si audiuit a gente parui nominis, & ęstimationis: ego nullatenus talem admitto limitationem; nam, etsi quis audiuit a viris magni nominis, & æstimationis, illi tenentur denunciare, vt constat, magis quàm diffamare delinquentes, aliàs non essent magni nominis, & ęstimationis viri: nec illos audiens tenetur eis fidem præstare, nec interrogare, an ab aliis audiuerint, qui similiter fuerint bonæ famæ, vel parui nominis; nè procedatur in infinitum: & vno verbo, secus facere esset contra Domini regulam, & præscriptum; qui ait, si peccauerit in te, idest vt videas, & scias certa scientia, & non auditu tantum perceperis.

Ideo

2 Ideo absolute concludo nullum teneri ad denunciandum, quin addo, nullum debere denunciare quæ auditu tantum percepit. Ita tenere videntur Nauarrus in Man. c. 21. nu. 49. Corduba lib. 5. q. 4. concl. 6. & Gutthierez, quos citat ibidem Rodericus.

3 Et hoc adeo verum existimo, vt nullus denunciare debeat quæ tantum audiuit, etiam si a superiore sub pęna excommunicationis, & in virtute Spiritussancti imperetur, vt subditi denuncient peccata, & scandala, si quæ sunt, vt in edictis generalibus fieri solet.

4 Excipio tamen casus, in quibus vel ob grauitatem delicti, vel ob alium dignum respectum Prælati rationabiliter præcipiunt denunciari ab omnibus etiam, quæ audierint, etsi aliter non sciuerint. In quibus casibus contra Rodericum loco citato dico, subditos teneri ad denunciandum quæ audierint a quibuscũque: nec ad illos pertinet discernere, an a viris bonæ famæ audierint, nec nẽ: sed Prælati illud esto iudicium, & onus, qui sic præcipit, & cuius est ponderare maxima cum discretione, & absq; omni prorsus passione, si quæ denunciantur ex tali suo præcepto, digna sint fide, & a fide dignis accepta nec ne.

5 Et hęc tutior via, & breuior pro subditis, qui tali pręcepto grauati conscientiam suam exonerare tenentur super conscientiam pręlatorum, & super illos totum reponere onus.

6 Videant itaq. Pręlati, quomodo cautè ambulẽt in his pręceptis formandis, & exequendis, & similibus scientes rationem se reddere teneri perquàm strictam summo omnium Prælato, & iudici.

7 Ex quibus liquido constat denunciantes numquam teneri ad probandum, si quę pręscripta sunt superius adamus-

amussim seruent. Nam huiusmodi denunciantes, de quibus egimus, nil aliud intendunt, quam iudicis munus, & officium excitare, & ab omni prorsus onere probationis excipiuntur, etiam, quòd testes, & indicia innumera producerentur.

8 Errare tamen possent subditi, si tales denunciationes facerent non ex charitate, sed ex passione aliqua Prælatis, quos nossent furiosos, vel maleuolos, qui, hac arrepta ansa, non delinquentium correctionem, & salutem, sed ruinam, & perditionem quęrerent.

An scripta sine auctoris nomine vim habeant Denunciationis. Cap. XII.

SVMMARIVM.

1 *Quæcumque generis scripta sine nomine penitus reiicienda.*

2 *Quin auctores puniendi.*

3 *Et Prælati in hoc oscitantes pęna digni.*

1 COmmunissima, & receptissima est sententia huiusmodi libellos, & schedulas, & epistolas, & cuiuscũq; generis scripta, quorum auctor, & scriptor ignoratur, nullius prorsus esse valoris, nec vllatenus excitare iudicem, vel mouere, nec viam aperire ad inquisitionem: nec res ambigua est, vt dubitat Rodericus eadem quæst. 6. art. 10. sed certa, & clara, & Pontificijs sanctionibus decreta, vt ipse aduertit: nàm in quadam decretali c. inquisit. extra de accus. expresè prohibetur fieri inquisitionẽ ad eorum postulationem, qui clàm schedulas in alterius infa-

infamiam proferunt: nec talia scripta (vt notat Panor. in d. cap.) afferunt infamiam; nec similiter si testes adducerentur in scriptis talibus, quidquid nonnulli dicant: contra quos nobiscum sentit Rodericus, & latius probat ibidem.

2 Cum quo etiam teneo, Prælatũ inquisitionem sumere debere perquam diligentem, vt scriptorum taliũ auctorem inueniat; quo inuento, ipsum arbitrariè, ac seuerè puniat, vt præcludatur aditus malignis, & impijs sic deturpandi, & obscurandi religionem, & viros innocentes.

3 Qua in re nonnullos Prælatos nimis frigidos, & lentos animaduerti; & hinc Prouinciam repleri libellis, & (vt vulgò dicunt) chartellis, & litteris infamatorijs: quibus pro viribus obsistendum: & Prælati secùs facientes grauiter peccant, & punitione sunt digni.

DE ACCVSATIONE.

Tractatus Sextus.

Quid sit accusatio, & quot in ea requirantur. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *Quæ denunciatio cum accusatione coincidat omnino.*
2 *Accusationis descriptio.*
3 *Particulæ explicantur, & prima, quæ est depositio delicti.*

4 *Secunda coram iudice competenti.*
5 *Tertia a potente accusare.*
6 *Quarta in scriptis proposita.*
7 *In leuioribus non est locus accusationi.*
8 *Regulares non tenentur ad legem libellorum.*
9 *Ad quid tenetur accusator.*
10 *Quinta testes, vel indicia sufficientia inducenda.*
11 *Sexta in punitionem delinquentium.*
12 *Septima in accusatoris vindictam.*
13 *Octaua vel reipub.*
14 *Accusatio ex charitate procedat.*
15 *Epilogus.*

1 SVperius diximus, denunciationem quamdam habere vim accusationis, quę cùm sit potius a malignis, & impijs hominibus adinuenta, quàm a iure, vt ipsi malignantes in tuto se reponãt, solũq; nomine ab accusatione differat; Hinc est, quod de illa obseruandum penitus veniat secundùm communissimam, & receptissimam sententiam omne id, quod in accusatione obseruari de iure debet. Quæ autem sit illa denunciatio, dictum est supra, & quam omninò ab opusculo hoc expulimus: nàm cùm prorsus cum accusatione coincidat, quidquid hic de accusatione dicetur, de tali denunciatione omninò æqualiter intelligatur; nec illa vlteriùs nominabitur.

2 Est igitur accusatio depositio delicti coram iudice competenti a potente accusare in scriptis proposita sufficientibus testibus, vel indicijs adductis in delinquentiũ punitionem, & in sui, vel Reip. vindictam. Ex qua descriptione colliguntur, quęnàm sint ad accusationem necessaria.

Primo

3 Primò dixi depositio delicti; nàm in accusatione debet constare de specie commissi delicti: ita Bartolus receptus, & alii post ipsum, quod adeò verum esse asserunt, vt, si quis confiteatur se occidisse aliquem, & non cõstet de corpore occiso, talis confessio ei non præiudicat.

4 Dixi secundo coram iudice competenti: nàm coram incompetenti accusatio est nulla ipso iure, vt omnes consentiunt. Quis autem sit iudex competens regularium, dictum est supra in primo tractatu.

5 Dixi tertio a potente accusare: nàm excommunicati, & infames, & inimici ab accusandi munere, vt inhabiles prorsus reiiciuntur de iure communi: sed de his latiùs infrà.

6 Dixi quarto in scriptis proposita: nàm, si solùm verbis accusatio proferatur, facillimè obliuioni traderentur proposita, vt docet D. Thom. 2.2. q. 68. arti. 2. prætereà posset accusator in defectu probationis negare se accusasse, vt pœnam talionis euaderet. Ideo, vt his, ac similibus occurratur inconuenientibus, in scriptis semper ferenda est accusatio, & nomen accusatoris debet exprimi, & debet omninò in libello se subscribere.

7 Ex quibus constat, quòd in leuioribus delictis nullus est locus accusationi: quidquid dicat Rodericus q. 7. art. 1. sed solùm oretenùs denunciari debet Prælato, ordine superius exposito.

8 Nec tamen vllatenùs tenemur nos ad legem illam libellorum. ff. de accusat. nempè vt præscripta forma seruetur in libello accusationis: & quod nisi sit legitimè ornatus, accusatio rescindatur, & processus sit irritus, & nullus: nam hæc sunt apices iuris, quidquid alii dicãt: quin in nostra Religione ferè nullus est vsus libellorum;

sed secretarius, vt plurimũ in scriptis redigit accusationem, seruatis seruandis: & accusator subscribere se debet; vel si libellũ in scriptis feratur, nulla prorsus est forma praescripta, vt dictum est, sed sufficit in eo essentialia contineri: de quibus hic, & latius infra.

9 Tamen tenetur accusator omnino exprimere in accusatione diem, vel horã cõmissi delicti, & determinatum locũ ad amussim, vt cõmunis tenet sententia, quã sequitur Clarus q. 12. nu. 13. namq. vbi tantum adesset vnus testis, tolleretur facultas Reo se defendendi, vt latius infra dicetur.

10 Dixi quinto sufficientibus testibus, vel indiciis; nam his deficientibus, nunquam erit legitima, vel iuridica accusatio, vt suo loco inferius dicetur.

11 Dixi sexto in punitionem delinquentium: nam nunquam erit locus accusationi, si persona delinquens nominatim, & clarè non sit expressa, cum finis accusationis sit punitio delinquẽtis, vt omnes fatentur. Quae punitio cum sit expresse contra delinquentem, delinquens de necessitate nominandus est, quidquid dicat Rodericus art. adducto.

12 Dixi septimo in sui vindictam: nam in casu, quo seipsum indemnem seruare deberet, & velet accusator, poterit absq. peccato in sui vindictam accusare, vt sibi videlicet restituatur ablatum, siue illud sit substantia corporalis, siue fama, siue aliquod tale notabile.

13 Dixi denique in vindictam Reip. nam praefatis casibus exceptis finis accusationis regulariter debet esse vindicta vniuersalis Reip. nempè, vt ipsa expurgetur a malis, & perturbatoribus, & summa pace, quiete, tranquillitate, ac obseruantia possibili fruatur.

14 Et

14 Et charitate debet esse plenissima accusatio erga accusatum: nempè, vt hac accusationis via punitus corrigatur, & saluetur, & bonum commune restauretur, & de hac accusatione loquitur D. Thomas 2.2. loco citato.

15 Ex dictis itaquè constat accusationem fieri debere in scriptis, in quibus exprimatur clare nomen iudicis competentis, coram quo fit nomen accusatoris, nomen rei, & delictum commissum, & nomina testium, vel æquipollentia indicia; Quæ omnia essentialia sunt in accusatione in foro fori; In foro verò conscientiæ requiritur vlterius charitas erga accusatum, & vindicta reipublicę, vel suiipsius, vt dictum est.

Quis possit, & debeat accusare. *Cap. II.*

SVMMARIVM.

1 *Quinam ab accusatione reiiciantur.*
2 *Regulares omnes habilitare possunt.*
3 *Ius commune seruandum.*
4 *Religiosi renunciare possunt accusationi.*
5 *Limita, si non sequatur scandalum, vel damnum.*
6 *Potest quisquam in damni passi restaurationem accusare.*
7 *Contra secus opinantem.*
8 *In re familiari competit Regularibus iudicialis denunciatio.*
9 *Quo ad res publicas omnibus competit accusatio.*
10 *Similiter cuilibet in sui defensionem.*
11 *Sic totus Ordo seruat.*
12 *In delictis contra Rempublicam omnes tenentur.*

1 INfames inimici excommunicati, & nonnulli alii (ut in tractatu sequenti latius dicetur) ab accusandi munere de iure communi penitus repelluntur.

2 Licet autem ex indulto Bonifacij 8. Prælati Regularium præfatos omnes habilitare possint:

3 Verumtamen propter maximè odiosum accusationis nomen inter ipsos Regulares cuperem omninò rigorosè in hoc seruari ius commune.

4 Cęterum de idoneis ad accusandum loquẽdo, hic distinguendum est de peccatis; nàm vel sunt contra personam priuatam, vel contra rempublicam. Primo modo nullus regularis tenetur accusare, quia religiosi quamcumque offensam, & iniuriam quamcumque propter Christi amorem remittere possunt omninò; & indulgere proximo iniurianti, & offendenti, & possunt renunciare famæ, si sint subditi, & priuati Religiosi,

5 Et ex tali renunciatione nullum sequatur scandalum, vel incommodum Reip. vel tertiò, quia in talibus casibus sine tertii consensu, vel vbi damnum Reip. resultat, & similibus, renunciari non posset tuta conscientia.

6 Ex quibus constat, quòd, etsi nullus teneatur accusare in sui ipsius vindictam, vel detrimenti passi restaurationem, cùm renunciare possit, vt dictum est; verumtamen potest quilibet tuta conscientia in restitutionem cuiuscumque damni passi delinquentem accusare, accusationemque vsque in finem prosequi, vt superius prætactum est.

7 Quia in re Doctorem modernum grauiter errare mihi videtur, qui nullo modo vult nobis minoribus obseruantibus cõpetere accusationem, cùm sit, inquit, contra paupertatem, quam in regula promisimus: quæ sententia nulla-

nullatenus potest habere locum, nisi in re externa particularis personæ vsui concessa, de quo statim.

8 Cum enim nil proprij habere possimus, eo in casu concedendum arbitror, quod nulla competat nobis accusatio; sed solùm denunciatio, etiam iudicialis ad coercendos insolentes, ad tollendas confusiones, quæ contingerent, ex confuso rerum vsu, & ex consequenti ad conseruandam quietem, & illarum rerum vsum distinctum vnicuique, quas Prelati regulariter concedũt distinctissimè diuersis, & his de rebus numquàm vidi ferri accusationes in Religione.

9 Ceterum quoad res publicas, & in publicũ vsum seruatas, certum est omnibus competere accusationem ob publicum damnum, & detrimẽtum, quod ex earum furto, vel rapina orietur, & similiter quoad omnia peccata, quæ damnum publicum important.

10 Et similiter quoad iniurias proprias, vel proprias offensas, quæ corpori, vel famæ, seù honori detrimentum afferunt: nec enim votum paupertatis ad ea se extendit: nec id voluit D. Bernardinus adductus, nisi de supererogatione, ex qua poterit quis (vt dictũ est) renunciare suo iuri: sed nullatenùs tenetur: & ridiculũ est aliter sentire.

11 Et contra receptissimam consuetudinem in toto ordine, in quo passim deferuntur, & acceptantur similes accusationes, cum earũ prosequutione vsq; ad finem: quare totus ordo in maximo versaretur errore, & in manifesto peccato, si præfata opinio vera esset.

12 Si verò peccatum sit contra Remp. & in eius detrimentum, omnes penitus, ne dum possunt accusare, sed etiam tenentur respectiuè sub grauis peccati pena vsque ad lethalem ad accusandum delinquentem, & ad accusatio-

nem prosequendam vsque in finem, seruatis seruandis, vt sepius dictum est.

An accusationem praecedere semper debeant correctio, & denunciatio. *Cap. III.*

SVMMARIVM.

1 *Gradatim à correctione vsque ad accusationem procedendum.*
2 *Aliquando ab accusatione statim ordiendum.*
3 *Sed quando est eis locus, ab illis gradatim omninò exordiendum.*
4 *Secus opinantium rationes excluduntur.*

1 PLuries dixi (vt ordo a Christo præscriptus omnino seruetur) is autem est, vt semper a correctione fraterna incipiatur, vel (si ei non sit locus) ab euangelica denunciatione: & (si hoc non sufficit) a denunciatione iudiciali; & deniquè accusationem intentare.

2 A qua etiam statim ordiri poterit ceteris pretermissis, quando eis nullus sit locus; & damnum graue immineret Reip. non recurrendo statim ad accusationem; que limitatio vbique in toto hoc libello semper adhibenda, tam in superioribus, quam in sequentibus; quod hic monitũ velim, ne cogar cum fastidio sepius repetere: vbicumq; igitur non fuerit expressa, subintelligenda semper talis regula, vt ab accusatione statim ordiri quis possit, cum non sit locus correctionibus, ac denunciationibus, quod prudentiæ, & charitati, tam actoris, quam Iudicis committendum, & ex dictis, ac dicendis eliciendum.

Dixi

3 Dixi enim sępius ad accusationem nunquam deueniendum in Religionibus, quando aliis remediis est locus, nisi prius tentatis, & expertis omnibus illis, & eorum singulo; nempè illo gradatim, quod opportunius, & efficacius iudicabitur ad correctionem, & conuersionem delinquentis, & restaurationem damni passi, vel personæ priuatæ, vel Reipub. Et hunc ordinem (quidquid cæteri latius, & laxius dicant) essentialissimum arbitror in Religionibus, vt millies dixi, & qui nunquam sine grauissima culpa omitti posſit, quando est ei locus, & qui vtinam seruaretur: nam eo seruato, non essent in Religionibus tot controuersiæ, tot æmulationes, tot contentiones, tot persecutiones, tot mortales inimicitiæ, tot scandala, & præcluderetur aditus omnis, & omnis via inquietis, discolis, & maleuolis Reip. perturbatoribus, & malignantibus, qui iuxta Dauidicum vaticinium a Religionibus ritè institutis penitus exterminandi sunt. Et demum Religiones fruerentur summa pace, charitate summa, summa concordia, & (vno verbo) summa regulari obseruantia.

4 Nec obstat, quod in contrarium asserunt quidam ex sententia Soti, de teg. secret. memb. 2. q. 5. conclus. 4. ex iure communi, cap. qualiter, & quãdo. extra de accusat. nempè, quod accusationem nunquam præcedere debet monitio, nec in foro conscientiæ, iuxta illud; sicut denunciationem admonitio, ita & accusationem inscriptio præcedere debet, ex quibus concludunt, quod accusator ex iustitia non tenetur præmittere monitionem, sed solum inscribere, vel subscribere accusationem. Hæc (inquam) nil obstant; nam intelliguntur de iure communi, & inter sæculares, vel inter clericos non regulares,

regulares, & in quibusdam casibus, in quibus dignoscitur, fraternam, vel paternam correctionem nullum habere locum, vt notant etiam ipsi in exemplo de hæretico in Vrbe, & similibus. At inter quoscumque Regulares, & vbi præfata remedia locum habent, semper ab eis ordiendum ordinatè, vt dixi, & ipsi concedunt, quod nisi ex iustitia, saltem ex charitate correctio fraterna debet præcedere accusationem, vel denunciationem: cui charitatis fundamento latius, & firmius mea innititur sententia, vt constat. Ex qua seruari inuiolatè vellem in perpetuum ordinem superius descriptum ob rationes proximè adductas, eam præcipuè, quòd inter ipsos regulares primo loco vrgere semper debet charitas, quę omnium Religionum est vnicum fundamentum, & singulare vinculum strictius, arctiusque seruandum, quam inter sæculares, vel clericos non regulares. Et vltimo loco pro extremo remedio recurrendum est in Religionibus ad iustitiam punitiuam. Et sic intelligendi sunt cum Hostiense, & Nauarro omnes Doctores classici, qui in præfatam sententiam adducuntur.

Quæ vitia in accusatione contingere possunt. Cap. IIII.

SVMMARIVM.

1 *Tria vitia in accusatione contingunt: primum est calumnia.*

2 *Peccat etiam mortaliter accusans aliquem de peccato secreto.*

3 *Secus, si quis bona fide accusaret.*

4 *Secun-*

4 *Secundum vitium est præuaricatio, quæ dupliciter contingit.*
5 *Auctor addit tertium præuaricationis genus.*
6 *Tertium vitium est tergiuersatio.*
7 *Secus vbi nullum sequitur damnum, & adest causa.*
8 *Alter modus tergiuersandi.*

1 TRia vitia in iure notantur committi communiter in accusationibus, vt docent D. Thom. 2. 2. q. 68. artic. 3. & Sot. de secret. memb. 2. q. 5. conclus. 5. Primũ est calumnia, quando videlicet Actor accusat aliquem falso ex proposito, & scienter, & hoc est lethale peccatum, & grauissimum, & accusator talis ad omnia damna tenetur, quæ ex tali accusatione proueniunt accusato: Et debet omnino, quam citius poterit, a causa recedere, prorsusque desistere.

2 Præterea peccat etiam mortaliter accusans aliquem de peccato, quod scit illum secreto commisisse, etsi enim id falsum non sit: falso tamen impositum cẽsetur, quod legitimè probari non potest, nedum enim offendit accusatum, & ad restitutionem tenetur modo possibiliori cuiuscunque damni illati: sed vlterius exponit suam famã periculo certo, cum pro falsario, & calumniatore non probato crimine puniri possit, & debeat. Et præterea pęna talionis cap. qualiter, & quando. extra. de accusat. vel saltem æquipollenti, aut arbitraria, cum ea non sit in vsu, vt docet Couar. lib. 2. variar. cap. 9. num. 1. quas pœnas incurrit, qui ex proposito, & scienter accusat, vt dictum est.

3 Nam si bona fide, vel seductus a fide probabiliter dignis

gnis viris accusaret, non teneretur præfatas pęnas subire; sed solum ad restitutionem cuiuscumque damni ex tali accusatione causati.

4 Secundum vitium est præuaricatio, quæ secundum Rodericum q. 7. art. 5. contingit duobus modis: Primò quando quis accusato iam reo manifestè, deinde occultè illi fauet, friuolasque, vel captiosas excusationes, & defensiones ad tegendum accusatum adinuenit, & affert. Secundus modus est, quando accusator subticet crimina grauia patrata ab accusato aliqua passione, vel respectu: & alia leuia, & parui momenti deponit, & inculcat: nam, qui hoc modo præuaricantur, in laqueum incidere diaboli colligit Rodericus ibidem ex Nauar. & Soto.

5 Addo ego tertium præuaricandi modum, & est illę, de quo sæpius dixi, quando videlicet quis præuaricatur ordinem a Christo præscriptum, & omissis omnibus aliis magis charitatiuis, & regulari obseruantiæ congruentibus remediis immediatè, ac statim ad arma recurrit accusationis crudelia: crudelia, inquam prætermisso dicto ordine, quo seruato iterum dico fortè numquam in religionibus benè institutis audiretur accusationis nomen, nec resonaret iudicii strepitus magna cũ inquietudine Religiosorũ: nec tot formarentur processus, nec tot implerentur quinterna maximo cum detrimento regularis obseruantiæ: adeo vt multi Prælati potius crudeles, & barbari fiscales appareant, quam regularium patres, & Prælati.

6 Tertium vitium est tergiuersatio, quod est a proposita iam accusatione discedere absque rationabili causa cum damno Reipub. vel tertii. Quibus in casibus ab accusatione

tione recedens absque consensu partis, quæ damnum patitur, & absque iudicis auctoritate incurrit pœnam apud Regulares arbitrariam secundum Sil. ver. accus. 5. num. 8. & semper mortaliter peccat.

7 Secus autem, si cessaret damnum Reipub. vel tertii, vel si rationabilis adesset causa: vti si probabiliter iudicaretur maius commodum Reip. vel tertio obuenire peccato impunito relicto, quam si illud puniretur; vel etiã si accusator, melius re inspecta, se probare nõ posse animaduerteret. His enim, & similibus de causis retrocedere poterit quis ab accusatione iam cępta absque omni prorsus culpa, quidquid obscurius dicat Rodericus, & alii post illum.

8 Hoc etiam tergiuersationis vitio peccat, qui ex pacto aliquo iniusto, vel aliquo dono accepto (vt notat Rodericus ex Nauar. & D. Thom.) recedit ab accusatione, quod nullatenus est ambigendum, cum etiam, cessantibus his, peccatum sit lethale, retrocedere absque rationabili causa; vt supra expressum est.

An accusator deficiens in probatione semper talionis pœna sit plectendus. Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Pœna talionis non est in vsu, sed arbitraria.*
2 *Maximè cuperet auctor in ordine seruari.*
3 *Moderanda tamen præfata pœna.*

1 ETsi in iure cap. calum. 22. q. 3. & c. qui non prob. l. quæsitum. ff. de abolit. qui falso accusat, & non pro bat

gnis viris accusaret, non teneretur præfatas pœnas subire; sed solum ad restitutionem cuiuscumque damni ex tali accusatione causati.

4 Secundum vitium est præuaricatio, quæ secundum Rodericum q. 7. art. 5. contingit duobus modis. Primò quando quis accusato iam reo manifestè, deinde occultè illi fauet, friuolasque, vel captiosas excusationes, & defensiones ad tegendum accusatum adinuenit, & affert. Secundus modus est, quando accusator subticet crimina grauia patrata ab accusato aliqua passione, vel respectu: & alia leuia, & parui momenti deponit, & inculcat: nam, qui hoc modo præuaricantur, in laqueum incidere diaboli colligit Rodericus ibidem ex Nauar. & Soto.

5 Addo ego tertium præuaricandi modum, & est ille, de quo sæpius dixi, quando videlicet quis præuaricatur ordinem a Christo præscriptum, & omissis omnibus aliis magis charitatiuis, & regulari obseruantiæ congruentibus remediis immediatè, ac statim ad arma recurrit accusationis crudelia: crudelia, inquam prætermisso dicto ordine, quo seruato iterum dico fortè numquam in religionibus benè institutis audiretur accusationis nomen, nec resonaret iudicii strepitus magna cũ inquietudine Religiosorũ: nec tot formarentur processus, neć tot implerentur quinterna maximo cum detrimento regularis obseruantiæ: adeo vt multi Prælati potius crudeles, & barbari fiscales appareant, quam regularium patres, & Prælati.

6 Tertium vitium est tergiuersatio, quod est a proposita iam accusatione discedere absque rationabili causa cum damno Reipub. vel tertii. Quibus in casibus ab accusa-

tione

tione recedens absque consensu partis, quæ damnum patitur, & absque iudicis auctoritate incurrit pœnam apud Regulares arbitrariam secundum Sil. ver. accus. 5. num. 8. & semper mortaliter peccat.

7 Secus autem, si cessaret damnum Reipub. vel tertii, vel si rationabilis adesset causa: vti si probabiliter iudicaretur maius commodum Reip. vel tertio obuenire peccato impunito relicto, quam si illud puniretur; vel etiã si accusator, melius re inspecta, se probare nõ posse animaduerteret. His enim, & similibus de causis retrocedere poterit quis ab accusatione iam cępta absque omni prorsus culpa, quidquid obscurius dicat Rodericus, & alij post illum.

8 Hoc etiam tergiuersationis vitio peccat, qui ex pacto aliquo iniusto, vel aliquo dono accepto (vt notat Rodericus ex Nauar. & D. Thom.) recedit ab accusatione, quod nullatenus est ambigendum, cum etiam, cessantibus his, peccatum sit lethale, retrocedere absque rationabili causa; vt supra expressum est.

An accusator deficiens in probatione semper talionis pœna sit plectendus. Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Pœna talionis non est in vsu, sed arbitraria.*
2 *Maximè cuperet auctor in ordine seruari.*
3 *Moderanda tamen præfata pœna.*

1 ETsi in iure cap. calum. 22. q. 3. & c. qui non prob. l. quæsitum. ff. de abolit. qui falso accusat, & non probat

bat, pœna talionis multari debeat. Verũtamen Soto de teg. secret. memb. 2. q. 5. concl. 6. & Couar. lib. 1. Var. c. 9. pa. 87. c. 1. dicunt, quod hæc lex talionis non est in vsu, nisi tantum respectu testis falsum iurantis in causa criminali, & addit Rodericus q. 7. cap. 8. quod in huiusmodi pœna inferenda obseruari debent consuetudines, & leges Regni, & Prouinciarum.

2 Sed ego re vera quam maximè cuperem in Religionibus adamussim seruari, & rigorosè: nam (vt constat ex superioribus) Religiosus Regularis nunquam, nisi coactus, & violentatus, ad hæc accusationis arma, quæ vix charitatem fraternam, & regularem redolent, recurrere debet, & non, nisi prius applicatis omnibus aliis remediis magis concordiæ, & paci regulari conuenientibus, de quibus supra. Quare, vt penitus via obstrueretur malignantibus falsò, & impiè accusandi fratres, hæc talionis pęna inuiolatè seruari deberet.

3 Sed cum eo moderamine, quod capite citato subinfert Rodericus, videlicet, vt pęna talionis non commensuretur præcisè, & adæquatè crimini, vel pęnæ pro crimine statutæ: sed ponderatis hinc inde qualitatibus accusantis, & accusati, adeò, vt ego crederem, quòd si accusans esset infimæ notæ vir, accusatus vero eminentioris, & insignioris gradus; talis falso accusans nedum pęna ordinaria præscripta crimini, sed multo maiori esset plectendus, vt vel sic omnis in Religione inquietis, malignis perturbatoribus, & nil aliud prætendentibus, quã denigrare, ac delustrare ordinem, præcluderetur aditus, & sic in aliis respectiuè procedere, secundum diuersas qualitates, & conditiones accusantis, & accusati.

Vtrum

Utrum Laici, vel Clerici Ecclesiastici possint Religiosos Regulares accusare. *Cap. VI.*

SVMMARIVM.

1 *Laici, vel clerici non regulares non possunt accusare regulares, nec ipsi alios diuersi ordinis.*

2 *Limitant aliqui; negat Auctor concedens denunciationem.*

3 *Errant Prælati denunciationes sæcularium non admittentes.*

4 *Limita in foro Regularium.*

1 DE iure communi certum est, quod laici clericos accusare minimè possunt: nec similiter clerici non regulares possunt regulares accusare, quin neque Regulares vnius ordinis alterius ordinis Regulares, & ratio clarissima, & euidens est: nam accusator, & accusatus eiusdem omnino fori debent esse, cum accusator ad pœnam talionis teneatur de iure communi, vel rigorosè, vel secundum consuetudines, & leges Prouinciarum, si in probatione defecerit, vt superiori capite dictum est. Quare cum præfata pœna talionis nequaquam infligi possit a Regularium iudice in laicos, vel clericos, vel etiam Regulares alterius ordinis; hinc est, quod præfati omnes ab accusatione regularium iure optimo reiiciuntur.

2 Limitandum verumtamen est secundum Rodericum iuxta Speculatoris doctrinam tit. de reo circa finem, in casu, quo præfati omnes iniuriam, vel damnum sibi, vel

vel suis illatum prosequi intenderent, quam sententiam nullatenus ego recipio: nam eo casu præfati omnes denunciare poterunt iuridice in damni passi sui, vel suorum restaurationem tantum, & nullatenus intendendo punitionem denunciatorum, sed penitus hoc onus dimittendo eorum Prælatis, vt, secundum quod expedire viderint, puniant, vel a punitione desistant; nec enim iustum est, vt diximus, vt accusati subiaceant pœnis, & accusantes in tuto remaneant, cum sint alterius fori.

3 Qua in re nonnullos vidi errare Prælatos, qui sæcularium denunciationes in restaurationem famæ illorum prosequi noluerunt cum scandalo eorumdem sub prætextu, quod si non verificaretur denunciatio, sæculares punire non potuissent; sed quam grauiter eos errare constat ex dictis: nam finis talis denunciationis præcipuus est damni passi restauratio. Cæterum nec denuncians, nec denunciatus est puniendus regulariter: denuncians enim numquã, & nullo in casu, de iure communi. Denunciatus verò solum in casu, quo Prælato secundum ius, & fas expedire videbitur, vt dictum est.

4 Et superior doctrina solum militat in depositionibus coram regularium Prælatis peractis contra eorum subditos: in aliis enim foris, vbi amplissima est potestas, & iurisdictio, tam supra regulares omnes, quam supra sæculares, ius commune seruandum, & de ijs nil ad nos, nec in hoc tractatu.

Vtrum

Utrum iudex ordinarius aliquo in casu accusationes coram se factas rescindere possit, vel debeat. Cap. VII.

SUMMARIUM.

1 *Quando Regulares teneantur rescindere accusationes.*
2 *Similiter accusationes ob publicum bonum.*
3 *Præsertim ob eminentiam personæ accusatæ.*
4 *Hac in re grauiter errant multoties Prælati.*
5 *Nunquam rescindendæ in damnum tertii absque eius consensu.*
6 *Ponderandæ tamen cautè, ac prudenter circumstantiæ.*

1 IVdices ordinarii, qui in Religionib. sunt Prouinciales ministri, & multo magis Prælati Generales accusationes omnes, quas non iuridice propositas inueniũt, rescindere possunt, & debent: sicut enim a principio debent accusationes tales non admittere: ita postea debent eas omnino cassare sub grauissimi peccati pœna: alias falsitatem, & malignitatem impiè fouerent.

2 Possunt præterea præfati Iudices accusationes in bonũ commune solũ tendẽtes iustis, & rationabilib. de causis rescindere; cum videlicet nullum re vera bonum, vel parui momenti pararetur, & e contra magna perturbatio Reip. vel aliquod graue scandalũ ex talib. accusationibus probabiliter eueniret, vel aliquod notabile detrimentum, & publicum.

3 Vel propter eminentiã personæ accusatæ rescindere prorsus accusationẽ debẽt, vt aduertit Caiet. 2. 2. q. 66.

art.3. quem sequitur Arag. ibidem, & Roder. q.7. art.6. & perquã oculatè aduertit, quod summè debent notare Prælati regulares, quãdo accusantur aliqui Patres graues, ex quorũ accusatione inquietudo Religionib. contraria, & nociua oritur, & in iure c. beatius. dist. 45. c. fi. de transf. deferri solet aliquid personæ dignitati, in puniẽdo, & supplicia decernendo.

4 Qua in re etiã grauiter errare vidi nonnullos Prælatos, qui contra viros in Prouinciis eminentes nullo habito delectu, respectu nullo accusationes, vel potius vociferationes, & calumnias nullo probabili fundamẽto innixas acceptarunt maximo cum scandali periculo, & magna Prouinciæ perturbatione in ordinis obscurationem, & ignominiam.

5 Dixi, quod possunt rescindere accusationes in bonũ cõe tendẽtes: nã si accusatio sit iusta, & ad restaurãdum damnũ tertio illatũ, nullus Prælatus eam rescindere põt absq. tertii consensu, cũ iura oĩa diuinũ, canonicũ, & ciuile suũ ius ab inuito domino auferri minimè permittãt.

6 Verũtamen etiam hic ponderandæ personæ: nã si non esset damnum illatũ magni momẽti, nec personæ magni splendoris, & accusatus e cõtra, qui damũ intulisset eminens, & magni nominis uir, eo casu epicheya vtendum esset in priuilegiũ, & fauorem accusati rescissa accusatione, & alia meliori via damno restaurato accusanti. Ponderent itaq. Prælati quam maximè qualitates accusantium, & accusatorum, & criminum, & verisimilitudinẽ, & probabilitatem illorum, nè temere, & incautè, & non sine grauissima culpa opprimant innocentes in ordine, ordinem ipsum perperam delustrando, & penitus euertendo.

DE

DE TESTIBVS.

Tractatus Septimus.

PRAEAMBVLVM.

PArs ista tractatum comprehendet de testib. de quib. multa sunt discutienda vltra superius tacta, videlicet quisnam testificari possit, & de numero testium sufficiēti, & de singularibus testibus, & de modo eos interrogandi, & de illorum variatione, & de eorundem tortura, & de pena falsorum testium, & de similibus, & annexis. De singulis itaque ordinate dicamus.

De personis idoneis ad testificandum in causis criminalibus Regularium. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *In causis Regularium, qui sint idonei testes.*
2 *Id probatur iure municipali.*
3 *Omnes itaque Regularibus subditi idonei sunt testes.*
4 *Quare omnes tales ad testificandum compelli possunt.*
5 *Secus quoad Iudices non regulares super regularibus.*

1 HAc de re (quidquid dicat Rodericus prolixius q. 11.art.1.) certū est fratres oēs, vel monacos eiusdē Prouinciæ, vel cōuentus quantūcumq. amicos, & familiares, idoneos esse testes ad probandum, tam pro reo,

quam contra reum in causis criminalibus, dummodo aliæ non obstent exceptiones.
2 Nam (quidquid sit de iure cõmuni) Vrbanus IIII. concessit ordini Cistercienſium (vt habetur in compendio priuilegiorum dicti ordinis) vt in causis propriis monasteriorum eiusdem ordinis, siue ciuilibus, siue criminalibus, ne ius eorum depereat, liceat monachorum testimoniis vti: eaq. tamquã iuridica recipienda esse, qđ idem cõcessit Iulius II. Congregationi Montis Oliueti, & Leo. X. Cõgregationi Camaldulensiũ,& extẽdit etiã ad nouitios. Et Eug. IV. Congregationi S. Iustinæ, & extendit ad conuersos,& cõmissos dictę congregationis. Et idẽ concessit Abbati S.Pauli extra muros Vrbis ordinis S. Benedicti, vt in libro Priuilegiorũ Congregationi S. Benedicti Portugalliæ, impresso Romæ ex Typographia Titi, & Pauli Dianis, Anno Domini 1589. quæ concessio data fuit sub anno Domini 1542. 7. Kal. Iunii Põtificatus sui anno XII. Quæ oĩa citat Roder. ibidem.
3 Ex quib. constat clarissimè, quòd quicũq. Prelati Regulares per cõicationem priuilegiorũ possunt, & debent vti testimoniis eorũdẽ fratrũ, & suorũ subditorũ, & cõuersorũ,& nouitiorũ,& cõmissorũ,& quorũcunq aliorũ sub eorũ potestate,& iurisdictione degentiũ, in quibuscũq. causis criminalib. quæ valde consonãt iuri cõi; nã quę in Religionib.vel Cõuentib.& Monasteriis geruntᷣ, per alienos,& extraneos nullatenus regulariter, vel iure probari possũt,& sic ius regulariũ deperiret cõtra ius,& fas,& cõtra superius concessa priuilegia Pontificia.
4 Quin hoc adeo verum est, quòd compelli possunt, & debent præfati omnes ad testificandum, nè taceatur veritas: quæ res est sacratissima, & Reip. maximè necessaria.

ria. Hinc more maiorum obseruatur in Religionibus ex antiquissima traditione, vt compellantur subditi ad testificandum per sanctam obedientiam in virtute Spiritus sancti, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis & aliis ad arbitrium Prælatorum.

5 Et priuilegia, quæ adducit Rodericus ibidem, quod Regulares compelli non possunt ad testificandum, locū habent solummodo quoad iudices laicos, & sæculares, & etiam quoad ordinarios, & alios ecclesiasticos Prælatos nō regulares: nā de Prælatis regularibus nullus est ambigēdi locus; vt ex dictis constat, & ex receptissimo vsu inter ipsos Regularesq; antiquissima, ex traditione.

An Moniales possint esse testes contra Regulares in causis criminalibus. Cap. I I.

SVMMARIVM.

1 *Moniales testes esse possunt.*
2 *Quin & in aliquo casu etiam mulieres sæculares.*
3 *Multo magis poterunt esse moniales omnes.*
4 *Etiam in criminibus fratrum.*
5 *Minus tamen fidei eis, quam viris adhibendum.*
6 *Quare duæ testes, & contestes non sufficient.*
7 *Cautè vtendum earum testimoniis.*

1 CErtum est iure canonico c. mulierem, 33. q. 6. & glo. ibidem, & Tiraq. in tract. de leg. connu. l. 9. nu. 49. mulieres non esse idoneos testes in criminalib. sed hoc non obstante propter superiorem rationem, quando videlicet veritas aliter haberi non potest, nè iusx epereat, admittendæ sunt moniales in testes in causis criminalib.

2 Nam repugnat magis, & magis est contra canones, & Sanctos Patres, quod laici admittantur in testes contra Regulares. Et verumtamen quando veritas aliter haberi non potest, nedum uiri, sed etiam mulieres laicæ in criminalibus admittuntur in testes, vt tradit Ioannes Andreas citatus a Roderico eadem q. art. 3. & sequenti cap. magis constabit.

3 Quare ob præfatam rationem cum delicta monialiũ non nisi per moniales regulariter haberi possint, admittendæ sunt in testes in causis inter ipsas versantib. prout etiam in probatissimis Religionibus vsu receptum est.

4 Quod idem asserendum penitus de criminibus a fratribus commissis apud easdem moniales, & monasteria earum.

5 Maximè tamen aduertendum a Prelatis, quod minus fidei eis adhibere debent, quam uiris, vt optimè probare asserit Rodericus quendam textũ ab eo citatum; & Speculatorem, & Baldum, & Salicetum, & Abbatem, & Tiraquellum, quos citat, & sequitur ibidem.

6 Et addit ex Decio, quod duæ mulieres non sufficienter probarẽt, vt ex dicto earũ posset quis cõdemnari; sed si plures essent numero, supplerent defectum. Quod cõprobat Marantha de ordine Iudiciali p. 4. nu. 45. In quã sententiam (licet ab ea recedat Rodericus) ego equis, velisq. venio: nam, etsi moniales religiose sint, & præsumatur illas magis timere Deum, quam sæculares: verũtamen sunt mulieres, & fragiles, & ego longa didici experientia, quamplurimas earũ leuiusculis ex causis odio immortali, & immedicabili prosequi, vel alias moniales, vel fratres, & maximè Prælatos, vel pro tempore existentes, vel iam officio functos.

7 Qua-

7 Quare perquam cautè illorum testimonio vtendum, & ponderandæ exceptiones, & aliæ examinãdæ grauiores, & maturiores matres de vita, probitate, ac fide illarũ, quæ in testes assumuntur, & præsertim quando contra viros eminentes in Religione, vel qui sunt, aut fuerunt Prælati, examinandæ fuerint.

An laici contra Regulares possint esse testes. Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi laici non possunt esse testes contra regulares.*
2 *Nisi in casu, in quo non sint alii testes.*
3 *Sæculares integræ famæ vbique sunt idonei.*
4 *Quando est causa, vel non est ciuilis, sed criminalis.*
5 *Quomodo sæculares idonei sint testes.*
6 *Vel possunt per iudicem competentem compelli.*
7 *Quando admittendi.*

1 LIcet arguere a simili, quod sicut laicus non potest in criminalibus ferre testimonium contra clericum, prout in iure cap. de cætero. de testib. & cap. testimoniũ. 11. q. 1. & docent post alios Couarruuias, Iulius Clarus, Menochius, & est communis opinio secundum Viues, vt notat ex præfatis Doctorib. Roder. q. 5. art. 2. Ita non potest contra Monachum de iure communi, quod tamen secundum Abbatem in d. cap. & Iasonem in l. fi. C. de his, qui. limitatur,
2 Nisi delictum sit commissum in loco, in quo nõ repe-

riminis clerici. Tunc enim laici sunt idonei testes in subsidium, & addit Bernardus Diaz in sua Practica criminali c. 11. quod si opinio Abbatis non seruaretur, esset dare ansam presbyteris, vt secure, & impune multa committerent delicta, etiā praesentibus laicis, & ideo habita prudēti consideratione, qualitatis clerici delinquentis testium, & delicti perpetrati, seruanda est opinio Abbatis, quam sequitur etiam Hyppolitus in l. dec. col. 2. ff. de quaest. ea ratione, quod, quando veritas aliter haberi non potest, receditur a regulis iuris communis.

3 Quod non est opus in laicis integrae, & bonae famae, in quibus cessat communis suspicio, vt tenet Andreas Siculus in cap. cum non ab homine. de iudic. & Alciatus ibidem, num. 92. quibus limitationibus concurrentibus, ego arbitror absolutè posse, ac deberi admitti saeculares, & laicos in testes in criminalibus contra regulares quidquid dicat Rodericus quaestio. 14. artic. 5. quasi recedendo a superius recitata doctrina.

4 Sicut neque sentio cum ipso, cum ait, quod cum proceditur in delictis ad solam priuationem dignitatis personae delinquentis, causa tunc est ciuilis, non criminalis, nam distinguendum est, si fiat inquisitio, vt videatur, si persona, quae praesumitur delinquens sit idonea vt eligatur ad aliquam dignitatem obtinendam in futuro, & nullatenus ad punitionem: tunc enim causa erit ciuilis. At si procedatur ad priuationem dignitatis iam obtentae, causa meo iudicio, erit semper criminalis, cum priuatio intentatur ex delicto, & crimine.

5 Denique sentio cū Roderico ibidem, quod licet Praelati Regulares non possint cōpellere laicos per excōmu-

nicatio-

nicationem neque ad præstandum iuramentum, si tamen laici rogati iuramentum præstare, veritatemque iurati dicere voluerint, sufficientes, idoneique testes erunt ad probandum.

6 Vel dicti Prælati per iudicem ecclesiasticum, aut sæcularem dictos laicos compellant ad iurandum, testimoniumque ferendum, ceteraque præstanda, prout de iure.

7 Verumtamen cautè, ac non sine graui causa, & magna necessitate, & non nisi quãdo iustitia periclitaretur cum notabili ordinis detrimento adhibendi, & admiscendi sunt laici in causis criminalibus Regulariũ ad euitãdum quodcumque scandalum seculi, quod indè oriri posset.

De iis, qui repelluntur a testificando.

Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi multi reijciuntur.*
2 *Quomodò habilitari possunt inter Regulares.*
3 *De iure communi repellitur mulier.*
4 *Secundo minores, & quales inter nos.*
5 *Tertio inimicus.*
6 *Quarto affines, & coniuncti.*
7 *Quinto infames, & quomodo purgantur.*
8 *Sexto socius criminis, & quando admittitur.*
9 *Septimo viles, & abiecti.*
10 *Octauo conspiratores.*
11 *Nono varij, & inconstantes.*
12 *Omnes vero inhabiles faciunt indicium, & quale.*
13 *Quando admittuntur inhabiles.*

Item

14 *Item dignus supplet defectum indigni.*
15 *Item in rebus difficilis probationis.*
16 *Testes inhabiles pro Reo admittendi.*
17 *Omnes habilitari possunt inter nos.*
18 *At non nisi magna cum cautela.*

1 ETsi de iure communi infames, vel relegati, & similes reiiciantur tamquã inhabiles ad testimonium ferendum, vt suprà in descriptione accusationis prætactũ est, & inter sęculares forte seruetur iuxta morem Prouinciarum.

2 Verumtamen ex indulto Bonifacii Octaui, cùm non teneamur ad apices iuris, præfatos omnes tamquàm habiles, & idoneos testes admittere poterit Prȩlatus Regularis, si causa id exposcat, ritè, ac maturè ponderatis hinc inde circumstantiis delicti, & personarum, accusantis, & accusati, testium, & aliis.

3 De iure autem communi primo repellitur mulier, vt inhabilis ex iure canonico c. mulierem 33. q. 5. non autem ex iure ciuili, vt notant Doctores in l. ex eo. ff. de testibus. At inter nos recipiuntur, vt habiles, moniales, limitationibus, vt suprà: & simili modo, sed maiori cautela, si quæ sint aliæ matronæ graues, etiam sæculares.

4 Secundo repellitur minor natu viginti annis. At inter nos admittuntur qui excesserint quatuordecim, annos, vt sunt nostri nouitii: de professis cuiuscumq; ætatis nulla est difficultas, cum excedant sextumdecimum.

5 Tertio repelluntur inimici; si tamen est inimicitia capitalis: quòd iudicis arbitrio est relinquendum, & sua prudentia examinandum.

6 Quarto ascendentes, & descendentes accusatoris, & vniuer-

vniuersaliter consanguinei, vel affines, & inter nos amicitia, & familiaritate valdè coniuncti secundùm iudiciũ, & prudentiam Prælati.

7 Quinto infames tàm infamia iuris, quàm infamia facti: tamen adiuncta tortura secundum Prælati iudicium habilitari poterunt, teste Claro q.24.num.13. vers.item infamis. Et ego tales numquàm admitti vellem omninò, nisi per sufficientem torturam purgati ad præcludendos malignis aditus.

8 Sexto socius criminis in l.fi.C. de accusat. Admittuntur tamen socii in criminibus exceptis; vt in hæresi, maleficio, sortilegio, sodomia, furto famoso, crimine læsæ maiestatis, vt docet Nauar.lib.5.consil.3.num.2.& consil.5.num.2.tit.de accusat.& addit Gometius c.12.num.16. Idem seruandum in omnibus criminibus, quę sine socio committi non possunt; vt sunt peccata carnis, & similia, in quibus si adsint duo socii testes, & contestes, plenè probant; & poterit reus condemnari, cęteris seruatis seruandis, vt docet Panormitanus in capit.1. de confessione.

9 Septimo viles personæ, & abiectę, de quibus est suspicio, quòd facilè corrũpi possint; vt docet Siluester verb. test.5.quæst.1.& hic præualet Prælati iudicium, & arbitrium.

10 Octauo conspiratores, qui conuicti de conspiratione nedum repellendi, sed grauiter prorsùs puniendi, vt malignis, & calumniatoribus omnis præcludatur via.

11 Nono varii, & inconstantes, de quibus infrà. cap.11.

12 Notandum est autem pro superius dictis, quod si testes minus idonei non probant plenè, saltem faciunt indicium ad torturam, nisi Prælati iudicio, ex concurrentibus

tibus circumstantijs accusati, & accusantis, & testium, secùs esset dicendum.

13 Similiter multi admittuntur inhabiles in delictis, in quibus ex loco, vel tempore, vel alijs circumstantijs copia testium haberi nequit, vt c. fin. de test.

14 Similiter vnus testis valdè dignus supplet defectum alterius contestis, vt docent Baldus, & alii, quibus assertio, ponderatis ponderandis.

15 Idem dicendum in rebus difficilis probationis, quando veritas aliter haberi nequit, nè iustitia depereat, vt sępius dictum est; & docent Clarus, & alii.

16 Multò etiam magis admitti debent testes aliàs inhabiles, quando stant pro reo, vt docet Clarus quæst. 24. vers. Item scias. & Communis.

17 Denique (vt sæpius notaui) apud nos ex Bonifacij Octaui indulto, Prælati possunt admittere omnes testes inhabiles.

18 Quod tamen maxima cum prudentia, & cautela exequi debent, nè detrimentum, vel iniuriam subditis inferant, & mea sententia præfati testes inhabiles numquàm admitti deberent, nisi ex cōmuni consensu maioris partis diffinitorii, vt securius, tutiusque procederetur in iudiciis ferendis.

Vtrum Regulares possint esse testes coram Iudice non Regulari. Cap. V.

S V M M A R I V M.

1 *Regulares quomodo possunt esse testes coram Iudice non Regulari.*

2 De

2 *De licentia Prouincialis.*
3 *Quæ vix mittenda.*
4 *Quando non concedenda.*
5 *De facto absque licentia valet eorum testimonium.*
6 *Peccarent autem Regulares.*

1 Certum est de iure cõmuni (vt pluribus notat Rodericus quęst. 11. art. 4.) Regulares non posse esse testes apud Iudicem sęcularem, vel ecclesiasticum non regularem; Verumtamen de licentia suorum superiorum poterunt esse testes, prout dicitur in iure c. fi. de iuram. & tradit Nepotis de monte Albano tract. de test. nu. 61. Franciscus Mar. Decis. 77. num. 4.

2 Quã licẽtiã nullus Prælatus inferior Prouinciali dare põt; Prouincialis verò summopere aduertant, nè passim huiusmodi licentiam concedant; sed prudenter, & maturè, cùm ex huiusmodi testificatione Regularium contra quoscumque non Regulares, vel etiam Regulares alterius ordinis oriri possint multa, & grauia scandala, vel persecutiones contra ipsum ordinem testificantium.

3 Ità, vt vix credam posse huiusmodi licentiã dari tuta conscientia: Et conformiter ad rectam prudentiam, nisi vbi aliquis magnus Princeps, vel insignis Respublica id expeteret, nè iustitia magnum detrimentum apud illos pateretur ex defectu testium: & veritas aliter haberi non posset, nisi per testimonia Regularium.

4 Numquàm verò concedendam sentio, cum Couarruuia, & communi, quando ex Regularium testimonio sequeretur mors, aut enormis effusio sanguinis, vel mutilatio membrorum enormis, nè irrigularitatem incurrerent.

5 De-

5 Deniquè notandum, quòd si de facto Regulares sine licentia suorum Prælatorũ testimonium ferant sufficienter probabunt, nec vitiabitur eorum testimonium iuxta quamdam Glossam; quam citat, & sequitur Rodericus vbi suprà; sicut etiam diximus in superiori capite, quòd, si laici de facto deponant absque licentia suorum iudicum apud Prælatos Regulares, valebit eorum testimonium.

6 At Regulares, qui sic absque licentia testificarentur apud iudicem non Regularem, vel apud alium non habentem iurisdictionem ordinariam non delegatam, grauissimè peccarent, grauissimaq; digni essent punitione.

De Citatione, & examinatione testium.
Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Citandi testes, & quomodo.*
2 *Testis non citatus est suspectus.*
3 *Vniformiter citandi semper.*
4 *Notanda in scriptis citatio.*
5 *Circumstantiæ in scriptis notandæ.*
6 *Iuramentum exigendum.*
7 *Sic autem etiam secularis probat.*
8 *Prouincialis iuramentum exigere potest.*
9 *Testis interrogandus de causa scientiæ.*
10 *De auditu nil probat nisi famam.*
11 *Interrogandus de circumstantiis.*
12 *Interrogandus de contestibus.*
13 *Accidentia interragati ponderanda.*

14 *Omnia*

14 *Omnia scriptis demandanda.*
15 *Omnia testi relegenda, & subscriptus dimittendus.*
16 *Assistentes remouendi.*

1 PRimo loco debet citari testis non secundum interualla, sed more Religionum recepto, vt vel per nunciũ, vel per epistolam sufficienter vocentur: & si vocati renuerint venire, tamquàm inobedientes, & contumaces secundum formam statutorum puniri possent.

2 Nam testis non citatus redditur suspectus, & non probat. l. presbyter. C. de Episcopis, & Clericis. quare tales repellere debent prælati, si qui inuenti fuerint.

3 Nil autem refert, an vocetur ex munere assumptus, vel ad instantia partis inductus: semper enim est vniformis in Religionibus modus citandi.

4 Sed bene debet notari in scriptis, an sit testis ex officio assumptus, vel a denunciante, siue ab actore inductus; ita vt in processu appareat, qua via citetur.

5 Secundo debet testis nomen, & cognomen scribi, atquè status ipsius, & gradus. c. qualiter, & quando. & cuius ætatis existat; nàm, si fortè sit sęcularis minor viginti annorum, in criminalibus non probat. l. test. ff. de test. nisi esset socius criminis, vt in peccato sodomiæ, vel similibus. Cęterum, quò ad fratres professos, cum semper excedant sextumdecimum annum iuxta Concilii Tridentini decreta, semper legitimè probant, vt superius dixi; Verumtamen ętas sæculi, & anni Religionis sunt notandi: nàm quo maior numerus annorum, eo, cęteris paribus, grauius testimonium.

6 Tertio iuramentum ab eo exigendum: nàm testis nõ iuratus, etiam episcopus, vel Card. nil probat. l. iurandũ.

C. de

5 Deniquè notandum, quòd si de facto Regulares sine licentia suorum Prelatorũ testimonium ferant sufficienter probabunt, nec vitiabitur eorum testimonium iuxta quamdam Glossam; quam citat, & sequitur Rodericus vbi suprà; sicut etiam diximus in superiori capite, quòd, si laici de facto deponant absque licentia suorum iudicum apud Prælatos Regulares, valebit eorum testimonium.

6 At Regulares, qui sic absque licentia testificarentur apud iudicem non Regularem, vel apud alium non habentem iurisdictionem ordinariam non delegatam, grauissimè peccarent, grauissimaq; digni essent punitione.

De Citatione, & examinatione testium. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Citandi testes, & quomodo.*
2 *Testis non citatus est suspectus.*
3 *Vniformiter citandi semper.*
4 *Notanda in scriptis citatio.*
5 *Circumstantiæ in scriptis notandæ.*
6 *Iuramentum exigendum.*
7 *Sic autem etiam secularis probat.*
8 *Prouincialis iuramentum exigere potest.*
9 *Testis interrogandus de causa scientiæ.*
10 *De auditu nil probat nisi famam.*
11 *Interrogandus de circumstantiis.*
12 *Interrogandus de contestibus.*
13 *Accidentia interragati ponderanda.*

14 *Omnia*

14 *Omnia scriptis demandanda.*
15 *Omnia testi relegenda, & subscriptus dimittendus.*
16 *Assistentes remouendi.*

1 PRimo loco debet citari testis non secundum interualla, sed more Religionum recepto, vt vel per nunciũ, vel per epistolam sufficienter vocentur: & si vocati renuerint venire, tamquàm inobedientes, & contumaces secundum formam statutorum puniri possent.

2 Nam testis non citatus redditur suspectus, & non probat. l. presbyter. C. de Episcopis, & Clericis. quare tales repellere debent prælati, si qui inuenti fuerint.

3 Nil autem refert, an vocetur ex munere assumptus, vel ad instantia partis inductus: semper enim est vniformis in Religionibus modus citandi.

4 Sed bene debet notari in scriptis, an sit testis ex officio assumptus, vel a denunciante, siue ab actore inductus; ita vt in processu appareat, qua via citetur.

5 Secundo debet testis nomen, & cognomen scribi, atquè status ipsius, & gradus. c. qualiter, & quando. & cuius ætatis existat; nàm, si fortè sit sęcularis minor viginti annorum, in criminalibus non probat. l. test. ff. de test. nisi esset socius criminis, vt in peccato sodomiæ, vel similibus. Cęterum, quò ad fratres professos, cum semper excedant sextumdecimum annum iuxta Concilii Tridentini decreta, semper legitimè probant, vt superius dixi; Verumtamen ętas sæculi, & anni Religionis sunt notandi: nàm quo maior numerus annorum, eo, cęteris paribus, grauius testimonium.

6 Tertio iuramentum ab eo exigendum: nàm testis nõ iuratus, etiam episcopus, vel Card. nil probat. l. iurandũ. C. de

C. de test. & extrà. de testib. cap. Nuper nobis. Et Glossa recepta, & doctores ibidem. Et sacerdos iurare debet super pectus: non sacerdos super Euangelijs, vel alia re sacra.
7 Errāt autem quidam inferēdo corrollarie, quòd Prælatus regularis assumere nequeat sęculares in testes: qa, licet non possit eos cogere ad iurandū, cum non habeat iurisdictionem super illos: tamen si consentiant iurare a Prælato requisiti, valet iuramentum, & validum est testimonium, alijs non obstantibus exceptionibus, vt superius dictum est.
8 A fratribus verò iuramentum nullus inferior Prouinciali Ministro nisi de eius auctoritate exigere potest, exactum tamen de facto validaret testimonium, quo ad hoc, sed exirent tam exigentes, quam ferentes testimonium.
9 Quarto interrogari debet de scientia, & causa scientiæ, idest, qua ratione, vel via id norit, quod deponit, & hoc diligenter perquirendum.
10 Nam, si deponeret tantùm de auditu, parum, vel nil probaret, nisi tantùm famam secundum superius determinata.
11 Quinto interrogandus est de loco, & tempore, aliisquè circumstantiis, ex quarum concordia, vel discordia dignoscatur, an testes sint contestes, & plenè probent, vel non: nam, si non concordent in principalioribus, vt inferius dicetur, non probant. 11. quæst. 7. c. Nos. §. Item Daniel. & 3. q. 9. cap. Nihil, & 35. q. 6. c. de parent. Prætereà sunt etiam circumstantiæ examinadæ: quia vel aggrauant crimen, vel indicia, vel suspicionem secundum circumstantiarum diuersitatem, maiorem, vel minorem indu-

inducunt, nam tenebræ v. g. sunt aptæ ad maleficiũ l. 1. §. tria luminaria ff. de vent. inspiciend. similiter solus cũ sola in loco remoto, nisi essent grauissimæ personæ, & optimæ existimationis.

12 Sexto, quilibet testis interrogandus est de contestib. ad clariorem veritatis notitiam, ex concursu, & conuenientia multorum testium, & singulorum dictorum.

13 Et dum interrogatur super his oĩbus, aduertere debet Prælatus diligenter, an promptè, vel tardè respondeat, & an cũ tremore, vel rubore, vel pallore, & similia accidentia ponderare, vt inde eliciat, an sit uerax, uel falsum, quod deponitur, & si aliquod notabile accidens uiderit, scriptis est demandandum, sicut cætera omnia.

14 Debet igitur postremo loco secretarius omnia diligẽter scriptis demandare testium dicta eo eodem sermone, quo ab ipsis proferuntur, & eadem phrasi, & uerbis iisdem, ut inde ualiditas, & ueritas dictorum perpẽdi possit informando iudicio.

15 Et in fine examinis, uel depositionis oĩa, & singula dicta cuilibet testi relegenda sunt diligenter ad effectum, ut addat, uel minuat, uel confirmet; post quã relectionẽ similiter statim scribendum, & scriptis demandandũ, si quid addit, uel minuit, si autẽ oĩa confirmet, addatur; & relectum examen in omnib. cõfirmauit, & statim in fine subscribi debet propria manu; vel si nesciat scribere, alius pro ipso subscribat in eius presentia, & eo consentiente, & approbante subscriptionem, & sic subscriptus dimittatur; quæ omnia diligenter sunt præstanda more maiorum in Religione inoleto ad fraudes omnes tollendas, & ad supplendam auctoritatem secretarii cũ loco notarii sit positus, non habens tantam auctoritatem.

16 Quibus obseruatis superflui mihi videntur assistentes omnino, cuperemque tolli, vt suprà dictum est.

Quando quis teneatur in iudicio testificari. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Testis tenetur semp ad testificãdũ seruatis seruãdis.*
2 *Item tenetur alia ratione.*
3 *Et similiter quãdo crimen est cõtra bonum publicum.*
4 *Itẽ qñ notabile detrimentũ personæ priuatæ imminet.*
5 *Testis occultans veritatem ad omne dãnum tenetur.*
6 *Cauti itaque sint testes.*
7 *Prælati testes idiotas doceant.*

1 DIco, quòd semper testis ad hoc tenetur sub peccatĩ pœna, quando, seruato iuris ordine, interrogatur, & delinquens, contra quem proceditur, laborat infamia, saltem nota; vel, si contra eũdem sit iam semiplenè probatum, vel per alium testem deponentem, vel per æquiualentia indicia. Et vniuersaliter quãdocumq; per suam depositionem delictum plenè probatur, semper testificari debet, siuè procedatur contra reum per viam inquisitionis iudicialis ex munere, siuè per viam denunciationis iudicialis, siuè per viam accusationis.

2 Et addit Nauarrus c. 25. num. 47. quòd quando actor denunciat, vel accusat ex eo, quod in conscientia obligatur ad hoc, & id notum est ipsi testi: tunc testis tenetur sponte se offerre; sed (quidquid sit de hoc) certum est, quòd citatus nõ potest repugnare præcepto absquè grauissima lethalis peccati culpa.

3 Et

3 Et simili modo tenetur obedire testis (etsi cõtra reum non adsint infamia, vel indicia, vel semiplenæ aliæ probationes) quando ex delicto, de quo inquiritur, damnum bono publico imminet, quod nulla via ex præostensis per correctionem fraternam, vel denunciationem, vt supra, auerti potest, sed solum per iudicem auctoritatiuè, & iuridicè.

4 Quod idem intelligendum est etiam, quando graue detrimentum alicui priuatæ personæ immineret: quod similiter impediri nequiret, nisi iuridicè a iudice competente; In his enim, & similibus testis, qui non obedierit præcepto iudicis præcipientis, peccat mortaliter, & grauissimè. Et si præceptum sit sub excommunicationis latę sententiæ pœna, incurrit censuram, vt docet Nauar. cap. 17. num. 34. 35. & alibi.

5 Et prætera si ex tali inobedientia, & occultata veritate sequatur detrimentum vel damnum, siuè Reipublicę, siuè alicui particulari, testis, qui celauit, in integrum tenetur damnum resarcire, ac restaurare pro viribus, vt docet Communis.

6 Caueant itaquè testes, nè sint nimis procliues ad testificandum, vbi non tenentur: nec sint nimis duri, vbi debent, nè damnationem sibi ęternam vltra Reip. vel proximi damnum acquirant.

7 Et ego sum huius sententiæ, quòd Prælati testes, vt plurimum idiotas, & ignorantes hæc omnia prædocere debeant, illosq; præmonitos, & cautos reddere, vt sciant, ad quid in conscientia teneantur: & Prælati, qui secus faciunt, grauissimè peccãt: Quòd si & ipsi hęc ignorant, vel renuncient officium, vel saltem peritorum consilio, & assistentia vtantur, nè in laqueum incidant diaboli,

& in ęternā damnationem simul cū subditis: nulla enim ignorantia illos excusat, cum ex munere scire teneantur.

In quibus casibus testis interrogatus sub præcepto, & iuramento, vel etiam excommunicatione testifiari non teneatur. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Testis numquam testificari debet, quod solum in confessione sacramentali nouit.*
2 *Similiter neque id, quod sub secreti sigillo accepit.*
3 *Ad idem tenetur Prælatus.*
4 *Ratio Soti soluitur.*
5 *Secus si per aliam viam nouit.*
6 *Non tenetur ad secretum in damnum tertii.*
7 *Quando non tenetur quis testificari.*
8 *Quandonam tenetur in re ablatá.*
9 *Neque cum suo damno.*
10 *Neque ad illa, quæ tantum per auditum nouit.*
11 *Neque coram iudice non competenti.*

1 CONstat ex superiori capite, quòd in vniuersum testis non tenetur aliquid in iudicio deponere, nisi iuridicè interrogetur. Ad particularia vero descendendo, primo non tenetur testari, si nouit delictum in confessione sacramentali: id enim nulla ratione, etiam grauissima, etiam pro salute totius Reipub. reuelare, vel patefacere vmquàm poterit.

2 Secundò, si delictum sub sigillo secreti detectum fuit illi, vel consilij, vel auxilij petendi gratia, & similiū: tunc enim testificari non poterit, etiā si contra delinquentem

esset

esset infamia, vel semiplena probatio, vt docet Nauar. cap. 25. num. 45. & Corduba lib. 1. quęst. 42. dub. 2.

3 Quin, & Prelatus ipse super delicta sibi secretò manifestata simili de causa nequaquàm inquirere potest, vt superius dictum est. Aliàs enim præcluderetur omnis via petendi a proximo auxilium, vel consiliũ: quod est apertè contra ius diuinum naturale, & positiuum.

4 Nec obstat, quòd iudex ius inquirendi habeat (quidquid dicat Sotus de secr. mẽb. 2. q. 7. concl. 4.) nàm vterque suo vtitur iure; nempè iudex iuridicè interrogando, & testis celando, vel negando id, quod bona fide sub sigilli secreto accepit.

5 Secus autem, si alia via, & alio medio, quàm per commissum secretum nouit: tunc enim testis testificari tenetur, & Iudex inquirere absque commissi secreti præiudicio, dummodo de industria non inuestigauerit, occasione accepti secreti: nàm tunc in ipsamet inuestigatione, etsi nil aliud per illã viã indagauerit, iam fregit secretũ turpiter, & peccauit mortaliter, & damnũ resarcire tenetur, si ex tali peruestigatione delinquentẽ diffamauit.

6 Vlterius non tenetur ad secretum etiam sub iuramento acceptum, si sit contra bonum publicum, vel in damnum tertii; quia tunc deficit iustitia tam secreti, quàm iuramenti, & ideo testificari quis poterit nulla vtriusque existente vi, aut obligatione.

7 Tertio non tenetur testificari, si delinquens nõ laborat infamia, vel æquiualenti, & cũ hoc non timetur dãnũ aliquod futurũ, vel speratur delinquẽtis correctio priuatis monitis. Et hoc locũ habet, siuè procedatur per viã inquisitionis ex munere, siue ad instantiam partis, vt sentire videntur Siluester verbo inquisitio. 5. nu. 7. & verbo

correctio 5.num.6. & Petrus Nauar.lib.2.c.4.num.168. ex quo patet, quod non tenetur quis testificari, si sciat nullum alium esse testem contestem, vel aliquod æquiualens indicium, siuè procedatur ex munere, siue ad instantiam partis, vt dictum est. Et ego aliquando interrogatus sub præcepto, & iuramento super delicto, quod sciebam, nullum alium nosse, nisi denunciantem, numquam testificari volui, etsi de visu, & certa sciẽtia potuissem, quod tuta conscientia fecisse reputaui, & reputo.

8 Quartò, non tenetur quis testificari super ablata re contra eum, qui tantum compensationis causa illam ritè accepit, vt docet Nauarrus cap.17.num.115.

9 Quinto non tenetur quis testificari cum notabili, & euidenti suo damno, nisi Reipub. bonum illi præponderaret, vt docet Nauarrus cap.25.num.50. & Couarruuias q.pract.cap.18.

10 Sexto non tenetur quis testificari ea, quæ tantum ex auditu cognouit, siuè a fide dignis audierit, siuè indignis: nullus enim tenetur perinuestigare, an prima origo dictorũ sit a fide dignis: & ideo tutius est nil testificari de his, quæ per auditum tantum quis nouit; & relinquere onus illis, qui alia nouerint via. Sic tenere videtur Nauarrus cap.25.num.46. quidquid alij dicant: nam si auditur a fide non dignis, idem est, ac si penitus nesciatur; si a fide dignis, & ex consequenti iustis, ad illos pertinet testificari, vt superius alias dixi.

11 Septimo nullus tenetur testificari coram iudice non competente; vt constat, & omnes fatentur: immo tunc præceptum est nullum, nec potest cogi testis, vel ad iurandum, vel ad testificandum.

An

An teneatur testificari ille, qui rationabiliter dubitat, an iuridicè interrogetur. Cap. VIIII.

SVMMARIVM.

1 *Nullus tenetur testificari si rationabiliter dubitat, an iuredice interrogetur.*

2 *Sententia Soti defenditur ab aduersariis, & rationes contrariæ dissoluuntur.*

3 *Mors, vel æquiualens imminere potest Regularibus.*

4 *Sic negare veritatem nullum est peccatum.*

5 *In peccato notorio nō procedit Soti sententia, quia tunc iuridicè interrogatur.*

6 *Et tunc testis vnicus negare potest.*

7 *Contraria opinio militat, vbi subditus dubitat absque rationabili causa.*

8 *Nec frater minor facit contra regulam, vel animam, si seruet seruanda.*

9 *Nec D. Bernardini Doctrina est contra Sotum.*

10 *Miles tenetur obedire suo Duci, etiam sacrilego in bello iusto.*

11 *Testificari autem quis tenetur etiam ad mentem Soti, vbi pernicies publicè sequeretur ex occultatione veritatis, vel aliud simile, etiam si dubitet, an iuridicè interrogetur.*

12 *Ceterum rationabiliter dubitans testificari non tenetur quantumcumque obstrictus sub præceptis.*

1 ABsolutè dico non teneri quis testificari, si rationabiliter dubitat, an iuridicè interrogetur: præsertim a Prælato aliqualiter suspecto, secus, si absque rationa-

tibus circumstantijs accusati, & accusantis, & testium, secùs esset dicendum.

13 Similiter multi admittuntur inhabiles in delictis, in quibus ex loco, vel tempore, vel aliis circumstantijs copia testium haberi nequit, vt c. fin. de test.

14 Similiter vnus testis valdè dignus supplet defectum alterius contestis, vt docent Baldus, & alii, quibus assentio, ponderatis ponderandis.

15 Idem dicendum in rebus difficilis probationis, quando veritas aliter haberi nequit, nè iustitia depereat, vt sępius dictum est; & docent Clarus, & alii.

16 Multò etiam magis admitti debent testes aliàs inhabiles, quando stant pro reo, vt docet Clarus quæst. 24. vers. Item scias. & Communis.

17 Denique (vt sæpius notaui) apud nos ex Bonifacij Octaui indulto, Prælati possunt admittere omnes testes inhabiles.

18 Quod tamen maxima cum prudentia, & cautela exequi debent, nè detrimentum, vel iniuriam subditis inferant, & mea sententia præfati testes inhabiles numquàm admitti deberent, nisi ex cōmuni consensu maioris partis diffinitorii, vt securius, tutiusque procederetur in iudiciis ferendis.

Vtrum Regulares possint esse testes coram Iudice non Regulari. *Cap. V.*

SVMMARIVM.

1 *Regulares quomodo possunt esse testes coram Iudice non Regulari.*

2 *De*

2 *De licentia Prouincialis.*
3 *Quæ vix mittenda.*
4 *Quando non concedenda.*
5 *De facto absque licentia valet eorum testimonium.*
6 *Peccarent autem Regulares.*

1 CErtum est de iure cõmuni (vt pluribus notat Rodericus quęst. 11. art. 4.) Regulares non posse esse testes apud Iudicem sęcularem, vel ecclesiasticum non regularem; Verumtàmen de licentia suorum superiorum poterunt esse testes, prout dicitur in iure c. fi. de iuram. & tradit Nepotis de monte Albano tract. de test. nu. 61. Franciscus Mar. Decis. 77. num. 4.

2 Quã licẽtiã nullus Prælatus inferior Prouinciali dare põt; Prouincialis verò summopere aduertant, nè passim huiusmodi licentiam concedant; sed prudenter, & maturè, cùm ex huiusmodi testificatione Regularium contra quoscumque non Regulares, vel etiam Regulares alterius ordinis oriri possint multa, & grauia scandala, vel persecutiones contra ipsum ordinem testificantium.

3 Ità, vt vix credam posse huiusmodi licentiã dari tuta conscientia: Et conformiter ad rectam prudentiam, nisi vbi aliquis magnus Princeps, vel insignis Respublica id expeteret, nè iustitia magnum detrimentum apud illos pateretur ex defectu testium: & veritas aliter haberi non posset, nisi per testimonia Regularium.

4 Numquàm verò concedendam sentio, cum Couarruuia, & communi, quando ex Regularium testimonio sequeretur mors, aut enormis effusio sanguinis, vel mutilatio membrorum enormis, nè irrigularitatem incurrerent.

5 De-

5 Deniquè notandum, quòd si de facto Regulares sine licentia suorum Prelatorũ testimonium ferant sufficienter probabunt, nec vitiabitur eorum testimonium iuxta quamdam Glossam; quam citat, & sequitur Rodericus vbi suprà; sicut etiam diximus in superiori capite, quòd, si laici de facto deponant absque licentia suorum iudicum apud Prælatos Regulares, valebit eorum testimonium.

6 At Regulares, qui sic absque licentia testificarentur apud iudicem non Regularem, vel apud alium non habentem iurisdictionem ordinariam non delegatam, grauissimè peccarent, grauissimaq; digni essent punitione.

De Citatione, & examinatione testium. *Cap. VI.*

SVMMARIVM.

1 *Citandi testes, & quomodo.*
2 *Testis non citatus est suspectus.*
3 *Vniformiter citandi semper.*
4 *Notanda in scriptis citatio.*
5 *Circumstantiæ in scriptis notandæ.*
6 *Iuramentum exigendum.*
7 *Sic autem etiam secularis probat.*
8 *Prouincialis iuramentum exigere potest.*
9 *Testis interrogandus de causa scientiæ.*
10 *De auditu nil probat nisi famam.*
11 *Interrogandus de circumstantiis.*
12 *Interrogandus de contestibus.*
13 *Accidentia interragati ponderanda.*

14 *Omnia*

14 *Omnia scriptis demandanda.*
15 *Omnia testi relegenda, & subscriptus dimittendus.*
16 *Assistentes remouendi.*

1 PRimo loco debet citari testis non secundum interualla, sed more Religionum recepto, vt vel per nunciũ, vel per epistolam sufficienter vocentur: & si vocati renuerint venire, tamquàm inobedientes, & contumaces secundum formam statutorum puniri possent.

2 Nam testis non citatus redditur suspectus, & non probat. l. presbyter. C. de Episcopis, & Clericis. quare tales repellere debent prælati, si qui inuenti fuerint.

3 Nil autem refert, an vocetur ex munere assumptus, vel ad instantia partis inductus: semper enim est vniformis in Religionibus modus citandi.

4 Sed bene debet notari in scriptis, an sit testis ex officio assumptus, vel a denunciante, siue ab actore inductus; ita vt in processu appareat, qua via citetur.

5 Secundo debet testis nomen, & cognomen scribi, atquè status ipsius, & gradus. c. qualiter, & quando. & cuius ætatis existat; nàm, si fortè sit sęcularis minor viginti annorum, in criminalibus non probat. l. test. ff. de test. nisi esset socius criminis, vt in peccato sodomiæ, vel similibus. Cęterum, quò ad fratres professos, cum semper excedant sextumdecimum annum iuxta Concilii Tridentini decreta, semper legitimè probant, vt superius dixi; Verumtamen ętas sæculi, & anni Religionis sunt notandi: nàm quo maior numerus annorum, eo, cęteris paribus, grauius testimonium.

6 Tertio iuramentum ab eo exigendum: nàm testis nõ iuratus, etiam episcopus, vel Card. nil probat. l. iurandũ. C. de

C.de test.& extrà.de testib.cap. Nuper nobis. Et Glossa recepta, & doctores ibidem. Et sacerdos iurare debet super pectus: non sacerdos super Euangelijs, vel alia re sacra.

7 Errāt autem quidam inferēdo corrollarie, quòd Prælatus regularis assumere nequeat seculares in testes: qa, licet non possit eos cogere ad iurandū, cum non habeat iurisdictionem super illos: tamen si consentiant iurare a Prælato requisiti, valet iuramentum, & validum est testimonium, alijs non obstantibus exceptionibus, vt superius dictum est.

8 A fratribus verò iuramentum nullus inferior Prouinciali Ministro nisi de eius auctoritate exigere potest, exactum tamen de facto validaret testimonium, quo ad hoc, sed exirent tam exigentes, quam ferentes testimonium.

9 Quarto interrogari debet de scientia, & causa scientiæ, idest, qua ratione, vel via id norit, quod deponit, & hoc diligenter perquirendum.

10 Nam, si deponeret tantùm de auditu, parum, vel nil probaret, nisi tantùm famam secundum superius determinata.

11 Quinto interrogandus est de loco, & tempore, aliisquè circumstantiis, ex quarum concordia, vel discordia dignoscatur, an testes sint contestes, & plenè probent, vel non: nam, si non concordent in principalioribus, vt inferius dicetur, non probant.11.quæst.7.c.Nos.§. Item Daniel.& 3.q.9.cap. Nihil, & 35.q.6.c.de parent. Prætereà sunt etiam circumstantiæ examinādæ: quia vel aggrauant crimen, vel indicia, vel suspicionem secundum circumstantiarum diuersitatem, maiorem, vel minorem indu-

adducunt, nam tenebræ v. g. sunt aptæ ad maleficiū l. 1. §. tria luminaria ff. de vent. inspicien. similiter solus cū sola in loco remoto, nisi essent grauissimæ personæ, & optimæ existimationis.

12 Sexto, quilibet testis interrogandus est de contestib. ad clariorem veritatis notitiam, ex concursu, & conuenientia multorum testium, & singulorum dictorum.

13 Et dum interrogatur super his oībus, aduertere debet Prælatus diligenter, an promptè, vel tardè respondeat, & an cū tremore, vel rubore, vel pallore, & similia accidentia ponderare, vt inde eliciat, an sit uerax, uel falsum, quod deponitur, & si aliquod notabile accidens uiderit, scriptis est demandandum, sicut cætera omnia.

14 Debet igitur postremo loco secretarius omnia diligēter scriptis demandare testium dicta eo eodem sermone, quo ab ipsis proferuntur, & eadem phrasi, & uerbis iisdem, ut inde ualiditas, & ueritas dictorum perpēdi possit informando iudicio.

15 Et in fine examinis, uel depositionis oīa, & singula dicta cuilibet testi relegenda sunt diligenter ad effectum, ut addat, uel minuat, uel confirmet; post quā relectionē similiter statim scribendum, & scriptis demandandū, si quid addit, uel minuit, si autē oīa confirmet, addatur, & relectum examen in omnib. cōfirmauit, & statim in fine subscribi debet propria manu; vel si nesciat scribere, alius pro ipso subscribat in eius pręsentia, & eo consentiente, & approbante subscriptionem, & sic subscriptus dimittatur; quæ omnia diligenter sunt præstanda more maiorum in Religione inoleto ad fraudes omnes tollendas, & ad supplendam auctoritatem secretarii cū loco notarii sit positus, non habens tantam auctoritatem.

L 16 Qui-

16 Quibus obseruatis superflui mihi videntur assistentes omnino, cuperemque tolli, vt suprà dictum est.

Quando quis teneatur in iudicio testificari. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Testis tenetur semp ad testificādū, seruatis seruādis.*
2 *Item tenetur alia ratione.*
3 *Et similiter quādo crimen est cōtra bonum publicum.*
4 *Itē qñ notabile detrimentū personæ priuatæ imminet.*
5 *Testis occultans veritatem ad omne dānum tenetur.*
6 *Cauti itaque sint testes.*
7 *Prælati testes idiotas doceant.*

1 DIco, quòd semper testis ad hoc tenetur sub peccati pœna, quando, seruato iuris ordine, interrogatur, & delinquens, contra quem proceditur, laborat infamia, saltem nota; vel, si contra eūdem sit iam semiplenè probatum, vel per alium testem deponentem, vel per æquiualentia indicia. Et vniuersaliter quādocumq; per suam depositionem delictum plenè probatur, semper testificari debet, siuè procedatur contra reum per viam inquisitionis iudicialis ex munere, siuè per viam denunciationis iudicialis, siuè per viam accusationis.

2 Et addit Nauarrus c. 25. num. 47. quòd quando actor denunciat, vel accusat ex eo, quod in conscientia obligatur ad hoc, & id notum est ipsi testi: tunc testis tenetur sponte se offerre; sed (quidquid sit de hoc) certum est, quòd citatus nō potest repugnare præcepto absquè grauissima lethalis peccati culpa.

3 Et

3 Et simili modo tenetur obedire testis (etsi cõtra reum non adsint infamia, vel indicia, vel semiplenæ aliæ probationes) quando ex delicto, de quo inquiritur, damnum bono publico imminet, quod nulla via ex præostensis per correctionem fraternam, vel denunciationem, vt supra, auerti potest, sed solum per iudicem auctoritatiuè, & iuridicè.

4 Quod idem intelligendum est etiam, quando graue detrimentum alicui priuatæ personæ immineret: quod similiter impediri nequiret, nisi iuridicè a iudice competente; In his enim, & similibus testis, qui non obedierit præcepto iudicis præcipientis, peccat mortaliter, & grauissimè. Et si præceptum sit sub excommunicationis latę sententiæ pœna, incurrit censuram, vt docet Nauar. cap. 17. num. 34. 35. & alibi.

5 Et prætera si ex tali inobedientia, & occultata veritate sequatur detrimentum vel damnum, siuè Reipublicę, siuè alicui particulari, testis, qui celauit, in integrum tenetur damnum resarcire, ac restaurare pro viribus, vt docet Communis.

6 Caueant itaquè testes, nè sint nimis procliues ad testificandum, vbi non tenentur: nec sint nimis duri, vbi debent, nè damnationem sibi ęternam vltra Reip. vel proximi damnum acquirant.

7 Et ego sum huius sententiæ, quòd Prælati testes, vt plurimum idiotas, & ignorantes hæc omnia prædocere debeant, illosq; præmonitos, & cautos reddere, vt sciant, ad quid in conscientia teneantur: & Prælati, qui secus faciunt, grauissimè peccãt: Quòd si & ipsi hęc ignorant, vel renuncient officium, vel saltem peritorum consilio, & assistentia vtantur, nè in laqueum incidant diaboli,

& in ęternā damnationem ſimul cū ſubditis: nulla enim ignorantia illos excuſat, cum ex munere ſcire teneantur.

In quibus caſibus teſtis interrogatus ſub præcepto, & iuramento, vel etiam excommunicatione teſtifiari non teneatur. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Teſtis numquam teſtificari debet, quod ſolum in confeſsione ſacramentali nouit.*
2 *Similiter neque id, quod ſub ſecreti ſigillo accepit.*
3 *Ad idem tenetur Prælatus.*
4 *Ratio Soti ſoluitur.*
5 *Secus ſi per aliam viam nouit.*
6 *Non tenetur ad ſecretum in damnum tertii.*
7 *Quando non tenetur quis teſtificari.*
8 *Quandonam tenetur in re ablata.*
9 *Neque cum ſuo damno.*
10 *Neque ad illa, quæ tantum per auditum nouit.*
11 *Neque coram iudice non competenti.*

1 Conſtat ex ſuperiori capite, quòd in vniuerſum teſtis non tenetur aliquid in iudicio deponere, niſi iuridicè interrogetur. Ad particularia vero deſcendendo, primo non tenetur teſtari, ſi nouit delictum in confeſſione ſacramentali: id enim nulla ratione, etiam grauiſſima, etiam pro ſalute totius Reipub. reuelare, vel patefacere vmquàm poterit.

2 Secundò, ſi delictum ſub ſigillo ſecreti detectum fuit illi, vel conſilij, vel auxilij petendi gratia, & ſimiliū: tunc enim teſtificari non poterit, etiā ſi contra delinquentem

eſſet

esset infamia, vel semiplena probatio, vt docet Nauar. cap. 25. num. 45. & Corduba lib. 1. quæst. 42. dub. 2.

3 Quin, & Prælatus ipse super delicta sibi secretò manifestata similli de causa nequaquàm inquirere potest, vt superius dictum est. Aliàs enim præcluderetur omnis via petendi a proximo auxilium, vel consiliũ: quod est apertè contra ius diuinum naturale, & positiuum.

4 Nec obstat, quòd iudex ius inquirendi habeat (quidquid dicat Sotus de secr. mẽb. 2. q. 7. concl. 4.) nàm vterque sub vetitur iure: nempè iudex iuridicè interrogando, & testis celando, vel negando id, quod bona fide sub sigilli secreto accepit.

5 Secus autem, si alia via, & alio medio, quàm per commissum secretum nouit: tunc enim testis testificari tenetur, & Iudex inquirere absque commissi secreti præiudicio, dummodo de industria non inuestigauerit, occasione accepti secreti: nàm tunc in ipsamet inuestigatione, etsi nil aliud per illã viã indagauerit, iam fregit secretũ turpiter, & peccauit mortaliter, & damnũ resarcire tenetur, si ex tali peruestigatione delinquentẽ diffamauit.

6 Vlterius non tenetur ad secretum etiam sub iuramento acceptum, si sit contra bonum publicum, vel in damnum tertii; quia tunc deficit iustitia tam secreti, quàm iuramenti, & ideo testificari quis poterit nulla vtriusque existente vi, aut obligatione.

7 Tertio non tenetur testificari, si delinquens nõ laborat infamia, vel æquiualenti, & cũ hoc non timetur dãnũ aliquod futurũ, vel speratur delinquentis correctio priuatis monitis. Et hoc locũ habet, siuè procedatur per viã inquisitionis ex munere, siue ad instantiam partis: ita sentire videntur Siluester verbo inquisitio. 5. nu. 7. & verbo

L 3 corre-

An teneatur testificari ille, qui rationabiliter dubitat, an iuridicè interrogetur. Cap. VIIII.

SVMMARIVM.

1 *Nullus tenetur testificari si rationabiliter dubitat, an iuredice interrogetur.*
2 *Sententia Soti defenditur ab aduersariis, & rationes contrariæ dissoluuntur.*
3 *Mors, vel æquiualens imminere potest Regularibus.*
4 *Sic negare veritatem nullum est peccatum.*
5 *In peccato notorio nõ procedit Soti sententia, quia tunc iuridicè interrogatur.*
6 *Et tunc testis vnicus negare potest.*
7 *Contraria opinio militat, vbi subditus dubitat absque rationabili causa.*
8 *Nec frater minor facit contra regulam, vel animam, si seruet seruanda.*
9 *Nec D. Bernardini Doctrina est contra Sotum.*
10 *Miles tenetur obedire suo Duci, etiam sacrilego in bello iusto.*
11 *Testificari autem quis tenetur etiam ad mentem Soti, vbi pernicies publicè sequeretur ex occultatione veritatis, vel aliud simile, etiam si dubitet, an iuridicè interrogetur.*
12 *Cęterum rationabiliter dubitans testificari non tenetur quantumcumque obstrictus sub præceptis.*

1 ABsolutè dico non teneri quis testificari, si rationabiliter dubitat, an iuridicè interrogetur: prę̨sertim a Prælato aliqualiter suspecto: secus, si absque rationa-

bili de causa dubitaret: quia tunc teneretur, vt docet D. Antoninus par. 3. tit. 9. c. 7. §. 5. Si autem rationabiliter dubitat, non tenetur, vt singulariter docet Sotus de iust. & iu. lib. 5. quæst. 7. artic. 1. & de secr. mēb. 2. quęst. 9. conclus. 1. dub. 3. vt videlicet quando Prælatus dignoscitur ignorantia iuris laborare, vel aliqua passione, aut factione agitari, & inde imminet maximū damnum reo prætenso, vt mors, vel quasi æquiualens; & præsertim cum in dubio unusquisque præsumatur bonus quo adusque probetur malus. Et denique iura clamant pro reo standum ceteris paribus.

2 Nec ista opinio Soti singularis ita intellecta, prout intelligi debet, est contra communem, prout illi imponunt nonnulli, qui & illum perperam impugnant.

3 Nec fundamentum Soti de pœna mortis est solum, sed sunt alia, vt constat ex dictis: & hoc idem habet locum etiam inter ipsos regulares, qui pœna æquiualenti plectuntur: nempè triremium, vltra id, quod possunt tradi delinquentes foro seculari cum solitis protestationibus ad euitandas irregularitates; & testis non est certus, quod non tradatur.

4 Et argumentum eorum potius ridiculum est, quàm solidum de gradibus bonorum animæ, corporis, & famæ; nam sic negare veritatem in iudicio rationabili de causa nullum est peccatum lethale, nec peccati periculum, si seruentur quæ supra; cuius oppositum supponit argumentum.

5 Nec sententia Soti potest intelligi de peccato notorio auctoris occulti in inquisitione generali: nam certum est tunc Prælatum iuridicè inquirere propter notorietatem delicti, vt determinatum est supra.

6 Et

6 Et similiter subditus, qui solus nouit auctorem occultum tuta conscientia negat, nisi alia obstent superius discussa.

7 Contraria opinio nunquam procedit, nisi vbi testis absque rationabili causa de suo Prælato iudicaret ipsum iuridice non interrogare. Et hoc non est contra Sotum, qui optimis nititur fundamentis, si rectè ponderentur.

8 Nec denique frater Minor contra Regulã, vel cõtra animam suam facit, non testificando veritatem modis, & formis superius expositis; quod postremo argumento vrgent, quod si procederet, valeret in omnibus superius positis casibus. Et sic frater Minor nullo in casu, vel nulla ratione posset occultare veritatem in iudicio stante superioris præcepto: quod est contra communem, & contra eorumdem doctrinam alibi traditam.

9 Et quod subditur de sancto Bernardino; népè, quòd subditus obedire tenetur, quando rationabiliter dubitat, an quòd præcipitur, sit peccatum, vel non, nullatenus est ad propositum: nam loquitur præcisè, vbi rationabiliter timetur de peccato: & in dubio tutior pars est eligenda.

10 Et hunc esse suum sensum patet per exemplum ipsius de militante in bello iusto sub homine sacrilego, qui obedire tenetur, vt innocens (inquit) inueniatur, ordinem seruando militiæ, quidquid sit de præcepto Regis; nam tunc non pertinet ad militem iudicare (stante bello iusto) sed solum obedire, alias innumera sequerentur absurda. Cæterum vbi rationabilitas clarè liberat a peccato, vt in casu nostro, propter adductas rationes non tenetur subditus obedire.

11 Secus

11 Secus, si crimina essent in publicam perniciem, vt hæreses, proditiones, crimina læsæ maiestatis, & similia, quæ pro se adducunt, sed nullatenus ad propositum, quia tunc tenetur quis testificari non ex eo, quod sit in dubio, an iuridice interrogetur; sed propter præfatam publicam perniciem, vt ritè docet idem Sotus constanter, & solidè; sed perperam adductus in contradictionem, vt constat ex dictis.

12 Rationabiliter itaque dubitans testificari non tenetur, nec obedire quantumcumq. obedientiæ voto astrictus cuiuis præcepto etiam sub iuramento, vel sub quauis excommunicationis pœna.

Quomodo, vel quid respondere debet testis, quando veritatem aperire non tenetur. Cap. X.

SVMMARIVM.

1 *Varia dicunt Auctores de forma, qua celare debeant veritatem in iudicio adducti.*

2 *Labuntur multi dicentes licitum esse amphibologicis vti sermonibus in iudicio ad occultandam veritatem.*

3 *Quia tunc absolutè, ac sincere quis dicere debet se nescire, vel ignorare, & hoc licitè.*

4 *Id probatur validis rationibus, & Christi Domini exemplo.*

5 *Excluduntur alii modi loquendi amphibologici, & dolosi, vel improprii, & non pertinentes.*

6 *Non oportet aliqua via subterfugere, sed absolutè deponere se nescire.*

7 *Nam*

7 *Nam in tali casu, tam iudex interrogando, quam testis negando ritè, ac rectè vtuntur suo iure.*
8 *Et sic negans non mentitur.*
9 *Etiam quod de nominato, & particulari delinquente quis neget.*
10 *Nec excommunicatio ligat in tali casu in conscientia.*
11 *Secus de pœna temporali, siue de aliis defectibus.*
12 *Nullum itaque præceptum, nec excommunicatio ligat, & certa, & infallibilis regula est, absolutè negare, quod iure aperiri nequit.*

1 MVlti Doctores ex ea receptissima, & verissima Patrum sententia, & Scholasticorum Theologorum in 3. dist. 38. quod nulla ratione vnquã licitum sit mendacium dicere, variè torquentur, modum inuestigando, & proponendo: quibus, vel testes, vel reus iuridicè interrogati, & præcepto, & iuramento astricti veritatem celare possint absque mendacii labe, lethalisque peccati culpa.

2 Et hinc multi præfatum scopulum euadere volentes in præceps ruunt ex Doctrina D. Thomæ 2.2.q.69.ar.1. dicentes, quod vti licet quibusdam amphibologicis verbis, ex quibus sub vno sensu veritas lateat, & sub diuerso, & apparenti celetur iudici. Sed hæc sententia (vt etiam dicetur infra suo loco de reis) mihi semper maximè displicuit: nam si in his casibus mendacium esset celare veritatem: tunc non euitarent mendacium per amphibologiam, sed mendacio dolum, & fraudem adderent, vt constat manifestissimè: dolo enim fallere volunt iudices, & fraudare more diaboli mendaciorum Patris:

tris: qui (vt referunt historiæ tum sacræ, tum profanæ) ante Christi aduentum ex oraculis, & idolis responsa dabat amphibologica in laqueum infelicium, miserorumque idolatrarum.

3 Dico igitur apertè, ac resolutè cum Soto de teg. secr. memb. 3. q. 3. & Nauar. in Man. cap. 18. num. 61. & alibi, & cum melioribus, quod in omnibus casibus, in quibus licitum est celare veritatem in iudicio, non obstante præcepto, vel iuramento, vel excōmunicationis pœna, testis apertè potest dicere, se illam ignorare, vel nescire.

4 Nullaque est opus verborum arte, vel enim non licet celare veritatem, quia tunc adderetur mendacio dolus, & fraus, vt dictum est; vel si licet, semper citra mendacium, & citra omnem culpam fiet. Nam in casibus superius descriptis, & similibus semper testis respondere potest apertè se nescire: quia iure intelligitur nescire, vt dicat, vel nescire eo modo, quo iure dicere debeat. Et id neruosissimè, ac fundatissimè probo ex doctrina, & exemplo Christi Domini nostri, qui est via, veritas, & vita, & veritatis inobliquabilis norma, & regula, qui cum loqueretur de iudicii die, & hora, non amphibologice, non verborum arte, vel dolo, sed apertissmè dixit, se nescire; de die (inquit) illa, & hora, nec filius hominis scit, & id tamen distinctissimè, & clarissimè sciebat: Nec ob id mendacii ab vllo catholico Doctore arguitur; sed omnes Patres, ac Theologi, nemine prorsus discrepante, conueniunt, quod nesciebat ad reuelandum aliis. Sic testes, tanti Magistri exemplo, quantumcumque sub præcepto iurati, & interrogati, possunt apertè respondere, se nescire, nempe ad reuelandum iudici. Et in iudicio, & vniuersaliter ad reuelandum aliis, quia

quia non decet: & illa est veritas, quæ decet, bonum enim, & verum conuertuntur; & tunc vera veritas est veritatem tacere, quia sic decens est.

5 Non oportet igitur torqueri, neque recurrere ad fraudes, vel dolos, nec insanire, vt aliqui dicentes, quod Sacerdos nequit aperire secretum confessionis, quia illud scit, vt Deus, & non vt homo. Nam hoc est aperte contra Scotum in 4. dist. 21. q. 2. & apertius contra veritatem: scit enim Sacerdos, vt homo, cum Deus esse non possit, sed vice Dei, & vt Dei minister, & tamen semper apertè dicere potest, quin & debet, etiam cum discrimine vitæ se nescire.

6 Nec similiter oportet, quod testis quærat subterfugere, vel appellando, vel tacendo, vel ostendendo se per iniuriam interrogari: nam in his, & similibus, vel maximam daret de commisso delicto suspicionem, vel iudicem exasperaret fortè in sui detrimentum, vel iudicem offenderet.

7 Nam datur casus, in quo iudex iuridice interrogat, & testis iuridice negat, & vterq. iure suo vtitur, ut supra ostensum est: falluntur itaq. contrarium sentientes, ac denique fateri coguntur, quod testis apertè respondere potest se nescire.

8 Et quod respondens hoc modo non mentitur, si nihil aliud sciat, quam quod est iure occultum.

9 Quod adeo uerum est, quod non oportet distinguere, ut faciunt quidam, siue enim testis interrogetur in uniuersali, siue particulariter, & nominatim de particulari delinquente, semper respondere poterit apertè se nescire, ut iure dicat.

10 Nec oportet vlterius dubitare, an in talibus casibus

excom-

excommunicatio liget: nam certum est nō ligare quoad forum conscientiæ; quia vel est inualida, uel nulla, & non incurritur excommunicatio, nisi propter peccatum lethale, quod in præfatis casibus abest: sic elicitur ex cap. Nemo episcopum. 11. quæst. 3. & in præfatam sententiam conueniunt Sotus de secr.memb.3.q.1. concl.4. & Nauar. in Man.c.25.nu.3. & alii.

11 Quidquid sit de pœna temporali, vel exteriori, de qua non hic loquimur, sicut neque de contemptu, vel aliis, quæ per seipsa peccatum essent.

12 Sed solum dico, quod nullum præceptum, & nulla excommunicatio in foro conscientiæ ligat quemcumq. testem, qui veritatem celet in iudicio, etiam apertis verbis dicendo se nescire iuxta superius tradita. Et ego semper in secretis quibuscunque mihi commissis eo modo loquendi vtor veritatem occultando, quam propalare iure nequeo, & sic optimum est nescire, & ideo verissimum, sicut pessimum esset prodere, & ideo falsissimum: sic apertè docet Scotus in 4. dist. 21. q. 2. per totam; sed specialiter ad finem, vbi ait; impositor enim falsi criminis, vel cuiuscumque veri occulti, quod non potest probare, pro calumniatore habetur, extra. de calumnia, talis est iste, qui reuelat quodcumque secretum crimen: Hæc Scotus, ad cuius mentem, si quis dicitur calumniator, quia verum occultum reuelat, & contrariorum eadem est vbique disciplina: non euadet calumniatoris nomen testis, nisi apertè negando veritatem occultam, quam reuelare sine calumnia nequit.

An

An testis negans, vel occultans veritatem ad restitutionem teneatur damni inde resultantis. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1 Testis non citatus, non se offerens non tenetur de damno, nisi in casu necessitatis.
2 Nec etiam citatus, & iuratus, quando ex testimonio illi damnum immineret notabile.
3 Limitat auctor cõparanda esse damna testis, & eius, contra quem testimonium quaeritur, & ad iudicium boni, & eruditi viri minus eligendum.
4 Quando vero nullum testi damnum immineat, semper ad restaurationem tenetur.
5 Id rationibus probatur.
6 Limitat Lexius non teneri, quem ad damnum, qui aliqua industria subterfugit Iudicis citationem, & praeceptum, & id licere.
7 Impugnatur Lexius, eiusque dissoluuntur rationes.
8 Talis itaque iurans nedum puniri poterit, vt inobediens, sed tenetur de damno, quicquid alii secus.
9 Falsum verò deponens omnino, & absque vlla limitatione ad restitutionem tenetur.
10 Etiamsi ex retractatione maius damnum sibi immineat.
11 Etiam si dubitet, an sua retractatio sit profutura.
12 Nec excusatur ignorantia, vel inaduertentia, postquam resciuit, contra secus opinantes.

Distin-

1 DIstinguendum est de teste, an sit citatus uel non: Regulariter enim sponte se offerre non tenetur testis, & ex consequenti, non citatus non tenetur ad damnum resultans, nisi in casu necessitatis; ut si clarè cognosceret suum testimonium esse necessarium ad liberandũ innocentem, uel etiam accusatorem a pœna talionis, quando ex conscientia tenebatur accusare, & in similibus teneretur quilibet ad restitutionem, etiam non citatus, nisi sponte se offerret ad testificandum, ita Nauarr. in sum. c. 15. nu. 17.

2 Si uero citatus est, & iuratus, iterum distinguendum; nam uel damnũ graue ex testificatione probabiliter ille imminet, uel nullum damnum, aut leue, si primum, docet Sotus de secr. memb. 2. q. 7. dub. 3. & Nauar. c. 25. nu. 50. quod talis nõ tenetur testificari, nec superior potest eum cogere, vel ipse potest citatus non comparere; vel si compareat, aliquo artificio se eximere, & liberare, nisi ratio boni publici secus requireret.

3 Adderem ego semper aliam limitationem, quod sicut bonum publicum præferendum est priuato; ita comparanda esset bona, vel damna testis, & illius, contra quem testimonium quæritur, & secundum maiorem, vel minorem excessum damni alterius partis ad arbitriũ, & iudicium eruditi, & boni viri, cuius consilium sequeretur, vel testificandum, vel a testimonio abstinendum, & sic tutus erit in conscientia.

4 Si vero nullum damnum testi immineat, citatus, vel iussus, semper ad restitutionem tenetur quomodocumque veritatem occultet de industria, vel fugiendo, vel subterfugiendo cautelis, vel amphibologicis, & similibus. Ita sentiunt Nauar. cap. 25. num. 41. Sotus lib. 5.

de

de iust. & iur. q. 7. ar. 1. & Salon. q. 70. art. 1. dub. 3.

5 Et ratio eorum præcipua est, sicut occultans, aut lacerans aliquā scripturam, nè producat iussus illam producere, ad restitutionē damni inde sequuti tenetur, ita qui renuit testimoniū dicere citatus, quando ex eo sequitur damnū Reip. vel tertii. Addo ego validiorē rōnem, q̄ semper in regularib. militat; nam ipsi si debitè citati, & & interrogati renuant obedire, peccant mortaliter contra obedientiæ votum, quod peccatū remitti non posse videtur, cum ex eo sequatur ablatum bonum proximo per illatum damnum in his tantum, in quibus testificari tenetur ex superius explicatis.

6 Lexius tamen lib. 2. de iust. & iur. cap. 39. distinct. 8. in eo contradicit limitando, quod qui se occultat, vel fugit, priusquam iudicis præceptum, aut citatio ei legitime intimetur, non tenetur ad restitutionem damni inde sequuti, quamuis potuerit peccare grauiter contra charitatem, quin idem asserit de illo, qui post legitimam citationē fuga, vel fraude aliqua testificādi actum declinet. Primū probat, quia nemo obligaur præcepto superioris, priusquam ei debito modo imponatur, sicut qui fugit, nè instituatur tutor, vel curator pupilli.

7 Sed vanum est hoc Lexii fundamentum, & nullā habet veritatem, nisi ubi damnū tertio non obuenerit, & exemplum suum de tutore non militat duplici de causa. Prima, quando possunt alii reperiri in tutores: secunda quia si alii non reperiantur, semper tutor, & curator periculo damni, & moltoties damno se exponit, a quo nunquam, uel uix eximi potest. In superiori autem casu suppositum est nullū sufficiens damnū obuenire testi. Quare, si p[illegible] mortaliter damnum inferat, mihi uidetur

M

ad restaurationem teneri, licet enim peccatum sit contra charitatem immediatè: tamen ex consequenti est cōtra iustitiam, vt patet: & per hoc ad alias probationes Lexii pro suo secundo asserto, quia (inquit) talis citatus, & iussus repugnans, solum peccat contra obedientiam, & non contra iustitiam; ita, vt sit inobediens, & contumax, & non iniustus: exemplis probat, sed sunt superflua; nam præfata doctrina vera est, quando præcisè iudiciū sistit gradum in contumacia, uel inobedientia, nullo sequuto tertii dāno; sed quando ex eo damnū sequitur, licet peccatum primò, & immediatè sit contra charitatem, & sit formaliter inobedientia, vt concedo; tamen ex consequenti est contra iustitiam, & sic in similibus casibus, contra Lexii corrolarium tenetur testis iussus, & iuratus nedum ex charitate, vel obedientia, sed ex iustitia respondere, nec iudex præcepto suo imponit illi obligationem iustitiæ ad iurandum, vel respondendum: sed illa suaptè natura oritur propter sequelam damni, vt dixi, & dico.

8 Quare talis iurare nolens, vel respondere, nedum puniri poterit, vt inobediens, sed vlterius ad restitutionē damni inde sequuti tenetur. Mea itaque sententia toto cœlo aberrant quidam, duo illa magna derelinquendo lumina, Sotum, & Nauarr. & cum eis consentientem Salonem, & se implicando tenebris in hac parte Leonardi Lexii alias lucidissimi Doctoris. Et hæc de occultante veritatem dicta.

9 Quando vero testis absolutè falsum deponit, ex quo resultet damnum Reipublicæ, vel tertio semper ad restitutionem absolutè tenetur absque aliqua limitatione, vel distinctione.

10 Etiam

10 Etiam, si ex retractatione maius damnum illi immineat ex communi omnium Doctorum sententia; potior enim est semper cõditio innocentis, & falsum deponens sic tenetur semper se retractare.

11 Nec excusat, si dubitetur, an retractatio sit profutura; nam quilibet, quod suum est, experiri, ac tentare tenetur in tali casu.

12 Nec excusat ignorantia, vel inaduertentia, vel obliuio contra id, quod perperam docent aliqui ex Caietano, & Petro Nauarro, quorum sententia vera est, quousque sic deponens in eodem statu permaneat, sed certior factus de sua inaduertentia, vel ignorantia, vel obliuione, & de similibus tenetur semper se retractare ad restaurandum illatum damnum, etiam cum periculo mortis (quatenus causa id expostulat) vt docet Petrus Nauar. lib. 2. cap. 2. num. 253. quo in sensu intelligendus est etiam Lexius nonnullis citatus cum sua adducta ratione.

De numero, & qualitate testium sufficientium ad plenam probationem. Cap. XII.

SVMMARIVM.

1 *Duo testes contestes ad minus requiruntur ad plenam probationem.*

2 *In personis insignioribus maior numerus requiritur secundum eorum eminentiam.*

3 *Opinio dicentium non requiri plures, quam duos testes ad condemnationem Prælatorum Regularium.*

M 2 4 *Infici-*

4 *Inficitur, & limitatur præfata sententia.*

5 *Cuperet Auctor saltem quatuor requiri testes contra Prouinciales.*

6 *Contra vero Patres ordinis, & officii iam functos, ad minus tres requiri omni exceptione maiores.*

7 *Hoc videtur conforme Christi doctrinæ.*

8 *Contra personas ordinarias duo sufficiunt testes contestes.*

9 *Et id est de iure diuino positiuo contra secus opinantes.*

10 *Nec accusator potest assumi in testem, vt faciat numerum duorum testium contra secus docentes.*

11 *In processu enim ex munere non requiritur accusator.*

12 *In Denunciatione denunciator in testem assumi potest.*

13 *Testes, vt plenè probent, debent esse iurati contestes, & deponentes de certa scientia.*

1 Compertissimum est iuxta Domini nostri expressam Doctrinam Mat. 18. duo testes contestes ad minus, & omni exceptione maiores requiri ad plenam probationem faciendam, sicut etiam explicatur de iure communi; & est de iure gentium, & est communissima, & receptissima sententia.

2 Tamen ad aliquarum personarum insignium damnationem requiritur maior numerus testium: nam (vt definitur in iure canonico 11. quest. 4. cap. Præsul) Episcopus Cardinalis non damnatur, nisi septuaginta duobus testibus, Presbyter Cardinalis 64. Diaconus Cardinalis, Subdiaconus, & inferiores Cardinales viginti septem

ptem, contra quoscumque vero alios clericos, etiã Episcopos septem sufficiunt, ad aliorum vero condemnationem testimonium duorum sufficere dictum est.

3 Notat autem Rodericus q. 3. artic. 1. non esse cur ad condemnationem Prælatorum Regularium plusquam duos testes requiramus, cum omnes (licet sint supremi) quoad iurisdictionem episcopis tantũ æquiparentur, qui episcopi per ipsum per duos testes condemnari possunt.

4 Quæ sententia, cũ sit contra ius cõmune quoad Episcopos, vt superius patet, ego crederem etiam præfatos duos testes non sufficere ad condemnationẽ talium Prælatorum Prouincialium, vel maiorum, nisi omni prorsus exceptione essent maiores; ad quos etiã repellendos deberet sufficere quælibet minima exceptio: nã prædicti Prælati sunt scopus omnium sagittarũ subditorum, & ego experientia didici, quemlibet quãuis iustissimè, acmitissimè punitum, vel etiam in aliqua re, etiam leuicontristatum, inimicè perpetuò insectari Prælatum punientem, vel contristantem.

5 Vellem ergo saltẽ quatuor testes adhiberi omni communi exceptione maiores ad præfatos condemnandos Prælatos, nec sufficere minorem numerum.

6 Maximo etiam cum moderamine procedi vellem cũ insignioribus ordinis Patribus: præsertim cum his, qui huiusmodi Prælatorum munere functi fuerint; ad quos condemnandos vellem non sufficere minorem numerum, quam trium testium.

7 Quod ex eadem Christi doctrina planè elici posse videtur; cum enim dicat Matth. 18. in ore duorum, vel trium, expresẽ innuere videtur in aliquo casu nonminus, quam tres testes plenè probare posse: casus

verò apud nos non videntur esse posse, nisi superius positi.

8 Cæterũ quoad personas ordinarias, & priuatas duos tantum sufficere testes clarissimum est, tum ex Christi præfata doctrina, tum ex iure canonico eam explicante, tum de iure gentium, tum ex vsu, & consuetudine apud omnes probatas Religiones recepta.

9 Ex dictis constat errare illos, qui asserunt, prædictũ numerum duorum, vel trium testium non esse de iure diuino positiuo; cum in vtraque pagina expresse contineatur Deuter. 17. & 19. & Matth. 18. vbi Christus nedum explicat, sed confirmat, & innouat vetus præceptum, vt sentit communis Doctorum sententia.

10 Errant etiam, cum subdunt, non requiri aliquo iure, vel naturali, vel diuino positiuo, vel gentium duos testes vltra accusatorem, & quod accusator potest assumi in teste.

11 Confundunt enim terminos, & modos procedendi, nã si iudex procedit ex munere modis superius explicatis, vel generaliter, vel specialiter, certum est non requiri accusatorem, sed alia superius tradita.

12 Si verò procedit ad instantiam partis, vel procedit, vt excitatus tantum, vt contingit in denunciatione; & tunc denuncians potest assumi in testem, vt supra fusius explicatum est, & hoc est, quod probare possent, vt nos probauimus ex doctrina Christi. Matth. 18. nempè, vt denuncians cũ vno teste assumpto faciat duos testes, & cum duobus assumptis tres existant. Cæterum quando procedit iudex ad instantiam partis per viam accusationis, requiritur semper, vltra duos testes, accusator, neque tunc accusator vllatenus potest assumi

in

in testem, vt perperam probant contra omnium Doctorum communem sententiam ex præfata Christi doctrina male intellecta; & si hoc non est de iure naturali, vel diuino expressè, saltem est eis valde conforme; est autem omnino de iure gentium in omni accusatione vltra testes requiri semper distinctissimum accusatorem, vt sentit communis Doctorum sententia, & obtinet vbique gentium in omni foro communis vsus.

13 Vt uerò præfati testes plenè probent, debent esse iurati, ut inferius dicetur. Secundò debent esse contestes ita, ut de eodem facto, eodem loco, & tempore patrato deponant: alias essent singulares testes, de quibus fusius in sequentibus capitulis. Tertiò debent deponere de visu, uel de certa scientia per alium sensum, l. solam. C. de test. cum Glo. ibidem, & omnibus Doctoribus: nam de auditu ab aliis nil probant quoad hoc: denique debent esse omni exceptione maiores modo superius explicato.

Qui sint singulares Testes. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Testes singulares multipliciter dicuntur, primo quoad substantiam.*

2 *Secundo, quoad quantitatem.*

3 *Tertio, quoad qualitatem.*

4 *Quarto, quoad locum, cum quo coincidit situs.*

5 *Quinto, quoad tempus.*

6 *Remissius in accusatore desideratur hac circumstantia, vbi copia testium adest.*

7 *Distincti vero, & rigorosè in testibus ipsis.*

8 *Idem in accusatore, vbi testis adducitur vnicus.*

9 *Testes exquisitissimè super his examinandi ad habendam singularitatem, vel conuenientiam.*

10 *Sexto, contingit singularitas, quoad habitum.*

11 *Septimò, quoad agere, & pati.*

12 *Octauo, quoad relationes.*

13 *Nono, quoad sensum.*

14 *Contestes dicuntur, quando concordant in substãtia, & circumstantiis principalioribus.*

15 *Leuiusculæ verò discordantiæ nedum non obsunt, sed validius reddunt testimonium.*

16 *Non dicuntur singulares, sed contestes, qui per foramen vnus post alium successiue viderunt.*

17 *Idem videtur de testibus, qui in eadem nocte successiuè idem crimen viderunt.*

1 MVltipliciter dicuntur testes singulares, vt notat Rodericus q. 9. art. 1. Primo quoad substantiam iuxta Baldum in l. testium, col. 5. num. 14. C. de testib. vt si vnus testis deponit de Paulo: alius de Francisco, vel vnus lapide occisum, alter ferro.

2 Secundò, quoad quantitatem, vt si vnus dicat decem, alter quinque; nam saltem quoad quinque reliquos erunt singulares.

3 Tertio, quoad qualitatem, vt si unus absolutè, alter sub conditione deponat, uel unus uestitum albis, alter coloratis.

4 Quar-

4 Quarto quo ad locum, vt si vnus dicat sub schino, alter sub pino, vt in Daniele. Vbi notandum ex Doctrina Baldi consil. 25. quòd si loci diuersitas inducit contrarietatem, vel incompossibilitatem, tunc falsum testimonium supponitur, vt contingit in facto non reiterabili. In facto vero iterabili diuersitas loci non reddit falsum testimonium, sed solum testes reddit singulares, de quibus hic loquimur. Cum hac circumstantia coincidit situs diuersitas omnino quoad hanc iudiciorum materiam: quidquid prolixius distinguat Rodericus, vt patet per eius exempla.

5 Quinto quo ad tempus, ut si vnus deponat factũ Kalendis Maii, & alter Iunii; vel vnus nocte, & alter die, siuè sequenti, siuè precedenti. Circa quod parua diuersitas temporis non sufficeret. Et idem dicendum quoad falsitatem, vel singularitatem testium circa diuersitatem temporis, vt dictum est in diuersitate loci: nempè, vt factum non iterabile falsitatem, iterabile vero singularitatem inducat.

6 Hic anguntur nonnulli varie se torquendo circa tempus, & locum se inuoluendo, non distinguentes ea, quæ ad accusatorẽ, ab iis, quæ pertinent ad testes: nã quoad accusatorem sufficit, & aliqualiter tempus, & locum describere, ubi adest copia testium.

7 Distinctissimè uero à testibus hæ circumstantiæ disquirendæ sunt, nè contingat errare in ferendo iudicio, & nè reo defensiones præcludantur, cum ualidissimè ex repugnantia loci, uel temporis defendere se possit. Testes itaque non concordantes de tempore, ac loco singulares sunt, uel falsi iuxta Baldi recitatam doctrinam.

8 Re-

pōnit Rodericus, uidelicet quādo testes deponunt se diuersa uerba audisse, & ad præfatos modos uidentur posse reduci omnes alij modi contingere possibiles in causis, & iudiciis criminalibus.

14 Notandum uero, quòd testes non dicuntur singulares, quando in facto principali, in quo negotii substantia præcipuè consistit, concordant per eadem, uel æquiualentia uerba, quamuis in aliis minus pręcipuis circumstantiis discordent: immo tunc dicuntur cōtestes, & conformes, ut patet ex iure communi. l. qui senten. C. de pœnis. l. quicumq; C. de hęret. & ex Diuo Thoma 2.2. quęst. 70. art. 2. ad secundum, & Soto lib. 1 de iust. & iur. quæst. 7. art. 2. ad primum, & ex Glos. in cap. 1. de conuer. coniu. & aliis, quos refert Rodericus quæst. 9. art. 3.

15 Immo addit ex eisdem Doctoribus adeo uerum esse, discordantiam in minimis quibusdam nō nocere, ut hæc interdum testimonium reddant ualidius, quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis uiderentur ex condicto eumdem sermonem referre.

16 Neq; pręterea sunt testes singulares illi, qui per unum foramen, per quod simul uidere non poterant, unus post alterum uiderunt quempiam cōmittentem aliquod delictum, sed contestes erunt, & plenè probantes, si intra breue spatium temporis idem delictum continuatum uiderunt, ac propterea de uno, & eodem actu numero testificentur. Tunc enim non potest præsumi pluralitas actuum, nec temporis diuersitas, nec loci, ut constat; sed unus numero actus, & una temporis coniunctio, & idem locus: sic tenent iurisconsulti, Baldus in l. testium C. de test. & Glos. 1. in c. Nihilominus cum uersic. simul. quæst. 3. & 6. Antonius de Butrio in c. cū oportet. de accu. nu.

12. &

12.& in d.c.nihilominus, & Arena, & Cinus in d.l.test. & alii, quos citat, & sequitur Rodericus q.9.cit.ar.2.

17 Addens, quòd si eadem nocte visus est Clericus cum Concubina in principio noctis ab vno teste, & ab altero in media nocte, vel in aurora, hi præsumuntur contestes, circa quod prudentiam & arbitrium Iudicis valdè requiri mihi videtur, & magis cautè determinandum.

An aliquo in casu possit aliquis per singulares testes plenè conuinci, & condemnari. Cap. XIIII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio dicentium testes singulares plures, quam duo sufficere ad plenam probationem.*

2 *Auctor non amplectitur sententiam præfatam, nisi in perniciosis, & enormibus excessibus.*

3 *In reliquis recedit a superiori sententia.*

4 *Sententia Caietani explicatur, qui tandem cum Auctore consentit.*

5 *Exemplum Roderici impugnatur tanquam non ad rem.*

1 RODERICUS eadem quæst. art.6. dicit esse plurimorum Doctorum sententiam: quod si testes singulares plures sint, quàm duo, & fide digni, tunc procedi poterit ad pœnam ordinariam imponendam. In quam sententiam citat Simancham, Caccialupum, Frãciscũ Brunum, Socinum, Hyppolitum, Marsilium, & Tiraquellum; a qua tamen recedit; Verumtamen superius arti.2. videtur sibi aliqualiter contradicere: vbi adducit Caiet. 2.2.q.70. artic.

ar. 2. dicetem, quòd propter singulares testes inuenitur fulminata sententia multorum Patrum in peccatis Religiosorum, quod ex eo tolerabile reputabat, licet non sit secundum rigorem iuris, quia non tam proceditur inter regulares ad puniendum, quam ad salutem animæ; quam rationem ego nullatenus approbo, vt alias dixi.

2 Sed potius crederem in aliquib. tantũ enormibus casibus Reip. damnosis, & perniciosis, & difficillimæ probationis præfatam sententiam Caietani, & aliorum citatorũ Doctorum sequendam, & amplectendã, quidquid varie dicat Rodericus, vt v. g. in casu hæresis, vt notat Simanchas de instit. cat. tit. 64. nu. 77. vt si multi viderint eundẽ hoĩem diuersas hæreses docuisse, vel exercuisse diuersis locis, & tẽporib. nam eligibilius esset huiusmodi virũ adeo perniciosum è medio tollere, quã iuris rigorem seruare velle; similiter si sollicitationes ad actum carnis in actu Sacramentalis confessionis probarentur a plurib. licet singularibus testib. In his ergo, & similibus casibus recedẽdum est a regula communi, & communi rigore iuris, sed magna adhibita prudẽtia, ritèque põderatis ponderandis de qualitate personæ delinquentis, grauitate, & pernicie delicti testium fide, ac similibus.

3 Quibus exceptis nõ possum adduci, vt sentiã cũ Roderico, vel alijs eadẽ quæstione adductis ar. 7. vbi dicit, quòd testes singulares faciunt plenã fidem, & probationem, vt quando testificantur de pluribus actibus habentib. vnã originem, vel causam, vel quando ex dictis testiũ resultat vnum peccatũ in genere, & sic per id multi deponentes de diuersis actibus iurisdictionis probant de iurisdictione; & sic de singulis; nam, si hoc esset verum, semper testes singulares probarent, vbi peccatum

esset

esset iterabile: quod est contra ius commune, vt dictum est.

4 Et idem Caietanus loco adducto cōcludit, quòd reus non potest ad huiusmodi sententiam tolerandam cogi, videlicet ex dictis testium singularium lata, sed debet ex huiusmodi indiciis per tormenta veritas exquiri, vt sententia non feratur, nisi contra confessum, vel conuictum iuxta sacros Canones. 2.quæst. 1.c. Nos in quemquam. Vnde Caietanus tolerat sententiam ex testibus singularibus in religiosis tantum, qui ex humilitate, & mortificatione eam acceptare consentiunt. Non posse autem cogi de iure apertè docet: cum quo sentit Sotus lib. 5. de iust. & iur. q. 7. art. 2. & Communis, vt dixi.

5 Vltimum uero exemplum, quod adducit Rodericus de pluribus audientibus missam, quorum alter audiuit Gloria in excelsis Deo, & alter audiuit Agnus Dei, non quadrat superiori doctrinæ: nam tales nō sunt testes singulares, sed contestes ratione continuationis temporis, & actus, vt superius de videntibus per foramen concubinarium eadem hora, vel nocte dictum est, & sic alia eius adducta exempla vel nil probant, vel non sunt singulares testes, ut in discusso exemplo.

An aliquis possit condemnari per testes singulares, adiuncta fama, vel aliis adminiculis. Cap. XV.

SVMMARIVM.

1 *Singularitas testium triplex. Prima obstatiua, quæ probationem inficit.*

2 *Secunda diuersificatiua, de qua supra.*

3 Ter-

3 *Tertia cumulatiua; quæ non sufficit ad pœnam ordinariam.*

4 *Per solos verò testes singulares numquam poterit quis condemnari, quantumcumque probent in genere, quicquid alii sentiunt.*

1 VLtra superius notata de singularibus testibus notandum est, quod singularitas testium triplex est. Alia dicitur obstatiua, ut quando ex dictis testium nascitur contradictio, uel repugnantia non in minimis circumstantiis, quæ non attenduntur (ut dictum est supra) sed in grauioribus, uel in substantia facti: & tunc nil penitus probant, quibuscumque concurrentibus adminiculis.

2 Alia singularitas dicitur diuersificatiua, ex qua uidelicet nascitur diuersitas rei, uel in substantia, uel in loco, uel in tempore, sed non contradictoriè, uel repugnãter; sed uel de diuersis actibus, uel diuersis locis, & temporibus, & de tali singularitate dictum est superius.

3 Tertia singularitas dicitur cumulatiua, quando uidelicet dictum vnius coadiuuat dictum alterius: ut cũ unus deponit de facto, & alter de fama; vel unus de uisu, & alter, de auditu, & de hac loquimur hic. Et quidquid de his fusius, & prolixius, vel etiam obscurius dicat Rodericus q. cit. art. 4. quo ad hoc in eius uenio sententiam, uidelicet, ut nemò per testes singulares licitè condemnari possit pœna ordinaria, etiamsi concurrat fama de crimine, quamuis legitimè probata; in quam sententiam adducit ibidem Ioannem Andream, Conradum, Brunum, Palatium, Rubeum, Simancham, Iulium Clarum, Boccium, Marsilium, Parisium, Doctorem Angelicum, Sotum, & alios; quorum ratio est, quia in criminalibus ex pluri-

pluribus imperfectis probationibus non consurgit vna, integra, & perfecta probatio.

4 Cæterum (quidquid varie dicat Rodericus hic, & proximis articulis) nullus potest condemnari ex testibus singularibus, etiam concurrente fama, vel aliis adminiculis ex se in sufficientibus, multò minus condemnari poterit ex solis testibus singularibus, quomodocumque probantibus aliquem esse delinquentem in genere contra id 1
quod superiori capite asserebat Rodericus cũ aliis; quia genus quid confusum est, incertum, commune, & indeterminabile; vt notat doctissimus Penna in Directorio Inquisitorum 3. par. conclus. 221. pag. 617. col. 2. & vbi quid in genere probatur, nil ad certum indiuiduum demonstratur, vt requiritur ad condemnationem; nemo 2
enim ex delicto potest condemnari, nisi saltem duobus legitimis testibus sit conuictus. At quod de pluribus differentibus articulis per testes singulares conuincitur, nõ conuincitur legitimis testibus. Quæ sententia, (vltra Doctores a Roderico ibidem adductos) videtur esse com 3
munissima, & receptissima, vt dicunt Simãchas, & Rhofas ibidem adducti, & Concilium Biterrense c. 11. sic decernit ijs verbis. Ad nullius verò condemnationem procedatis sine confessione propria, vel probationibus dilucidis, & apertis: satius enim est relinquere facinus impunitum, quam innocentem condemnare. Et Cõcilium Narbonẽse c. 23. idem sanciuit in hæc verba. Ad nullius verò condemnationẽ sine lucidis, & apertis testimoniis, & probationibus, vel confessione propria procedatis: satius est enim facinus impunitum relinquere, quam innocentem damnare.

Vtrum testes singulares faciant probationem, vel fidem sufficientem ad torquendum, & incarcerandum. *Cap. XVI.*

SVMMARIVM.

1 *Opinio dicentium testes singulares nedum ad torturam, sed ad condemnationem aliquando sufficere.*

2 *A præfata sententia recedit Auctor, testesque singulares ad solam carcerem, & torturam sufficere ait.*

3 *Sufficiēter verò tortus, si plenè purgauerit, absoluendus, sin autem, pęna arbitraria puniendus, secundum rectam prudentiam.*

1 PAulus de Castro in l. admonen. cō. 7. ff. de iureiuran. & l. Lucius. ff. de his, qui notantur infamia, & Bartolus ibidem, & Soccinus consi. 37. & Hyppolitus sing. 114. & alii concorditer docent, quòd Iudex potest non credere Testibus, etiāsi sint contestes, & e contra potest credere his, qui non sunt contestes, rationabilibus de causis, vtpote quandò sunt adeo bonæ vitæ, ac famæ viri, vt illis credere oportere videatur: nam omnis virtus probationis arbitrio iudicis pōderatur, & diiudicatur, vt notat ex præfatis Doctoribus Rodericus eadem quæst. art. 6.

2 A qua sententia ego prorsus recedo, cum sit contra ius commune, cōmunemq. Doctorum sentētiam quoad pœnam ordinariam, & quoad plenam probationē, sed prouisum est a iure, quod obtinuit consuetudinem, & vsum, vt ex dictis talium testium singularium quantum-

N cumque

cumque vita, & fama probatorum nascantur indicia vrgentia, vel semiplenæ probationes (vt aiunt) vt reus incarceretur, tormentisque subiiciatur.

3 Et si non fateatur delictum sufficienter tortus: eo casu prudentiæ, arbitrioq. iudicis ponderandũ erit, an sufficienter purgauerit indicia, & consequenter libere absoluendus, vel aliqua pœna arbitraria fuerit puniendus, non plenè purgatis indiciis ob magnam, & insignem testium singularium fidem; qua in re cautè, ac ponderatè procedendum erit, ne alicui iniuria inferatur a communibus iuris regulis recedendo.

De variatione testium. Cap. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Testis in eadem depositione varius reiicitur tamquam falsus.*

2 *Si vera in alia, & alia depositione variet, sententia multorum est priori eius dicto standum esse.*

3 *Limitat Aretinus præfatam sententiam locum habere, quando pars opposuit.*

4 *Alia sententia, quam sequitur Auctor, testem sic variantem non probare nisi tortum.*

5 *Quod etiam in clericis est seruandum.*

6 *Idem de teste, qui contradixit extraiudicialiter.*

7 *Testi itaque quomodocumque vacillanti non creditur, nisi torto.*

8 *Non dicitur autem varians, si continuo, & rationabiliter se corrigat.*

9 Va-

9 *Varius vero dicitur, qui iam dimissus a iudice mutat inde sententiam.*
10 *Nisi iustam causam suæ correctionis adducat iudici probandam.*
11 *Varius repertus puniendus.*
12 *Iusta causa correctionis videtur obliuio, si verisimilis existat.*
13 *Testis iam dimissus, varius, præsumitur, ac tortura purgandus.*
14 *Periurus, & falsarius puniendus.*
15 *Varietas vero plurium testium in essentialibus nil probat, & standum est pro reo.*
16 *In disparitate autem testium standum est pro dignioribus, & verisimilioribus, & maioribus.*
17 *Discrepantiæ in minimis non efficiunt varios, sed concordes.*

1 Testi varianti ab his, quæ prius in iudicio dixerat, non creditur, vt docent Innocentius, Bartolus, Baldus, Alexander, Decius, quos citat, & sequitur Rodericus q. 10. art. 1. ea tamen limitatione, vt sibi sit contrarius in eadem depositione: quia tunc reiicitur tamquam falsus, vt habetur expresse in iure c. licet causam. de prob. l. eos. ff. de falsis & est communis opinio.

2 Si verò sit sibi cōtrarius testis in alia, & alia depositione eiusdem causæ, credendum priori ipsius dicto, vt docet Abbas in cap. cum in tua. de testibus, quem sequuntur ibidem Innocentius, Ioannes Andreas, Imola, & Recentiores, & post Baldum Alciatus de præsu. reg. 2. præsum. 29. nu. 6. & 7. & suadetur ea ratione: nam talis testis in secunda depositione subornatus præsumitur

a parte, & præterea sequeretur, quod in testis cuiuscumque potestate esset annullare primum suum dictum, & tollere ius quæsitum parti.

3 Quare eamdem opinionem tuetur Aretinus ibidem ea limitatione, quando videlicet pars, pro qua secundo loco testis deposuit, opposuisse reputaretur, vel constaret; secus tenet, si nihil opposuisset.

4 Verumtamen cum testis (vt notat Rodericus loco citato) ex tali variatione dici non possit omni exceptione maior: & addit ex Cardinali in cap. veniẽs, col. 2. in fi. de test. & ex aliis, quod ad dictum talis testis non sufficit deferri iuramentum in supplementum probationis: præsertim cum in vtraque depositione præsumatur iuratus, iccirco talis testis varius in suis depositionibus nõ facit fidem, nisi firmet dictum suum in tortura. Et ita practicari docet Bossius tit. de tortura testium nu. 2.

5 Et sic torqueri debet Clericus, & Regularis secundum communem opinionem Canonistarum; vt colligitur ex Follerio in pract. criminali. fol. 127. n. 47. & Iulio Claro in pract. crim. §. fi. q. 25. nu. 5.

6 Et idem seruandũ est de teste, qui in iudicio deponit contrarium eius, quod extraiudicialiter dixerat; debet enim torqueri ad veritatem inquirendam, & hanc esse communem opinionem testatur Alexander consil. 63. lib. 1. consil. quem refert Turzan. in sua coll. com. opin. 134. & ita practicari testatur Bossius vbi supra. nu. 41. Ita resoluit Couar. l. 2. var. c. 13. num. 7. & Clarus, & Communis, vt dixi.

7 Ex quibus coniicitur, quod, cæteris paribus, semper standum erit dicto, quod testis varians, vel vacillans confirmauerit in tortura, siue sit primum, siuè secundũ, siue

judicia-

iudicialiter, siue extra iudicialiter ante torturam sit dictum.

8 Notandum denique, quod testis varius, vel vacillans dici non potest, si continuo se corrigat allegando iudici causam sui erroris, & correctionis: ita Bartolus in l. eos col. 11. ff. de fal. & Aretinus in c. per tuas col. 2. extra de test.

9 Variare autem dicitur, quando iam dimissus a iudice mutat sententiam, vt ait Firmianus post Baldum, quos citat Rodericus q. 10. art. 2. qui licet adducat in contrariam sentētiam Bossium prolixe altercans, ego nullam video contradictionem in præfatis Doctoribus, sed potius in eamdem conuenire sententiam, vt non dicatur testis varius, si testis continuo se corrigat, vel statim, dum examinatur, vel post ipsum examen statim, si ei dictum iterato legatur, ut superius ego notaui, & notat Firmianus post Baldum vt supra citatus.

10 Et ulterius si testis reddat causam suæ correctionis, iudicis prudentia approbandam, uel reprobandam.

11 Quibus non concurrētibus talis testis, ut uarius, erit puniendus, ut patet in iure l. eos ff. de falsis: & uult Alciatus reg. 2. de presump. præsump. 29.

12 Qui iustam causam correctionis uult esse obliuionem: quod uerum esse fatetur Baldus in l. præib. C. de Episcop. & Cleric. cum quo ego sentio, si obliuio sit uerisimilis: alias nequaquam; sicut a simili testis super non uerisimili deponens non probat, ut colligitur ex iure capit. super hoc. de renunc. & ibidem Antonius, & Aretinus, quos citat, & sequitur ubi supra Rodericus.

13 Testis vero iam dimissus (vt dictum est) semper va-

cillans, & varius præmſumetur, ſi reuertatur ad contrarium deponendum, quia præſumitur, vel a parte ſubornatus, & ſeductus, vel alia iniuſta paſſiòne commotus, ſed eo in caſu lapis lidius debet eſſe tortura, vt dictum eſt, quidquid latius alii diſputent de prima, vel ſecunda depoſitione.

14 Cæterum periurius inuentus, vel falſarius puniendus eſt ſemper iuxta delicti menſuram.

15 Deniq. varietas conſideratur etiā nedum in vnico teſte; ſed in pluribus, quando inter ſe variant, & ſi variét in eſſentialibus, & contrariis, vel contradictoriis, cæteris paribus, non probant, vt dictum eſt ſupra, & ſemper ſtandum eſt pro reo, vt docet D. Thomas, quem citat, & ſequitur Sotus de iuſt. & iur. lib. 5. q. 7. ar. 2.

16 Quando verò eſt diſparitas in teſtibus, vel aliis circunſtantiis, ponderanda ſunt multa, ideſt numerus maior, vel minor dignitas teſtium, probitas, fauor cauſæ, veriſimilia, vel contraria, & ex iis omnibus circumſpectis, & ritè ponderatis iudicabit iudex ſecundum rectam prudentiam, & zelum adhærendo ſemper veriſimilioribus, dignioribus, & omni exceptione maioribus, vt omnes tradunt, & ſuadet ratio.

17 Diſcrepantiæ verò, vel varietates minimi momenti in leuioribus circumſtantiis, quas vt plurimum homines non attendunt, non efficiunt varios teſtes, ſed potius (vt ſupra notatum eſt) conteſtes efficit maioris fidei.

De

De Tortura testium. *Cap.* *XVIII.*

SVMMARIVM.

1 *Tortura extremum est remedium, ad quod nullatenus deueniendum, nisi extrema necessitate.*

2 *Testes quicumque inhabiles per torturam purgantur.*

3 *Idem seruandum in socio criminis.*

4 *Testes torqueri debent ad veritatem habendam ad arbitrium iudicis.*

5 *Rodericus non nisi flagellationibus, & iniuriis vtendum ait.*

6 *Auctor in grauioribus, grauiora vult adhiberi tormenta.*

7 *Mites tamen esse debent Prælati, & a mitioribus incipere torturis.*

8 *Debiliores in causa, & fragiliores primo loco torquendi.*

9 *Moniales nunquam torquendæ, vel in extrema necessitate mitius, & honestius.*

10 *Testes vna tantum vice in eadem quæstione torqueri debent.*

11 *Non est eis danda indiciorũ copia secundum aliquos.*

12 *Auctor consentit in processu ex munere, non autem ad instantiam partis.*

13 *Nec danda copia, quando torquentur inhabiles, vt habiles reddantur.*

14 *Viri verò in ordine insigniores, vel nunquã torquendi, vel non nisi datis defensionibus.*

15 *Grauis tortura nunquam adhibenda, nisi de consilio,*

& consensu diffinitorii.

16 *Auctor semel deliquit in hoc.*

17 *Torqueri possunt infames varii, & veritatem tacentes ex malitia, vel dolo.*

18 *Non torquendi varii in rebus leuiusculis.*

19 *Varians iudicialiter a dicto extraiudiciali torquendus, nisi erroris rationem adducat.*

20 *Sic torquendi testes veritatem occultantes, quando interfuerunt delicto.*

1 TOrturam esse remedium extremum omnes fatentur, & ideo ad illam nunquam deueniendum, si veritas aliter haberi poterit, quando vero aliter haberi non poterit, & deperiret, & cum ea simul deperiret iustitia in perniciem Reipub. vel damnum tertii; tunc necessario recurrendum est ad torturam, vt colligitur ex iure, quod notat Rodericus q. 12. art. 1.

2 Licet enim alias testes essent inhabiles, tortura purgat eorum defectum adeò, vt fidem faciant contra reum; quam alias non facerent sine tortura, & sic testis quicumque infamis, siuè infamia iuris, siuè infamia facti, mediante tortura, & iuramento fidem plenam faciet.

3 Quod idem sentiendum est de complice in crimine: & hæc (vt tradit Bossius tit. de tortura testium) est communis opinio, quam in suis practicis criminalibus sequũtur Marsilius, & Iulius Clarus, quos citat, & sequitur Rodericus eadem quæst. ar. 3.

4 Et vlterius art. 4. sequenti optimè docet ex Clari sententia torqueri debere, vel duos, vel tres, vel omnes testes quotcumque fuerint, si aliter veritas haberi non possit.

possit: quod arbitrio boni iudicis est relinquendum.

5 Et licet subdat, quod Prælati Regulares aliis tormentis vti non possint, nisi flagellationibus, & ieiuniis panis, & aquæ:

6 In hoc errare maxime videtur: nam solum in leuioribus criminibus præfatę pęnæ locum habent: Cæterum in grauiorib. excessibus omnia illa adhibenda sunt tormenta, sine quibus arbitrio boni iudicis veritas haberi non possit.

7 Bene verum est, quòd Prælati regulares in tormentis inferendis non debent esse carnifices; sed mansueti, & mites, & charitate plenissimi: & numquam ad torturam deuenire debent, nisi pro extremo remedio (vt dixi) & in subsidium vbi veritas aliter haberi non possit; & tunc vti debent mitioribus tormentis, quoad fieri poterit; dummodo veritas non periclitetur.

8 Et semper incipiendum est a debilioribus torquendis, vt vel sic ex eorum confessionibus in tortura mitiori euitari possit fortiorum tortura: quibus maiora tormenta essent adhibenda.

9 Moniales verò, vel nunquam, vel vix torquendę, & ab illis, vbi interuenerint, semper exordiendum tamquam a debilioribus; & tunc mitioribus, & honestioribus tormentis vtendum, quando necessitas expostulet, vt torqueantur. Compatiendum enim sexus fragilitati, vt notant Doctores citati a Roderico ibidem.

10 Et præterea testes regulariter non debent, nisi vna vice in eadem quæstione torqueri; & hoc præcedentibus indiciis ad torturam sufficientibus; prout post Baldum consil. 385. vol. 5. docet Brunus in tract. de tortura art. 6. col. 6.

11 Quibus

11 Quibus denique testibus numquam debet dari copia indiciorum, & processus, vt docet Bortolus, & Bossius, quos citat, & sequitur Rodericus eadem quęst. ar. 2. eam adducens rationem, quòd si aliter fieret, destruentur mille processus.

12 Quam doctrinam veram arbitror, quando iudex procedit ex officio in inquisitione, & visitatione generali, vt limitare videtur ibidem Rodericus. Cæterum vbi proceditur ad instantiam partis, & per viam accusationis, mea sententia semper danda erit copia indiciorum, & processus ante torturam, cum hæc sit vexatio, quæ, postquam inflicta fuerit, reparari minime possit.

13 Præterea quando testes reputantur infames, vel inhabiles, & ob id torquendi sunt, vt habiles fiant, & non ex meritis processus, nulla danda est eis copia processus, qui tunc formatur, sed indiciorum, vel pręsumptionum, vel probationum infamiæ, & inhabilitatis eorum, si opportunum, vel necessarium fuerit, quandocumque verò defensioni locus erit, assignandus est eis terminus, vt defendere se possint ad euitandam torturam; vt docet Bossius in tit. de Man. ab hom. 30.

14 Porrò viri in ordine insigniores vel numquam torqueri debent, cum illis fides adhiberi debeat absque tortura: vel, si aliqua urgenti ex causa tortura digni iudicarentur, numquam eis danda erit, nisi prius data illis copia processus, uel indiciorum, uel ęquiualentium, & assignato eis termino, ut se defendere posint, & se a tortura eximere, siue processus sit formatus ad instātiā partis, siue ex officio, & in uisitatione, & inquisitione generali: cū .n. insigniores uiri melior pars Reip. sint, cū illis procedēdū est oī possibili cautela, & circūspectione, ac respectu.

15 Po-

15 Postremo Prælati regulares ad grauiorem torturã nũquam deuenire debent, nisi ex consilio, & consensu Diffinitorii, sine cuius consilio, & consensu, non nisi leuiores illas pęnas ieiunii panis, & aquæ, uel flagellationis applicare debent, & possunt.

16 Qua in re semel ego deliqui cum Prouincialis existerem torquendo grauiter quendam fratrem absque consilio, & cõsensu diffinitorii, licet mea sentẽtia iustè. Tortura itaque cautè adhibenda, & non nisi in subsidium, & de consilio, & consensu diffinitorum, & grauiorum Patrum Prouincię, vel ordinis.

17 Torqueri autem possunt ad effectum testificandi infames (vt dictum est supra) & varii in circumstantia principali; sic Bossius tit. de tortura, & Clarus q. 25. & veritatem tacentes quomodocumque deprehendantur illã tacere malitia, vel dolo, cum illam de iure fateri tenebantur; sic citati Doctores, & D. Anton. 3. par. tit. 9. cap. 11. §. 3.

18 Si autem varietas non sit in facti substantia vel principali, & graui circumstantia; sed in quibusdam leuiusculis, quæ vix notantur, vel memoriæ mandari non solent, impium esset adhibere torturã: ita Communis cum Bar. l. eos. uers. per huiusmodi. ff. de falsis.

19 Varians vero in re principali, etsi dictum eius in iudicio tantum variet a dicto extraiudicialiter, torquendus erit, vt docet Alex. l. 1. cons. 63. & Boss. tit. de tortura num. 21. & Clarus. q. 21. ver. sed pone. nisi alleget, & probet rationem erroris varietatis dicti.

20 Similiter torquendi testes, qui probantur interfuisse delictis, & id negant, vel se nil vidisse dicunt, & similia, ita Clarus dicto loco uer. torquentur etiam. iuxta

vnius

l. vnius. §. iudex. ff. de quæst. Cætera in tortura seruanda dicentur inferius Tractatu de Tortura Reorum.

De falsis testibus. *Cap.* XIX.

SVMMARIVM.

1 *Testis quomodocũq. falsum deponens puniendus est.*
2 *Etsi eius dictum non valeret, etiamsi non iurauerit.*
3 *Sic etiam accusator talionis pœna puniri semper deberet.*
4 *Minui tamen contingit aliquando pœna rationabilibus de causis.*
5 *Regulariter autem seuerius puniendi falsum deponentes, quam ipsi delinquentes.*
6 *In modo vero puniendi semper seuerius puniendi falsum deponentes, & irremissibiliter.*
7 *Exemplum in causa hæresis, vbi falsum deponens non admittitur ad pœnitentiam.*
8 *Testis in vno falsus, in omnibus repellitur.*
9 *Pœna antiquitus falsis testibus imposita.*
10 *Nunc saltem talionis pœna seruanda.*

1 QVidquid prolixe, aliquantulumq. dubie dicat Rodericus. quæst. 15. artic. 1. & 2. testes præsumuntur semper certitudinaliter, & considerate deponere: non enim tenentur (vt supra cautum est) ad illa, de quib. dubitant, vel quæ tantum per auditum nouerunt; sed solum ad ea, quæ certo sciunt, & ideo, si falsum deponãt, semper sunt puniendi pęna talionis, vti determinant Baldus, Corsetus, Iason, Alexander, Guido Papa, Cassaneus,

ſaneus, Soccinus: quos refert, & ſequitur Couarruuias in cap. quamuis pactum. 1. p. §. 7. num. 6. & alii, quos citat Rodericus ibidem.

2 Addens ex Panormitano in cap. 1. extra de crim. falſ. quod falſus teſtis in forma iudicii deponens coram legitimo Iudice, puniendus eſt: tametſi eius dictum non valeret, vel quia non iurauit, vel ob aliam cauſam: & idem tenet Bartolus, Salicetus, Palatius, Rubeus, & Iulius Clarus, ab eodem Roderico ibidem relati, qui dicunt, hanc eſſe communem opinionem; cuius ratio eſt, quia falſus teſtis, in quantum in ſe fuit, nocere curauit: immo vero, & delictum conſummauit: & intentio eius fuit nocere per falſam criminis impoſitionem.

3 Quæ ratio cum plene militet etiam in accuſatoribus, non video, quo iure a talionis pęna eximantur, quando falſum deponunt; Nam, quicquid ſit de iure ciuili, vel etiam Canonico, vel de praxi in aliis foris etiam Eccleſiaſticis, quoad abolitionem talis penæ in accuſatoribus certum arbitror in Religionibus, & inter ipſos Regulares rigoroſè obſeruari debere (vt ſuperius dixi) ad reprimendas innumeras inter ipſos vigentes malignitates, & ad comprimendos malignantes, & inquietos, & inſolentes: quibus purgata, & liberata Religio, quiete, ſecure, ac tranquille Deo ſeruire, ſæculum ędificare, & in obſeruantia diſciplinæ regularis ſe continere poſſit, & valeat.

4 Obſeruandum tamen in his, quod multis modis augeri, uel minui poterit pęna in puniendis falſis teſtibus, uel falſis accuſatoribus: minui enim poterit, quando is, qui falſum depoſuit, ſpontè ad confitendum crimen accedit

cedit, & errati pęnitentiam postulat, prout late probat Tiraquellus, quem adducit, & sequitur Rodericus ibidem; & sic uidi practicare in mea Religione, & Prouincia iuxta etiam statutorum ordinis præscriptum.

5 Contra uero cum falsum deponere in Iudicio sit maximæ malitię, ac maximæ iniquitatis, & impietatis peccatum; debet seuerius, & acrius puniri, quam delictum ipsum, super quo falsè depositum fuit, dummmodo pęna talionis non excedatur sanctissime a sanctissimo Papa Damaso decreta.

6 Seueritas autem in modo puniendi maior exerceri debet in falsum deponentes, quam in ipsos delinquentes de eodem delicto. Et sic, licet hęreticus admittatur ad pænitentiam, antequam curiæ sæculari tradatur:

7 Falsum tamen deponens in causa hæresis non debet admitti ad pænitentiam; nec est ei parcendum pænitere volenti, prout docet Iacobus de Aretio, Cynus, Baldus, Ioannes Andreas, Antonins de Butrio, Marianus Soccinus, & alii Canonistæ, quos refert citatos a Simancha Rodericus, vbi supra, & cōformiter ad hoc extat rescriptum Leonis Decimi Adriano Cardinali Generali Inquisitori Hispaniæ directum, Datum Romæ apud D. Petrum die 14. Decembris, anno Domini 1517. Pont. sui anno 6. In quo cauetur, vt falsi testes in illo sancto Tribunali bracchio sæculari tradantur. Quem rigorem seruandum dixi, & dico, inter Regulares supra quacumque falsi depositione ob causas superius adductas, quoad modum puniendi indispensabiliter, & sine venia, & iuxta falsi impositi mensuram. Quod si obseruaretur, certe non vigerent in ordine, ac Religione tot factiones, tot rixæ, tot contentiones, totque scandala, tum Præla-

Prælatorum intra, & extra ordinem, tum sęculi, tum Principum; quæ D. O. M. per suam bonitatem, & clementiam penitus auertat.

8 Arctius autem aduertendum, quod quando testis in vno falsum dicit, eius depositio repellitur tota, vt suspecta, quidquid sit de veritate in aliis dictis. Ita Clarus q. 53. vers. sed quæro; & Communis.

9 Denique notandum, quod antiqui Romani falsum deponentes a saxo Tarpeio deiiciebant; & refert Aulus Gellius l. 2. noc. Act. c. 1. quod, cum hęc pęna dura viderteur Fauonio Philosopho, dixit ei Sextus iurisconsultus, si falsi testes (Fauoni) a saxo altissimo deiicerentur modo, sicut antiquitus fiebat, non tot homines falsa dicerent testimonia. Ea deiectionis pęna vsi sunt Hispani, vt refert Tacitus l. 5. Ann. & Seneca Declamat. 3. l. 1. & alii, & Episcopus Bedin. de maiest. Princ. n. 157. dicit, semper in ea fuisse sententia, vt testi falso pęna capitalis imponeretur, videns grauissimos homines per falsos testes perquam sępius periclitari.

10 Quod annotare volui, ne pęna talionis, quam seruari permaxime cuperem, grauis nunc appareat, cum iustissimam, ac rectissimam arbitrata illam semper fuerit Antiquitas; ex quo a Sanctissimo Damaso instituta fuit, & nescio qua ratione abrogata.

DE

DE INDICIIS.

Tractatus Octauus.

De indiciis in genere. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *Indicia respectiuè testibus æquiualent.*

2 *Debent autem esse indicia indubitata, & clara, vt conuincant.*

3 *Nam pœna minima corporalis maior est qualibet causa ciuili.*

4 *Sed eadem cautela vtendum, vbi non interuenit pœna corporalis, sed sola priuatio officiorum, & similium.*

5 *Nam in omni causa criminali cautius est procedendum, quam in ciuili.*

6 *In rebus difficillimę probationis aliquando solæ violentæ præsumptiones conuincunt.*

7 *Nunquam tamen ad pœnam ordinariam, sed ad mitiorem, & extraordinariam.*

1 SÆpius mētio facta est supra de indiciis,& de fama indiciorum; quare nunc latius explicanda sunt, nam æquiualent aliquando testibus ita, vt faciant vel plenam, vel semiplenam probationem. Et ita in iure l. sciant cuncti. C. de probat. æquiparantur indicia testibus, & dum loquitur de plena probatione testium, addit, idoneorum.

Dum

Dum vero loquitur de coniunctione instrumentorum, addit apertissimorum; & dum loquitur de coniunctione indiciorum, addit, indubitatorum, & luce meridiana clariorum. Quod ius ciuile canonizatum est per sacros canones. 11. quæst. vlt. capit. sciant cuncti. & alibi: & per consuetudinem in foro Ecclesiastico, & in Religionibus receptam.

2 Et quemadmodum iuxta Chisti doctrinã testes debent esse ad minus duo, vel tres, & contestes, & omni exceptione maiores ad hoc, vt sint idonei ad plenam probationem faciendam; sic ad hoc, quod indicia plene probent, debent esse indubitata, & luce meridiana clariora; vt ex citato iure ciuili dictum est.

3 Quod eò magis est seruãdum in causis criminalibus, quò minima pęna corporalis maior censetur qualibet causa ciuili, argumento l. ita sæuior. ff. de pęnis, vt notat Rodericus q. 13. ar. 1.

4 Sed vlterius ego dico, quod etiam vbi non interuenerit corporalis pæna, sed tantum priuatio, vel officiorum, vel actuum legitimorum, & similium, similiter eadem cautela est procedendum: quia quælibet priuatio talis similiter maior est quacumque causa ciuili: nam hic agitur de fama, vel honore; ibi autem de facultatibus, vel de connexis, & consequentibus, vel similibus, quę tum ex genere suo longè inferiora sunt fama, & honore; tum specialiter apud Regulares omnes, cum ex illorum institutis illa floccipendantur, & pro nihilo reputentur: fama vero, & honor maximi fiant apud omnes.

5 Quare in his causis criminalibus longè vigilantius, & cautius est procedendum, quam in causis ciuilib. prę-

O sertim

sertim inter regulares ad tollēdas malignitates, infamationes, contentiones, & cætera huiusmodi, vt sæpius dictum est. Debent igitur in his testes esse idonei, indicia vero indubitata, & luce meridiana clariora.

6 Aduertendum est tamen, quod in occultis criminib. quæ sunt difficillimę probationis, sufficiunt violentæ præsumptiones, etiam ad condemnandum, vt notat Rodericus q. cit. ar. 2. adducens in eandē sententiam Paulum de Castro, & Hyppolitum, & Carrerium, & alios, qui dicunt eam receptam a Doctoribus, & Cassaneum, & Mascardum, qui dicunt sic seruari in curia, & Haimonem, & Decisionem Rotæ, & Hostiensem, dicentem quod in his, quæ in occulto committuntur, & certa probatio haberi non potest, indicia probabilia, & vrgentes præsumptiones habentur pro sufficienti probatione.

7 Denique concludit cum Lusitano Barbosa, quod in similibus occultis probatio sufficit per coniecturas, vel probationes, quæ in aliis non essent sufficientes; non tamen sufficit ad pœnam ordinariam imponendam; sic ego re vera, nisi apertissima, & indubitatissima sint indicia, numquam consentirem, posse affici reum pœna ordinaria; sed solum extraordinaria maiori, vel minori iuxta maiorem, vel minorem indiciorum apparentiam, & probationem, ponderatis etiam ritè, ac maturè aliis circumstantiis personarum, loci temporis, & similium. At pro vberiori, & distinctiori cognitione distinguendum de indiciis cap. sequenti.

De multiplici differentia indiciorum. *Cap. II.*

SVMMARIVM.

1 *Indicia latè sumpta multa comprehendunt.*
2 *Quæ ab indiciis magis propriè sumptis excluduntur, ut fama.*
3 *Similiter testis.*
4 *Item confessio quæcumque proprii delicti.*
5 *Quæ omnia sunt Indicia latè sumpta, non autem propriè, ac strictè accepta.*
6 *Indiciorum propriè sumptorum descriptio, de quibus hic agitur.*
7 *Indicia unde ortum ducant, & quid efficiant.*
8 *Credulitas maior, vel minor in Iudice ortiur ex diuersitate indiciorum.*
9 *De illis certa regula nequit dari, sed rectum iudicis requiritur arbitrium.*
10 *De nonnullis tamen aliqualis regula tradetur, quæ pro aliis valebit.*
11 *Exemplum indicii sufficientis ad condemnandum simpliciter.*
12 *Indicium sufficiens ad examinandum iuridice, & carcerandum.*

1 SI per indicium accipiatur quodcumque demonstratiuum signum, vel quæcumque probatio alicuius delicti, certum est inter indicia comprehendi famã, te-

O 2 stes,

stes, confessiones extraiudiciales, & similia, vt tradit Bossius, Clarus, & alii, quæ in lata significatione inter indicia ritè computantur.

2 At restringẽdo magis indiciorum significatum, præfata omnia condistinguuntur ab indiciis. Primo namque fama (vt supra ostensum est) adeo est condistincta ab indiciis in pressiori, & magis proprio significatu acceptis, vt nedum sit fama delicti, sed etiam indiciorum: nempè quotiescumque delicta, vel indicia non fiunt statim euidentia, & manifesta, sed solum fama vrget de illis.

3 Similiter testis deponens de visu, quantumcumque inhabilis, numquam indicium appellari poterit, cum possit testificari, vel de indiciis, vel de delicto in se; si vero testis deponat de auditu, constat, quod non probat nisi famam; igitur testis quicumque toto cęlo condistinctus est a fama, & ab indiciis.

4 Et similiter confessio quæcumque proprii delicti: nam si sit iudicialis, sufficientissima est ad condemnandum reum, vt patet; si vero extraiudicialis eo condistincta est ab indicio, quo immediatè aperit viam ad inquirendum de ipso delicto (vt superius ostensum est) nulla habita ratione indiciorum, siue adsint, siue desint, cum sola confessio illa extraiudicialis ad inquisitionem sufficiat.

5 Indicia itaque lato vocabulo sumpta (vt notat Panormitanus extra de probat. c.3.) primo loco possunt capi pro quacumque probatione, siue plena, siue semiplena, siue pro quocumque delicti signo, & tunc dicuntur indicia ab indicando, quia indicant aliquid fa-

ctum

ctum, vel non factum esse: sic comprehendunt omnia supradicta, nec sunt condistincta, vel a fama, vel a testibus, vel a propria confessione, & aliis probationibus, secundo vero modo pressius, & secundum propriam significationem accipiuntur indicia; & ita condistinguuntur ab omnibus prædictis videlicet fama, testibus, propria confessione delicti, & a delicto ipso, & aliis.

6 Ita, vt ex mente Panormitani vbi supra, & aliorum sic describi possint. Indicium est aliquod notabile signum alicuius maleficii ab ipso condistinctum, & ipsum aliqualiter indicans magis, vel minus clarius, vel obscurius secundũ naturã, & diuersitatem indicii. Ex qua descriptione rite ponderata constat indicii discrimen ab aliis, de quibus supra. Et hoc in sensu, nisi velimus confundere terminos, de indiciis pertractandum, sicut & ego pertractare intendo.

7 Et secundum quem optime Thomas de Piperata perpendit, quod indicium porpriè sumptum oritur ex his, quæ vrgere possunt animum iudicis ad credendum maleficium, vel rem, de qua agitur euenisse.

8 Credulitas verò Iudicis maior, vel minor erit secundum, quod maius, vel minus erit indicium clarius, vel obscurius, vt in descriptione prætactum est, adeo, quod (inquit Panormitanus in præcitato capite) quòd indicia secundum eorum diuersitatem inducunt, vel opinionem, vel credulitatem, vel fidem, vel scientiam.

9 Nec possumus de omnibus illis regulam dare certã, atque doctrinam: sed iudex arbitrio suo examinare debet, an plenam, vel semiplenam probationem inducant,

vel solum viam aperiant ad inquirendum, vel aliquid maius, vel minus efficiant: & sic in iure ff. de test. l. 3. §. eiusdē. dicitur, quod nullo modo definiri possint, quę sufficiant ad probationem; sed iudex hoc ex multis arbitrari, & colligere debet, & in eadem sententia Caietanus 2. 2. q. 69. ar. 1. inquit, quod indicium late sumptum aliquandò est perfectum, aliquando imperfectum, & concludit ex Doctrina Sancti Thomæ ibidem, quod materia ista de indiciis regulariter multum ex prudentia iudicis pendet, consideratis conditionibus, & circumstantiis personæ, loci, temporis, & huiusmodi.

10 Distinctius itaque, etsi non de omnibus, saltem de frequentioribus pertractando indiciis, perpendendum est, quidnam efficere possint ad causam, & in iudicis mentem, vt ex illis, quæ secundum communiorem, & receptiorem sententiam pertractabuntur, possit iudex cætera omnia, quæ occurrunt, secundum rectam prudentiam suo arbitrio iuste perpendere, ac diiudicare.

11 V. g. Egreditur quis de camera vnicum habente aditum pallidus, ac tremens habens in manibus gladiū recenti sanguine respersum, & statim in eamdem cameram ingressi plures testes, & contestes, qui præfatum sic egredientem viderunt, inuenerūt mortuum vulneribus cōfossum recenti sanguine similiter respersum: præfatum indicium plenè probatum plenissima est probatio, & sufficientissima ad condemnandum reum sic egressum e camera.

12 Secus si camera alios haberet aditus, & plures ibi extiterint; & egrediens nullū gestaret gladium, sed solum esset pallidus, ac tremens, & ensem haberet in sua vagina

gina repositum nullo respersum sanguine, tale namque indicium solum sufficeret ad capturam, & ad illum examinandum etiam cum iuramento, & carceribus mancipandum, quousque veritas de delicto haberetur. Non crederem autem prædictum indicium sufficere ad torturam, nisi alia superuenirent adminicula, & indicia. At de singulis dicamus magis particulariter, & primum de solito delinquere.

Vtrum solitus delinquere ex eo solo possit damnari, vel torqueri. Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Semel malus regulariter præsumitur malus in eodem genere mali.*

2 *Quare inter multos valde suspectos semel delinquens torturæ subiici poterit.*

3 *In alio vero genere solitus delinquere non modicam gignit præsumptionem.*

4 *Id tamen ad torturam non sufficit.*

5 *In eodem vero genere ignorato auctore delicti certi solitus delinquere torquendus.*

6 *Nisi per triennium elapsum se correctum, & emendatum ostendisset.*

7 *Vel nisi per naturæ mutationem, vel ætatis similia vitia illi amplius non congruerent.*

8 *Nec militat præfata regula in delictis simul, & semel patratis, sed successiuè.*

9 *Bonus e contra præsumitur semper bonus.*

10 *Secus facientes Prælati grauiter errant.*

1 CErtum est ex regula iuris, de reg. iur. in 6. quod qui fuit semel malus, præsumitur semper malus; quæ tamen regula intelligitur in eodem genere mali, vel illi simili, vt tradit Alciat. de præsumpt. reg. tua. art. 3. presumpt. 7. num. 2. & Salicetus, & Bartolus. l. fixa. C. de quæst.

2 Ex qua regula infert Salicetus, quod vbi plures fuerunt in rixa, & reperitur vnus vulneratus, poterit iudex peruenire ad torturam contra illum, qui alias simile delictum commiserit.

3 Etsi autem præfata regula intelligatur semper in eodem genere mali, vel illi simili; verum est tamen, quod qui est malus in vno, habet contra se non modicam presumptionem, quod sit malus in aliis propter magnam criminum connexionem inter se: & sic ex vna specie delicti paterni præsumuntur filii laborare. Canon. si gens Anglorum. dist. 56.

4 Id tamen non sufficeret ad torturam, & multò minus ad condemnationem, quod certum est.

5 At in eodem genere mali aliquo commisso delicto occulto, & ignorato auctore, tenendum est cum præfatis Doctoribus posse procedi ad torturam contra aliàs delinquere solitum.

6 Ponderandum tamen esset, an per aliquod tempus iudicis arbitrio sufficiens, & iuxta communem per triennium a similibus delictis perpetrandis illum abstinuisse constaret, vel si magnam pænitentiam egisset, vitamque in melius commutasset iuxta Bartol. & Bal. l. imperialis. C. de nuptiis. & Menoc. de presumpt. num. 42.

7 Vel etiam si delicta per naturam, vel per ætatem solito delinquere amplius non conuenissent; vt, qui iuuenis

nis fuit libidinofus, regulariter non prçfumitur talis iam fenex factus, vt cum Bartolo, & Felino refoluit Alciatus vbi fupra.

8 Similiter non intelligitur præfata regula de pluribus delictis eodem tempore commiffis: vt, fi quis furtum quoddam cōmifit, nō prçfumitur cçtera commififfe eodem tempore patrata; prout docent Innocentius, Abbas, Imola, Ioannes de Anania, & Felinus: quos citat, fequiturque Rodericus q. 13. art. 3. fed intelligitur de delicto præterito; vt, qui alias fimile delictū cōmiferit, nunc de nouo patratum cōmififfe præfumi poffit, ignorato auctore, & alia non adfint indicia ponderatis præfatis limitationibus, & aliis ponderandis.

9 E contra vero bonus præfumitur femper bonus, etiā nunc, vt dicitur in iure, c. mandata. de præfum. quia de tranfacta vita addifcimus quid de fequenti conuerfatione præfumamus, argumento etiam cuiufdam texti ciuilis, quem citat Rodericus ibidem, & tradit Felinus.

10 Qua in re nonnullos vidi errare Prælatos, qui leuiufculis ex indiciis contra viros in Religione eminentes per plurimos annos moribus, & vita probatiffimos proceffus formare tentarunt feuerius, & rigorofius, quam oportuerit magno cum periculo denigrationis famæ prædictorum; & ex confequenti in magnum ordinis detrimentum; quare fic procedentes grauiffime delinquunt Prçlati, prorfufque abftinere a fimilibus debent.

Vtrum

Vtrum sola epistola sigillo munita, vel alia scriptura priuata faciat plenam probationem, vel saltem indicium ad torturam. Cap. IV.

SVMMARIVM.

1 *Sola scriptura in iudicio recognita sufficit ad condemnationem.*

2 *Quæ habetur pro recognita ob Rei prætensi contumaciam.*

3 *Negans compelli potest ad consimilem scripturam formandam, & ex inspectione litterarum iudicium ferri.*

4 *Periti etiam vocandi, vbi opus fuerit.*

5 *Quæ approbata non sufficit ad condemnationem, sed ad torturam iuxta exigentiam.*

1 RODericus eadem quæstione 13. art. 5. expresse docet, quòd, si quis in aliqua epistola confiteatur suũ delictum, sola illa scriptura priuata sine aliis testibus ad plenam probationem sufficit, dummodo in iudicio recognoscatur a scriptore. Pro qua opinione adducit Rebuffum, Couarruuiam, Auendanum, & Auilam.

2 Addentes, quod scriptura habetur pro recognita ob contumaciam Rei nolentis respondere, vel recusantis comparere per quemdam textum c. fin. de confes. quem ad hoc commendant præfati Doctores, & verum esse intelligunt, dummodo ad recognitionem faciendam prætensus reus citatus fuerit, qui, si dolo, vel fraude cita-

citationem effugeret, ac latitaret, tunc sufficerent contra ipsum edicta communia, & consueta.

3 Quod si reus in iudicio compareret, & negaret scripturam a se scriptam, compelli poterit, & debebit ad similē scripturam manu propria scribendam, & ex inspectione, & comparatione litterarum fieri poterit recognitio iuxta authenticam de instru. caut. & fid. §. si quis igitur. Per quam ita resoluunt, & tenent Baldus ibidem, & Hyppolitus in rub. de prob. & Lopez in l. 129. 11. 18. p. 3.

4 Et si in Diffinitorio non adessent qui ex huiusmodi inspectione, & comparatione litterarum rem diiudicare possent eligendi essent periti in arte scribēdi, & sub iuramento adstringendi ad veritatem dicendam super prefata literarum comparatione.

5 Quæ tamen quantumcumque approbata, etiam a peritis, plenam probationem contra reum in negatione persistentem non faciet; sed tantum semiplenam, vt post alios resoluit Couarruuias pract. quæst. capit. 26. num. 26. & tunc nedum procedi potest ad iuramentum præstandum reo, vt notat Rodericus ibidem: sed etiam ad torturam leuiorem, vel grauiorem iuxta delicti mensuram, quę omnia exequi debet iudex, vel ex munere, vel ad instantiam partis seruato iuris ordine iuxta superius tradita.

De

De aliis diuersis indiciis. Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Fuga duplex, quædam est ipsum crimen puniendum.*
2 *Alia fuga est indicium sufficiens ad torturam.*
3 *Nisi rationabilis excuset ratio, & quæ sit illa.*
4 *Sin autem fuga post famam delicti semper aliquod facit indicium.*
5 *Et grauis inter regulares, vbi fuga iuncta est Apostasiæ.*
6 *Minæ potentis exequi, & soliti delinquere sunt indicium ad torturam.*
7 *Secus in vno vano iactatore, vel nimis probo, nec solito delinquere, quæ solum ad inquisitionem sufficerent.*
8 *Inimicitia ad solam inquisitionem sufficit.*
9 *Similiter sequestratio in loco secreto, & suspecto.*
10 *Et tunc secundum exigentiam adhibenda remedia.*
11 *Idem de pacto cum accusatore.*
12 *Similiter variatio, & titubatio.*
13 *Mendacium, vt delictum punitur.*
14 *Mendacium, vt indicium sufficit ad torturam ad rectum iudicis arbitrium.*
15 *Similiter læsi exclamatio iuxta concurrentia adminicula.*
16 *Dictum socii criminis non est indicium propriè sumptum, sed ad testium normam reducendum.*

17 Nam

17 *Nam purgati per torturam testes fiunt idonei.*
18 *Similiter confessio extraiudicialis latè dicitur indicium*

1 SVnt multa alia indicia diuersorum generum, sed nos (vt dictum est) non omnia, sed alia quædam magis frequentia, & scitu necessaria, percurremus: quorum primum in isto capite sit fuga: quæ est duplex. Nam aliqua fuga est crimen ipsum; & opponitur vt crimen contra effugientem, &, si fuerit probata, sufficit ad condemnationem fugientis, verbi gratia militis fugientis e prælio contra legem, & præceptum Ducis: & inter regulares, monachi fugientis e conuentu contra præceptum superioris: quia statim efficitur apostata, & inobediens, & secundum Apostasiæ, & inobedientiæ modum est puniendus.

2 Secundo modo fuga non opponitur tamquam delictum, sed tamquam indicium delicti, vt, quando sparsa iam delicti fama quis aufugit, talis fuga est indicium non quidem ad condemnandum, sed saltem ad torturam.

3 Nisi aufugiens rationabilem fugæ adduceret rationẽ, videlicet quia iudicem habebat suspectum, vel quia crudeli, & inhumano carcere illum iudex detrudi iussesit, & similia.

4 Si verò nullam afferat fugæ rationem, siue fugiat ante sumptas informationes, vel citationẽ, siue non, dummodo delicti fama fuerit iam sparsa, vel notorium fuerit delictum, semper crederem prædictam fugam sufficere ad torturam leuiorem, vel grauiorem, vel ad arctationem iuxta delicti mensuram.

5 Sed

5 Sed regulariter inter nos non arripitur fuga, nisi ex graui delicto; cum fuga ipsa apostasiam inducat, & pęnam consequentem, in quam nullus sanæ mentis spontè incidere eliget, nisi ad euitandam maiorem pęnam sibi ex graui delicto patrato imminentem. Et idem dicendum est de reo e carceribus aufugiente cum superiorib. limitationibus.

6 Secundo indicium facerent ad torturam minæ præcedentes delictum, si sint prolatę a viro potente delictum efficere, & malæ famæ in eodem genere mali; & multò magis, si solitus esset delinquere, vel minas exequi, vt docet Clarus cum communi q. 21. vers. minæ.

7 Secus, si minæ essent a viro vano, & iactatore prolatæ, & non solito eas exequi, vel etiam a viro probo, & non solito delinquere; sed aliqua excādescentia, vel iræ impetu minante: nam tales minæ, & similes non sufficerent, nisi ad inquisitionem formandam.

8 Tertium indicium est inimicitia, quæ nullatenus mea sententia ad torturam, sed ad solam informationem, vel inquisitionem specialiter instituendam est sufficiens: dummodo fuerit inimicitia capitalis, & ex capitali causa orta, vel saltem graui: quod arbitrio iudicis erit iudicandum.

9 Quartò sequistratio in aliquo loco secreto cum puero, vel cum muliere indicium similiter facit, nō quidem ad torturam, nisi alia adsint adminicula, sed solum ad inquisitionem instituendā similiter specialem ex munere: & eo magis, quo vel fores fuerint obseratæ ita, vt deforis aperiri nequeant, vel fuerit locus obscurus, vel nocturno tempore, & similia.

10 Et secundum circumstantias maiores, vel minores

con-

concurrentes, vel inquisitiones instituendæ, vel correctiones, & prohibitiones faciendæ, ad vitanda suspecta consortia iuxta cuiuscumque approbatæ Religionis instituta.

11 Quinto indicium facit ad inquisitionem, & non ad torturam pactum cum accusatore, vt ab accusatione desistat.

12 Et similiter variatio, titubatio, & inconstantia rei aliquam præsumptionem faciunt maiorem contra reum; vt inquit Clarus loco citato; non autem sufficiunt ad torturam.

13 De mendacio verò non ita vniuersaliter sentio cum Claro; sed distinguendum est de mendacio; sicut de fuga; nam, si mendacium opponitur vt delictum, & probetur, puniendum est pœna falsi iuxta delicti mensuram:

14 Si vero opponitur, vt indiciũ, poterit sufficere ad torturam, vel ad solam suspicionem augendam iuxta mendacii grauitatem, vel perniciem, iudicis arbitrio diiudicandam.

15 Denique exclamatio puellæ, vel pueri, vel cuiuscumque alterius cum fuga illius, contra quem acclamatur; vel cum eiusdem pallore, ac tremore, & similibus accidentibus indicium facit vel ad solam inquisitionem instituendam, vel etiam ad torturam, secundum diuersam delicti speciem, & grauitatem, & concurrentes circumstatias iudicis arbitrio ponderandas, & diiudicandas, vt ex superioribus elici potest.

16 Excludo autem ab indiciis proprie sumptis dictum socii criminis, vel corrupti, & solicitati.

17 Nam tales reducuntur ad testes; & purgata eorum infa-

infamia cum tortura testes efficiuntur idonei, & integri, seruatis seruandis, vt superius expressum est.

18 Et similiter excludo confessionem extraiudicialem; quia reducitur ad confessionem, de qua supra: quæ potest esse tam de indiciis, quam de delicto; & ideo ab indiciis propriè dictis est condistincta, vt determinaui: & hæc de determinatis indiciis, ex quibus cætera distingui, ac diiudicari poterunt.

De indiciorum probationibus. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Indicia probanda sunt per duos testes contestes.*

2 *Vnicus vero semiplenam tantum facit probationem.*

3 *Duo testes deponentes, alter de delicto, alter de indicio graui plenam faciunt probationem.*

4 *At indicia in se probari debent per duos testes contestes.*

5 *Et in omnibus probari debent indicia, sicut delicta in se.*

6 *Hinc testes, quomodocumq. singulares, non coniunguntur ad perficiendum vnicum indicium.*

7 *Nec similia indicia sufficiunt ad torturam per singulares testes tantum probata.*

8 *Neque confundenda probatio indiciorum cum eorum sufficientia ad torturam.*

9 *Indicia quantumcumque ex se sufficientia ad torturam non tamen sufficiunt, nisi sint perfecta, idest plene probata.*

10 *Se-*

10 *Secus in indiciis valdè connexis, & sic ad torturam sufficientibus.*

11 *Indicia verò non connexa nunquam ad torturam sufficient per solos testes singulares probata.*

1 EAdem penitus doctrina, quę tradita est circa probationes delictorum in se, applicanda est probationibus indiciorum; itaque ad plenam probationem cuiuscumque indicii duo requiruntur; testes, & contestes omni exceptione maiores.

2 Vnicus verò, & singularis semiplenam tantum facit probationem: & ita singularis testis necessario distinguitur ab indiciis proprie sumptis.

3 Clarius itaque, ac distinctius notandum, quod, si adsint duo testes omni exceptione maiores deponentes de visu, quorum vnus deponat de delicto in se, videlicet se vidisse Petrum vulnerantem Antonium, & alius deponat de indicio distincto, & non de crimine, dicendo, se vidisse Petrum eadem hora egredientem de loco, vbi Antonius extitit vulneratus, & præfatum Petrum habentem gladium sanguine recenti respersum, certum est, quòd primus testis deponit de delicto, & secundus de indicio tantum, vt constat ex superius traditis: isti tamen plenam probationem facient, & ad condemnationem Rei sufficientem, licet vnus deponat de delicto, & alius de indicio; quia est indicium violentissimum, & maximum, & delicto propinquissimum, & idem semper est dicendum de similibus testibus, quorum vnus probet de delicto, & alius de indicio adeo connexo, vt contestes dici possint ex loco, tempore, & circumstantiis

adeo inseperabiliter connexis. Hoc autem obiter sit dictum.

4 Hic enim non loquimur de probatione, quam faciunt indicia respectu delicti, & ad conuincendum reum; sed solum de probatione indiciorum in se, ita, vt quando indicia non sunt euidentia, & nota, debent probari saltem per duos testes, & contestes ad hoc, vt sint certa, & indubitata, & luce meridiana clariora, vt requiritur.

5 Nam (vt sępius dixi, & repeto) nil magis, vel minus valent probationes indiciorum, quam delictorum in se: ita, vt, si vnus testis singularis omni exceptione maior facit semiplenam probationem tantum respectu delicti, facit etiam semiplenam respectu indicii: & si duo faciunt plenam delicti; similiter duo faciunt plenam indicii probationem; & si testis singularis probat tantum semiplene famam de delicto, similiter & de indicio, sic in omnibus currunt pari passu; & ea seruanda omnino circa testes de auditu, & circa probationem famæ, quæ supra obseruanda diximus in delictis: quare patet valdè allucinari aliquos in hac doctrina, nec intelligere Bossium, Clarum, & Carrerium, quos adducunt, cum expressè asserant nobiscum requiri duos testes ad plene probandum indicia, sicut, & delictum: & hæc est communis opinio, & indubitata in iure conclusio.

6 Ex quo Bossius tit. de indiciis clarius ait: quod duo testes deponentes de duobus indiciis remotis, non coniunguntur ad perficiendum vnicum indicium, & similiter duo testes singulares de auditu non coniun-

iunguntur ad plenam probationem famæ, vel alicuius indicii, vt dictum est.

7 Et Carrerrius in practica fol. 39. num. 4. optime aduertit, quod si vnus testis deponit de fama, & alius de inimicitia, & alius de fuga, & sic de similibus, non coniunguntur ad plene probandum vnum indicium, quod postea sit sufficiẽs ad torturam, ad quam esset sufficiens ex genere suo aliquod illorum indiciorum, si esset plenè probatum.

8 Quod etiam non intelligunt quidã confundẽdo probationem indiciorum cum sufficientia indicii ad torturam, quem in errorem non incidissent, si perpendissent, quod tunc perfectum in genere suo dicitur indicium, quando est plene probatum, verumtamen, si ex genere suo sic perfectum non est sufficiens ad torturam, nunquam per eum, quamuis plenissime probatum, ad torturam deueniri poterit: sed tantum secundum eius sufficientiam procedendum iuxta tradita in superioribus capitibus.

9 Nec obstat regula illa, singula, quæ non possunt, simul iuncta coadiuuãt: quoniam (vt peroptimè aduertit Carrerius) locum habet regula, quando illa sunt perfecta in genere suo, vt tradit Bald. in l. 1. C. de confess. & Alex. conf. 201. col. 4. indicia verò nunquam sunt perfecta in genere suo, nisi sint plene probata, vt dictum est; nec habet difficultatẽ iuxta superius tradita doctrina Carrerii, & Fulgosi in. l. fin. C. familia: quod testes singulares deponentes de pluribus indiciis, quorum quodlibet est sufficiens ad torturam, possint mouere mentẽ iudicis ad torquendum reum, nisi velimus rece-

dere a superiori doctrina: quia nullum præfatorum indiciorum per testes singulares est plene probatum; ideo nec simul cumulata plura plene sufficiunt ad torturam; ideo magno cum moderamine hac in re procedendum.

10 Verum est tamen, quod quando testes singulares deponunt de indiciis adeo connexis, quod vnicum integrant indicium perfectum sufficiens ad torturam deueniri ad illam poterit, non ex vi singularium testium, sed ex connexione indiciorum, vt in exemplo de dicto vulnerati, & de duobus aliis dicentibus vidisse vulnerantem fugientem, & cum ense sanguinolento, & sic militat doctrina Carrerii, & Fulgosii.

11 Ex quibus constat, quod testes singulares de indiciis remotis, & leuibus, vel de indiciis, quamuis grauibus, & non connexis, nec se inuicem complectentibus, nil probant, caute itaque procedant iudices arbitrando, & recedendo a communibus iuris regulis in huiusmodi indiciis dignoscendis, & pro sufficientibus ad torturam approbandis.

DE

DE REIS.

Tractatus Nonus.

PRAEAMBVLVM.

EXpletis superioribus tractatibus, cum suis adiunctis, in isto nono de reo agendum occurrit; quatuor porrò comprehendit, videlicet citationem, interrogationem, carcerationem, & torturam.

De Citatione Reorum. *Cap. I.*

SVMMARIVM.

1 *Numquam Reus citatur nisi expleto iam processu informatiuo.*

2 *Citandus autem praeuia saltem semiplena probatione, priusquam aliud intentetur.*

3 *Carcerandus autem omissa citatione, quando rationabiliter timetur de fuga.*

4 *Citatio, cum sit de iure diuino, nequit omitti, sed bene solemnitates iuris.*

1 PRimum certum est reum citari nō debere, dum formatur processus, siue formetur per viam inquisitionis, & ex munere, siue per viam denunciationis iuridicae, siue per viam accusationis, & ad instantiam partis; sed solum citari debet reus expleto iam processu, quoad testium, vel indiciorum sufficientem examinationem, & probationem; & huiusmodi consuetudo nedum valida est; sed (vt tradit In-

nocentius, Baldus, Ananias, & Iulius Clarus, quos citat, & sequitur Rodericus quæ st.18. artic. 3. eam seruat totus mundus.

2 Examinatis igitur testibus, vel indiciis citandus est reus, si adsit contra eum probatio, saltem semiplena, vel aliquod aliud indicium æquiualens, nec enim citari potest sine tali præuia semiplena probatione; citandus est autem, antequam aliquid aliud intentetur contra eum, quod minimum detrimentum illi afferre possit, vt esset incarceratio, vel tortura, & huiusmodi, præsertim cum sint damna irreparabilia; & secus faciens Prælatus peccaret mortaliter, & omnia tentata essent nulla, vt docet cum communi Nauarr. cap. 25. num. 13.

3 Excipitur tamen vnicus casus; quando nempè ex probabilibus coniecturis iudicis arbitrio ponderandis timeretur fuga ipsius rei, si citaretur: quia tunc sine præcedenti citatione repente, & inopinato incarcerandus est, non quidem formali carcere, vnde oriatur aliqua priuatio; sed veluti in custodia solum ad impediendam ipsius fugam, vt securus retineatur, quousque vltimum proferatur iudicium, & definitiua sententia, ne ex illius fuga periclitaretur iustitia.

4 Cæterum, his obseruatis, citatio est de iure diuino, & naturali, nec prætermitti vmquam potest: sed benè prætermitti possunt iuxta indultum Bonifacii Octaui, & Religionis probatissimam, & receptissimam consuetudinem: quæ pertinent ad Apicem, vel solemnitatem iuris positiui, ciuilis, & canonici; vt sunt citationum interualla, dilationes, & cętera huiusmodi, quæ non sunt essentialia, nec in vsu apud nos; sed citandus

est

est reus ea forma, qua in sequenti capitulo statim dicetur.

Quomodo, & qua forma citandus est reus.
Cap. II.

SVMMARIVM.

1 *Citatio debet fieri iuxta probatam cuiuscumque Religionis consuetudinem.*
2 *In Religione Auctoris soli Prouinciales, & eorum superiores citandi facultatem habent.*
3 *Qua forma citandi sit in vsu in eadem Religione.*
4 *Strictiorem formam citandi cuperet Auctor, & qua per epistolam.*
5 *Et qua forma per internuncium.*

1 Argumento eorum, quę in sacris canonibus capitq; si Romanorum. 19. quęst. 1. cap. Damnamus. de summ. Trinit. ex D. Ambrosio notatur, Citatio reorum debet fieri iuxta antiquissimũ stilum, & veterem cuiuslibet Religionis consuetudinem: nam illam per tot sæcula probatam à Sancta Romana Ecclesia nullus relinquitur ambigendi locus.

2 In nostra porrò Religione cum solum Pręlati prouinciales, & eorum superiores, vel horum delegati, & nullus alius in causis grauibus processus formare, & in scriptis procedere possit, constat, quòd solum præfati reos citare possunt.

3 Quæ citationes regulariter sub quadam bona fide fiunt, ita, vt ego vidi vt plurimũ obseruari, quod Prouinciales per simplices epistolas reos pretensos euocent, nulla indicta, vel intimata causa specialiter contenta in processu contra eos; sed solum per obedientiam illis precipiunt ad suam præsentiam venire rationabilibus de causis pertractandis, & similibus vtuntur formis; Vel, si rei presentes reperiantur in eodem conuentu per quemlibet fratrem indifferenter regulariter euocantur ad præfatorum Prælatorum præsentiam, & residentiam, vt inde interrogati respondeant prout de iure.

4 Et licet iuxta indultum Bonifacii Octaui modus citandi præfatus, vel alius non vitiet processum, cum sola citatio sit essentiale iudicii, non autem modus citandi: verumtamen ad tollendas omnes tergiuersationes, & perniciosas dilationes ego cuperem strictiorem formam citandi reos in nostra Religione obseruari: nempè, vt in processu adnotaretur diligenter citatio cum termino præfixo ad comparendum ipsi reo opportune, & cætera omnia de exequutione, vel contumacia ipsius citati in actis redigerentur; & citaretur Reus, si fuerit absens, per Epistolam solito Prælati sigillo munitam, & propria eius manu subscriptam, & inde transmitteretur fideliter, & in proprias manus coram testibus reo prætenso præsentaretur; vt si elapso termino ei præfixo non compareret, posset bis, vel ter citari, & inde in contumaciam condemnari, prout de iure.

5 Si verò in eodem conuentu fuerit, vellem citari per internuncium similiter bis, vel ter coram testibus ad

præ-

præfixam, & determinatam horam diei, & similiter 1
notari in processu citatio cum debito interuallo ad comparendum, vt similiter possit procedi, prout de iure, si citatus venire contempserit; & propterea, vt, omni remota tergiuersatione, vel temporis dilatione quieti, & tranquillitati Religionis quam citius consulatur, huiusmodi causis criminalibus quam citius expeditis: hic autem secundus citandi modus cum per internuncios sæpius repeti possit, arbitrio iudicis erit, vel coram testibus, vel aliter illum prosequi, prout opportunius iudicauerit secundum qualitatem personarum, loca, tempora, & alias circumstantias.

An Generalis possit priuare Prouinciales, vel Commissarios, & Visitatores suis officiis ob aliquam grauem causam, sine citatione præcedente?

Cap. 14.

SVMMARIVM.

1 *Quicumque Prælati delegati possunt a suis delegantibus remoueri nulla præuia citatione.*

2 *Prælati vero canonice instituti, vel electi, nequaquam contra secus opinantes.*

3 *Soluuntur contrariæ rationes.*

4 *In canonice institutis officialibus nunquam citatio omittenda, cum sit de iure diuino.*

5 *In aliis etiam officialibus non temerarie, sed cautè procedendum.*

1 Citatio de iure communi non requiritur cum eo, qui non potest contradicere, vt l. prima ff. de fideicommiss. liber. & l. recusare. ff. ad treb. & tradit Curtius Iunior consil. 175. num. 13. & consil. 498. ad finem: modo, si loquamur de Commissarijs, & Visitatorib. delegatis tam a Generalibus, quã a Prouincialib. Prælatis, certum est ipsos delegatos non posse contradicere, si delegantes velint eos ab officijs remouere, & priuare, vt in cap. ad Monasterium. §. talis. de statu Monac. & Abbas ibidem probat id procedere etiam, si Pręlatus delegans promiserit non reuocare; Verba enim citati iuris hæc sunt. Sed cum opportuerit amouere sine contradictione aliqua reuocetur; &c. In talibus: itaque nulla requiritur præcedens citatio de iure.

2 At si loquamur de officialibus canonicè institutis, & electis, vt sunt Abbates, Priores, Guardiani, & Prouinciales Ministri, & etiam Confessarii Monialium in Diffinitorio instituti, & electi, & similes; hos nullatenus amoueri posse absque præuia citatione arbitror quidquid varie tradat Rodericus q. 18. art. 1.

3 Nec obstant absurda ab eo adducta videlicet, quod monaci possent tunc contradicere, & litigare contra sententiam Innocentii in c. cũ olim. &c. & sic voluntati Prælati se opponere, & cessaret obedentia, & suprema Pręlati potestas: nam hæc omnia locum habent in monacis, & fratribus priuatis, vel in officialibus sola auctoritate Prælatorum institutis absque electione, vt sunt inter nos pręfati commissarii, & præsidentes locorum in Guardianorũ defectu, & Confessarii monialiũ per modũ prouisionis absque Diffinitorio instituti, & similes: tales enim, & cæteri omnes priuati & subditi reclamare

non

non possunt neque contradicere, nec litigare, nec voluntati Prælatorum se opponere obedientiæ voto renunciando contra supremam Prælatorum potestatem. Nam secus facientes absurda præfatam sequerentur.

4 Cæterum canonice instituti, & electi officiales, (vt superius dictum est) nequaquam possunt sic ad libitum Prelatorum amoueri, & reuocari sine præuia citatione, cum sit de iure naturali, & diuino ad defensionem inuenta, & instituta: modo reuocatio, vel priuatio talium est contra illorum famam, & honorem, ad cuius defensionem, vel tenentur, etsi mortui mundo, vel saltem cogi non possunt ad renunciandum ei, si noluerint, & propria electione ob maiorem sui mortificationem.

5 Præterea in aliis officialibus sola Prælatorum auctoritate institutis, vel in monacis, & fratribus priuatis caute etiam procedendum, etsi enim contradicere nō possint; verumtamen nō sine rationabili de causa remouendi sunt leuiter ab officiis, vel leuiter amouendi, & transferendi de conuentu in conuentum, vt pro viribus euitentur nimiæ fratrū vagationes, & animorū inquietudines, & perturbationes in ordine; & cætera similia.

An aliquo in casu possint amoueri officiales quicumque indifferenter nulla præuia citatione, vel nulla data eis defensione. Cap. IV.

SVMMARIVM.

1 *Opinio dicentium in nonnullis citationē omitti posse.*
2 *Quam sententiam, vt erroneam, & perniciosam, reiicit Auctor.*

4 *Vni-*

3 *Vnicum concedit casum Auctor, in quo citatio possit omitti.*

4 *In tali casu non pena ordinaria, sed mitiori extraordinaria puniendi Rei, valdeque commendat exilii pœnam.*

1 RODericus ibidem asserit, quod possunt inauditi, & indefensi quicumque amoueri officiales, quando certum est, nullam parti competere defensionem; quam in sententiam adducit Parisium, Paulum, & Leazarum, Antonium de Butrio, Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, Oldradum, & alios relatos a Grammatico, dicentes, quod in præfato casu cessat ius diuinum, & naturale prohibentia, ne aliquis puniatur non citatus; dummodo ista concurrant, quod parti nulla competat defensio, vel quia delicta commissa sint notoria, vel ex eius litteris missiuis probentur.

2 Quam opinionem erroneam, & perniciosam prorsus arbitror, siue intelligatur de amotione officialium per electionẽ institutorũ, vel per solam auctoritatẽ Prelati, vel de aliorũ fratrũ priuatorum condẽnatione, & priuatione: nã in oĩb. præfatis casibus citationem requiri de iure diuino, & naturali regulariter semper teneo, etiam in notoriis criminibus, etiam vbi adsunt litteræ missiuæ, & cętera huiusmodi, sicut idẽ Rodericus vbi supra dicit sentire iuxta quandam Glossam, Innocentiũ, Speculatorem, & alios, quos referunt, & sequuntur Felinus, & Aretinus, & (vltra eos) Quinctilianus Mandosius, & Baldus, & communiter Doctores ita sentiunt; & hanc sententiam omnino tenendam arbitror; nec leuiter, vel passim contra ius diuinum, & naturale venien-

niendum, nec leuiter, vel pro libito limitandum, vel interpretandum, vt concludit Rodericus.

3 Vnicum tamen casum ego excipio; & in quo cum alia opinione sentirem, videlicet quando vltra notorietatem delicti, & vltra id, quod constiterit plusquam probabiliter nullum esse defensioni locum; multi praeterea essent complices magni nominis, & famae, siue in Religione, vbi sunt viri eminentes, ex quorum casu penitus denigraretur ordo, siue extra Religionem, vt sunt aliquae familiae honestę, vel nobiles, in his, & similibus ad euitanda maxima scandala, & detrimenta, siue dictarum familiarum, siue ordinis, citationem omittendã libentius concederem; vbi verò nulli tales sunt complices delicti, nullũ alium posse dari casum arbitror, in quo citatio tuta conscientia omitti possit; nam ea non potest obscurare notorietatem facti, nec aliquod impedimentum afferre iustitię: sicut e contra posset contingere non citata parte, nec data ei se defendendi facultate, prout de iure diuino, & naturali; in solo itaque praefatorum complicum casu citationem aliis concurrentibus praefatis limitationibus omitti posse arbitror.

4 Sed tunc non essent rei pœna ordinaria puniendi; sed ad Epicheiam recurrendum, & aliqua pęna extraordinaria mulctãdi; inter alias vero mihi semper valdè placuit, & placet exilium, vel a loco, vel a Prouincia, ad purgandam prouinciam, vel locum: nam tunc euitantur praedicta damna, & detrimẽta siuè familiarum honestarum, siuè ordinis, quando in delicto tales existũt complices, & quorum vexatione talia damna oriri possent, si reus citaretur, & causa discuteretur; praeterea exilium non est adeo magna, nec intolerabilis pęna, praesertim

respectu

respectu fratrum, & monachorum, qui nullum locum, vel patriam, sibi appropriare possunt, nec debent, cum sint mortui mundo, & his renunciauerint ex voto; & ideo præfatam extraordinariam pœnam exilii, sæpe vidi laudabiliter practicari, nèdum in hoc ordine, vbi tolerabilior videtur ob adductam rationem; sed etiam in sæculo, vbi re vera multo grauior, & intolerabilior extat: concurrentibus itaque prædictis conditionibus ego arbitror exilium, etiam concurrente cum eo priuatione aliqua officii, remedium optimum, & salutare in ordine, atque mitius, & tolerabilius.

Quomodo, & quando rei sint interrogandi. *Cap. V.*

SVMMARIVM.

1 *Reus interrogari nequit, nisi præuia semiplena probatione.*

2 *De occultis interrogari non possunt.*

3 *Per solam famam quantumcumque probatam Reus nec citari, nec examinari potest, sed solum inquisitio institui specialis.*

4 *Si ex inquisitione nil resultat vltra famam, ibi sistendum.*

5 *Iudices peccant interrogando non seruato iuris ordine.*

6 *Benignè, & charitatiuè interrogandi sunt Rei, non asperius, & seuerius.*

7 *A generalibus ordiendæ interrogationes descendendo ad particularia.*

8 *Soler-*

8 *Solertia vti debet iudex indagando rimulas, & circumstantias facti.*
9 *Cauere tamen debet a cauillosis, & suggestiuis interrogationibus.*
10 *Conuictus de vno crimine de nullo alio nequit interrogari, nisi adsint probationes sufficientes.*
11 *Potest interrogari tamen de delictis, in quibus solitus est delinquere.*
12 *Cum iuridice interrogatur, semper a Reo exigendum est iuramentum.*
13 *Quod iuramentum semper iniustè, & cum culpa exigetur a iudice, nisi ordo seruetur iuris.*
14 *Vniuersaliter quæ sufficiunt ad interrogattionem, sufficiunt ad iuramentum, & sic practicatur.*
15 *Nequit interrogari Reus vinculis obstrictus, & in carceribus, sed solutus, & liber.*
16 *Quæ omnia in actis notari debent.*

1 IVdex nullatenus reum interrogare potest, nisi adsit vltra accusationem, vel denunciationem, vel inquisitionem vnus testis oculatus omni exceptione maior, vel indicia illi æquiualentia, vt sentit Bart. in l. fi. nu. 7. ff. de quæst. & D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. & 2. & Caietan. ibidem, & Nauarr. cap. 25. num. 56. contra id quod sentit Greg. Lopez adductus a Roderico q. 19. art. 3.

2 Qui tamen verum dicit in eo, quod iudices de occultis criminibus reos interrogare nunquam possunt, cum hoc esset contra iuris ordinem, Deumque optimum maximum offenderent, propriasque damnarent animas.

3 Sola porrò fama, etiam probata, nunquam est suffi-
ciens

ciens ad citandum, & examinandum Reum quidquid adstruat Salsedo, & alij namque fama (vt superius ritè demonstrauimus) ad nil aliud valet, nisi ad aperiendam viam iudici ad inquisitionem etiam specialem formandam.

4 Si autem inquirendo nullum aliud probetur indiciũ, vel adminiculum conformiter ad famam ipsa sola numquam erit sufficiens, quin mea sententia penitus inualidabitur fama, nisi inueniãtur indicia, vel delicta, de quibus ista fama erat vulgata, vt constat, quib. omnino deficientibus constat, famam fuisse meram infamiam: & nullo innixam veritatis fundamento, quæ ratio me conuincit, vt nunquam sola fama orta aquibuscumq. sufficiat ad citandum, & interrogandum prætensum reum, contra quem est fama quantumcumque probata.

5 Iudex autem, qui reum interrogat, non seruato hoc iuris ordine mortaliter peccat, vt docet Nauarr. cap. 18. num. 49. Tunc vero iuris ordo seruabitur, si vltra famam adsit saltem semiplena probatio, vel aliquid æquiualens, vt dictum est.

6 Hisce suppositis, quando locus est interrogationi, benigne, & charitatiue interrogandi sunt rei non seuere, nec iniuriose, nec de vanis, & inutilibus; sed de ipsis criminibus, vel indiciis, & adiacentibus, prout opportunius videbitur, nec enim certa regula præscribi potest.

7 Regulariter autem a generalibus incipiendæ sunt interrogationes, deinde ad particularia descendendum, & ad crimen ipsum particulare cum adiunctis, & indiciis, vt reus intelligat ex interrogationibus iam detectum esse crimen.

8 Solertiam quoque, ac diligentiam adhibere debet iudex

dex ad inuestigandam veritatē, præsertim in valde occultis, & difficilis probationis, exemplo Salomonis, qui gladium afferri iussit, ac si puerum diuidere vellet, & sic veritatem inuestigauit: sic omnes circumstantię, atque coniecturæ tam rei interrogati, quam facti diligenter ponderandæ, ne pereat veritas, & iudicium.

9 Cauere tamen debet iudex a nimis cauilosis, & suggestiuis, & dolosis interrogationibus, sed regia incedere debet inter iustitiam, & charitatem: quæ omnia docebit prudentia, inter has (charitatem videlicet & iustitiam) incedens.

10 Nec potest reus conuictus de vno crimine interrogari de quocumque alio, nisi similiter adsint semiplenę probationes, vel indicia æquiualentia, vt supra dictum est; ita Soto lib. 5. de iust. & iur. q. 6. art. 1. & de teg. secr. memb. 2. q. 7. concl. 3. & Nauar. c. 25. num. 36. & alii omnes, quos viderim.

11 Posset tamen interrogari iuxta doctrinam Nauarri in rub. de iudiciis capit. 1. num. 61. de aliis eiusdem speciei delictis, an alias commiserit, dummodo saltem præcesserit infamia probata, reum solitum esse delinquere, vel alias commisisse eiusdem speciei delicta.

12 Vlterius, seruato iuris ordine, vt supra, & supposita semiplena probatione, vel indiciis æquiualentibus (vt dictum est) reo semper dandum est iuramentum ad extorquendam veritatem, vt ex D. Thoma 2. 2. q. 69. docet Bernardus Diaz de Lugo in sua practica criminali cap. 118. & quidquid dicat varie, ac prolixe Rodericus q. 19. ar. 11.

13 Resolute dicendum iuramentum esse iniustum,& homicidio perniciosius, vt asserit Cardinalis in Clement. vnita. de iureiur. Nec vllatenus exigendum a Reo, quan do non adsunt semiplenæ probationes, vel sufficientia indicia ex leuioribus enim coniecturis, vel indiciis, nequaquam iuramentum exigendum: caueant itaq. Prælati, ac diligenter ponderent, ne iuramentũ temere exigant; nam licet subditi non peccent, veritatem negando cum iuramento, vt infra dicetur, grauissimè tamen peccant Prælati, qui illud exigunt, sine rationabili, ac sufficienti causa, & non seruato iuris ordine, vel enim nullum erit periurium, vt infra constabit, vel solum ex parte iudicis iniustè iuramentum extorquentis, Reo interim suum ius tuta conscientia defendente.

14 Vniuersaliter autem, quæ sufficiunt ad interrogandum reum, eadem sufficiunt & ad iuramentum præstandum; & ideo semper in Religione nostra practicari vidi, vt Rei semper iurati, & nunquam sine iuramento interrogentur, licet aliqui contrarium dicant, & nescio, quo fundamento, cum constet ex Bart. l. 1. num. 6. C. de iuram. & ex Baldo ibidem, num. 8. & ex Marian. in cap. qualiter,& quando. num. 227. q. 84. stilum totius Italiæ esse dandi iuramentum reo, & sic inter nos minores obseruantes.

15 Denique Reus interrogari non potest vinculis constrictus, aut carcere inclusus, sed eductus carcere, vinculisque solutus, quando fortè contigerit illum ante interrogationem aliqua rationabili de causa carcere inclusum, vel vinculis constrictum, de quo inferius

rius agetur, omnem enim vim, atque metum a Reorum confessione abesse debere omnia iura decernunt.

16 Itaque omnia superius dicta scriptis demandari debent a secretario causæ, & in processu ita describi; Frater talis carcere eductus, vinculisque solutus, & liber vocatus, & medio iuramento interrogatus, &c. Respondit.

Quomodo, & quando reus interrogatus respondere debeat. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Reus iuridice interrogatus absque dilatione respondere debet.*

2 *Non tamen tenetur statim aperire veritatem, sed certior fieri debet de statu causæ.*

3 *Norma traditur interrogandi ordinate.*

4 *Qua forma Reo sit causæ status adaperiendus.*

1 Reus iuridice interrogatus semper tenetur respondere, nulloque modo petere potest dilationem, vel tempus ad deliberandum; ita Baldus, & Conradus, & Paulus de Castro, & Augustinus ad Angelum, qui dicit hanc esse communem sententiam, & Salicetus, qui addit, hanc esse totius orbis consuetudinem receptam, vt notat ex citatis Doctoribus Rodericus q. 19. artic. 2.

2 Reus verò sic iuridice interrogatus respondere quidem tenetur, sed veritatem nulla ex parte aperi-

re, donec certior ſit factus, & monitus per iudicem, in quo ſtatu ſua reperiatur cauſa, & ex eo dignoſcat, an veritatem aperire teneatur, & reſpondere poſſit ſecundum cauſæ ſtatum.

3 Modus itaque ſeruandus eſt talis, vt prius abſolute Reus iuratus interrogetur abſque aliqua cauſæ manifeſtatione, quod, ſi in negatione perſtiterit, tunc ei ſtatus cauſæ aperiendus, vt dignoſcat, an teneatur ad veritatem fatendam, etſi enim ex iuramento ſibi præſtito coniicere poſſit, ſe iuridice interrogari, alias iniuſte ab illo exigeretur iuramentum: multas tamen ob rationes inferius aperiendas, cum ſe, ſuaque tueri pro viribus teneatur, non ſufficit coniectura talis, vt obligetur ad veritatem dicendam: ſed requiritur expreſsè, vt ei ſtatus cauſæ aperiatur, vt docet vterque Tom. 2. 2. q. 69. art. 1. & 2. & alii.

4 Qua in re multos errare iudices vidi, nec obſtant quę prolixe in contrariam ſententiam adducit Rodericus vbi ſupra: verum eſt enim, quod reus interrogari debet cum iuramento ante datas defenſiones, & indiciorum copiam, vt docet Foller. in ſua practica fol. 165. nu. 9. & Clarus q. 43. & alii: ſed hic non loquor de huiuſmodi defenſionibus, & copiis indiciorum: ſed alia forma Reo debet cauſæ ſtatus manifeſtari, nempe ſub vniuerſalibus terminis nullo expreſſo nedum nomine, ſed neque etiam dicto teſtium; nulloque detecto particulari determinato indicio: ſed vtendum aliqua certa verborum forma, vt quod contra Reum ſunt ſemiplenæ probationes, vel indicia æquiualentia; & ideo aduertat, quod reſpondere tenetur cum talis cauſæ ſtatus id

requi-

requirat, & similia dicere potest iudex: Reus autem sic interrogatus monitus, & certior factus in vniuersali de statu suæ causæ respondere prorsus tenetur; qua vero forma, in capitulo sequenti dicetur.

An Reus, contra quem sunt semiplenæ probationes, monitus, & iuratus veritatem fateri teneatur post manifestatum ei suæ causæ statum. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio communis est reum teneri ad confitendum delictum semiplene probatum.*

2 *Aliorum sententiæ.*

3 *Auctoris sententia.*

4 *Si Reus damnum existimet notabile posse persistere in negatione.*

5 *Nec ex hoc incurritur aliqua culpa, vel pęna spiritualis.*

6 *Semper integrum est Reo non plenè conuicto pro viribus se defendere.*

7 *Nec obstat, quod iudex iustè, ac iuridice interroget.*

8 *Hinc viri eminentes nunquam se prodere debent; nisi sint plenè conuicti, sed torturā viriliter subire.*

9 *Nec obstat, quod mendacium sit intrinsece malum; nam hic nullum est mendacium.*

10 *In rebus leuibus negari veritas posse nonnulli sentiunt, dummodo absit iuramentum.*

11 *Contrarium sentit auctor.*

12 *Iuramentum non nisi pro re graui exigi potest.*

13 *Concludit certam regulam esse veritatem semper negari posse a non plene conuicto.*

14 *Quod vbi non licuerit, nec verbis dolosis, vel amphibologicis vti licebit.*

15 *Vterque autem suo vtitur iure, iudex interrogando, & reus sic negando.*

16 *Reus non interrogatus secundum iuris ordinem veritatem negare nedum potest, sed etiam nil penitus respondere.*

17 *Idem si dubitat, an iuridice interrogetur.*

1 IAm recipitur vt commmunis sententia ex doctrina D. Tho. & Caiet. 2. 2. q. 69. art. 1. & aliorum semper teneri Reum ad confitendum delictum, quod vere commisit, semiplene probatum, si hoc sit ei notificatum:

2 Verumtamen nonnullorum Antiquorum (quos refert Pet. Nau. de rest. lib. 2. cap. 4. num. 136. & inde) fuit opinio, quod in aliquibus casibus Reus quicumque, contra quem sunt semiplenę, probationes tantum, possit omni meliori modo experiri, ac tentare sui damni euasionem, persistendo, & perseuerando in negatione, quousque poterit, & subiiciendo se torturæ (de qua inferius, ad euacuanda indicia, vel probationes illas semiplenas; quam etiam opinionem in simili tenent Salon de iustitia, & iure qu. 59. ar. 2. & Nauar. in cap. humanę aures 22. q. 5. & Panorm. in cap. 2. de confes. & Angelus verb. confessio delicti num. 1. & Siluest. eod. verb. quæst. 1. licet limitent ad pęnas tẽporales, non aũt spiri-

tuales

tuales euadendas: & Petrus Nauar. l. 2. de rest. cap. 4. num. 142. & cap. 5. p. 2. dub. 2. & Lexius de iust. & iur. lib. 2. cap. 31. dub. 3. eamdem tuentur sententiam, limitando vlterius non ad omnem pęnam temporalem, sed solum ad pęnam capitalem euadendam, sed Rodericus Tom. 2. q. 19. ar. 4. addit quod vbi timetur grauis dedecoris, & infamiæ labes, posse Reum absque culpa persistere in negatione, quousque spem euadendi habuerit.

3 Verumenimuero non ex eo præcise, quod leuius, vel grauius damnum imminens incurratur ex confessione, licitum est mea sententia negare sic veritatem, si præfata opinio locum habere posset maiorum auctoritate, sed ex eo præcipue, quod crimen non est plene probatum, & ideo reo integrum remanet suum naturale ius defendendi se: Dico tamen, quod non deberet fieri passim, nec leuiter, sed rationabili de causa, & ad euitandum æstimabile damnum, quod cum diuersi diuersimode æstiment, & multi magis famam, quam vitam (licet inordinatè) ob id non potest certa, & infallibilis dari regula circa damna.

4 Sed ego crederem, quod, dummodo non fieret in contemptum, & Reus haberet finem damnum euadendi, quod esset alicuius momenti, semper tuta conscientia posset veritatem negare; si maiorũ auctoritate, ad quos spectat, præfata sententia robur, ac firmitatem haberet.

5 Qua stante, siue supposita maiorum firmitate, & auctoritate, nullatenus mihi placet illa distinctio, vt causa euadendi pęnas corporales, non autem spirituales, veritas ita negari posset, spiritualis enim nulla incurritur, vt

Q 4 suppo-

ſuppono, ſic veritatem negando, iudex verò nullatenus obligare poteſt ad nouas, vt clare conſtat: alias contra ius naturę cõpetens reo illas decerneret: vlteriuſq. ſequeretur, quod etiam occulta obligaretur quis fateri delicta ad pęnas euadendas ſpirituales contra orbis conſuetudinem, ſecundum quam ius reo ſe defendendi ſemper competit ad quaſcumque euadendas pęnas; quin, & mea ſententia multo magis ad ſpirituales euadendas, quam tẽporales, per tradita ab iiſdem Doctoribus; cum pęnæ ſpirituales longe maiores, & incomparabiliter magis euitandæ ſint, quam quæcumque corporales; vt conſtat.

6 Semper igitur tueri ſe poſſet Reus nõ plene conuictus maiore auctoritate accedente; comparatum enim eſt hominibus a natura, vt ſe defendant, & a mortis faucibus, vel a magno dedecore vitam incolumen ſeruent; hinc leges oriuntur, quibus inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere licet. Ab hac naturali æquitate proficiſcitur ius aliena ſubripiendi, extrema famis neceſſitate ad id compellente, & cætera ſimilia: Fortior itaq. ratio iure naturali radicata ſuadet, vt reus abſq. criminis nota ueritatẽ, quæ plenè probari non poteſt, pro viribus celare poſſit, vt vitam, vel famam tueatur; deinde ad hoc neruoſa, & vrgentiſſima eſt ratio a ſimili: nam ſi conſanguineus ad teſtimoniũ ferendum compelli non poteſt, quando ingens aliquod diſpendium timetur familiæ ſuæ, vt dicitur in l.4.ff. de teſt. igitur multo magis licebit illi, qui in propria perſona mortem, vel infamiæ labem eſt paſſurus, veritatem occultare.

7 Nec obſtat, quod iudex iuſte, ac ſeruato iuris ordine interroget: nam ſimiliter prætenſus reus iuſte veritatem

tem

tem celat, & vterque suo vtitur iure; quod claro illustratur exemplo: iure enim compertum est licere iudici præcipere damnato pœnæ capitis, ne fugiat a carcere; ipse vero obtemperare non tenetur: similiter Dominus iuste iubet, ne seruus fugiat; ipse autem (nisi sponte se vendiderit) fugiendo se a seruitute liberare potest; ita in terminis huius doctrinæ tenent Petrus Nauarr. de restitutione lib. 2. cap. 4. num. 142. & Salsedo in pract. crimin. cap. 126. & Arag. in 2. 2. quos citat, & sequitur Rodericus art. cit.

8 Ex his maxime notare debét viri eminentes in Religione, & etiam alii secundum grauitatem criminum; ex quibus nedum personæ, sed ordini etiam denigratio, & detrimentum obuenire potest, vt se numquam prodant, cum delicta non sint plene probata, sed in negatione persistant pro viribus, etiamsi a suis Prælatis interrrogati iuridice præcipiantur dicere veritatem, etiamsi torturæ subiiciantur, quam sustinere pro viribus debent, vt vitam, vel famam tueantur suam, vel ordinis respectiuè, nisi secus a maioribus decretum fuerit.

9 Nec obstat adducere, quod confirmare mendacium iuramento sit intrinsece malum: nam re uera mendacium non potest dici, cum interrogatus respõdet secundum intentionẽ iudicis ipsum interrogantis, qui præsumitur velle veritatem extorquere, seruato ipsi reo suo iure: est autem suum ius (vt superius dictum est) seipsum tueri pro uiribus, quo semper quisque vti poterit, si non sit plene conuictus; & sic nullum est periurium; quod tali illustratur exemplo: si quis aliquam ingrediatur domum innocenter, optimoque fine; Prælatus tamen ex

con-

confessione talis ingressus, de quo est semiplena probatio, ipsum esset puniturus; tūc poterit cū iuramēto absq. periurio, & absq. peccati labe talē ingressum absolute negare, ac torturā (si opus fuerit) æquanimiter tolerare; quam doctrinam amplectuntur multi aliis consimilibus adducti exemplis, ex Salone de iustitia, & iure q. 59. artic. 2. & ex Nauar. in cap. humanæ aures 22. q. 5. quare vel vbiq. militabit eadem ratio, vel nullibi; nec enim pro libito inuertendæ, vel obscurandæ regulæ doctrinales, præsertim vbi agitur de animarum periculo, & salute, sed certe infallibiles, ac perpetuæ stabiliendæ, ac firmandæ, quoad fieri poterit; cum igitur aliquo in casu licuerit veritatem cum iuramento negare ad se tuendum, vel sua, licebit & in omnibus aliis, vbi eadem ratio defensionis militet, vt constat.

10 Limitant nonnulli, quod in rebus leuioribus veritas negari potest, non obstante quouis præcepto superioris, nisi addatur iuramentum.

11 Sed ego contrarium supra docui, nempè non posse negari veritatē in minimis, quia nō subest ratio euadendi notabile damnum, & se ipsum iure naturæ tuendi.

12 Et vlterius ego absolutè credo, quod vbi non habet locum prçeptum, multo minus habebit locum iuramentum: quod non nisi pro re graui exigi potest, & grauiter peccarēt Prçlati, qui pro re leui illud exigere tentarent, nec sudditi illud præstare tenerentur.

13 At cum non sit subditorum distinguere de leuitate, vel grauitate rei, & in his certa, & infallibilis obseruanda sit regula (vt dictum est) ne contingat incautè errare, concludo, vt supra, quod prætensi rei, vbi non adest plena probatio, sed solum semiplena, possent semper absque

que peccati nota, vel periurio, veritatem cum iuramento negare, omnemque torturam, vel ad se, vel suum ordinem tuendum pro viribus æquanimiter tolerare, nisi maiorum auctoritas obstaret, vt sæpius dixi.

14 Vbi verò non fuerit licitum modo exposito veritatẽ negare, quidquid varie dicat Rodericus citatis articulis, & articulo 6. eiusdem quæstionis, & alii ante ipsum: nec etiam erit licitum verbis ęquiuocis, & amphibologicis, vel quibuscumque aliis artificiis id efficere: nam Reus iuramento interrogatus obligatur sub pœna peccati mortalis respondere secundum iudicis mẽtem iuridice interrogantis, prout docent D. Tho. 2. 2. q. 87. art. 7. & Caietanus ibidem, & Soto lib. 5. de iust. & iur. q. 1. art. 7. & alii.

15 Dixi autem, & iterum dico iudicis mentem semper supponi esse (quia sic debet) vt reo suum ius vbique, ac semper conseruetur, sicut & iudici suum, ita, vt suo iure vterque licitè vtatur, nempe iudex iuridice, & cum iuramẽto interrogando, & reus absque periurio, & culpa (vbi non adest plena probatio) veritatem negando, & sic vidi practicari per totum orbem ab omnibus reis, & in omnibus iudiciis, tã ecclesiasticis regularibus, quã sęcularibus; quod numquam sic vniuersaliter permitti deberet nulla adhibita maiori cautione, ad eximendas ab hoc scrupulo Reorum mentes, quidquid alii propria doceant auctoritate, contra quorum opinionem adductæ rationes, ac totius orbis consuetudo me cõuincunt.

16 Denique compertum est apud omnes, nemine penitus discrepante, ex cap. qualiter, & quando, &c. cum oportet. extra de accusat. quod vbi iudex iuridice non interro-

terrogat, nec seruato iuris ordine, peccat mortaliter, & multo magis exigendo iuramentum, & reus in tali casu nedum celare poterit veritatem absque culpa; sed poterit etiam nil penitus respondere.

17 Idem penitus dicendum, quando Reus dubitat, an iuridice interrogetur, vt docent Caiet. 2.2.q.69. art. 1. Sotus de secr. memb. 3. q. 2. concl. 2. Adrian. quodl. 2. & alii; quin addit Nauar. cap. 18. num. 57. Reum peccare mortaliter, si delictum fateatur, non interrogatus iuridice.

Rationes aliorum contra determinata in superiori capite soluuntur. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Rationes aduersantes superiori sententiæ dissoluuntur.*

2 *Cum infamia sola quantumcumque probata non sufficiat ad citandum, & interrogandum Reum, multo minus tenetur veritatem aperire.*

3 *Iudex præuia semiplena probatione semper iuridice interrogat.*

4 *Verumtamen Reus etiam iuste negat.*

5 *Opinio dicentium id implicare contradictionem, vt probant ex multis.*

6 *Refellitur superior opinio ex eorumdem opinantium doctrina.*

7 *Soluuntur quæ in contrariam adducuntur sententiam superius.*

Multi

1 MVlti probare nituntur, quod reus præcedentibus indiciis sufficientibus, vel semiplena probatione, vel sola infamia interrogatus, tenetur sub peccato mortali dicere veritatem, etiamsi ex tali confessione certo sciat in mortem esse rapiendum, & a confessione non posse absolui nisi delictum negatum proponat confiteri: primo probant ex eo, quod iudex iusta præcipit mandando sibi manifestari veritatem in iudicio, precedentibus iam indiciis, uel semiplena probatione, uel infamia.

2 Ad hanc rationem dissoluẽdam primo nego illa absolute quoad tertium mẽbrum: nempe quoad infamiã; nam superius probatum est ex simplici infamia, si nullum aliud adsit indicium, nõ posse imponi obligationem fatendi peccatum, & merito, quia infamia sola non facit semplenam probationem; sed solum supplet uicem accusatoris, ut dictum est supra, lateq. probatum, quod nedum infamia sola quantumcumque probata, non est sufficiens ad cogendum reum, ut ueritatem fateatur sub mortali, uel ad illum torquendum, sed neque est sufficiens ad iuramentum præstandum, neque ad interrogãdum, neque ad citandum: sed solum ad uiam aperiendam inquisitioni, per quam inuestigetur, an famæ sit aliqua uera origo, uel aliquod indicium, quo penitus deficiente, etiam deficit, ac euanescit fama.

3 Quo uero ad alia duo membra rationis adducta, uidelicet quoad semiplenam probationem, & ad indicia æquiualentia libentius concedimus, quod iudex iustissime præcipit ueritatem sibi aperiri sub iuramento, illis indiciis, uel semiplena probatione præcedentibus.

4 Verumtamen cum Petro, Nauarro, & Roderico, & aliis

aliis in superiori capite adductis dico iterum, quod Reus posset non obedire illi præcepto tuta conscientia, nisi maiores, ad quos pertinet, secus decernant, & vterq. suo iure vtitur, iudex legitime præcipiendo, & Reus iuste veritatem negando, vt dictum est.

5 Quod responsum nullum esse dicunt nonnulli, primo quia semper est implicatio in adiecto, quod detur bellũ iustum ex vtraque parte, quod contingeret, si Prælato iuridice, ac legitime interrogante de crimine posset Reus illud licitè celare eo uel maxime, quod ex iure, quod superiores habent ad aliquid præcipiendum, euidẽter colligitur obligatio, quã habẽt subditi ad obediẽdum; nec potest fieri, quod subditus habeat ius ad non obediendum, & quod illud habeat superior ad pręcipiendum; cũ hæc sint correlatiua, mutuoque se consequantur, probantque intentum ex illo Pauli ad Rom. 13. qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit, &c. & ex illo Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit, &c. & ex primo Reg. cap. 8. Non te abiecerunt, sed me.

6 Sed non possunt hæc sustinere, qui ex communi Doctorũ sententia docent, quod non tenetur quis denunciare, vel testificari cõtra eũ, qui nõ laborat infamia etiã iudice inquirẽte iuridice, & præcipiente, & vrgente, indeq. concedentes dari speciẽ quandam belli vtrinq. iusti, dum iudex iuste testem vrget, & testis iuste negat cum iuramento interrogatus: igitur, si per eos testis iuste vrgetur cum iuramento, vt veritatem aperiat, verumtamen idem testis iuste potest veritatem celare, & negare, & datur ibi vtrimque bellum iustum, vbi de alterius fama tantum agitur, multo magis Reus poterit veritatem nõ plene probatam negare, ac celare ad pro-

priam

priam suam defendendam famam, vel ad proprium eua dendum damnum, cum iure naturali, cæteris paribus, vnusquisque sibi magis, quam proximo teneatur: non est igitur contradictio in adiecto bellum dari vtrinq. iustum, nam contradictio ex terminis, vt patet vnicuique mediocriter philosophanti, semper est eadem, & vbique repugnat æqualiter, vt fusius docet Scotus millies. Pręterea docent, quod testis iuratus potest celare veritatem aliquo in casu, & nullum committit mendacium, nec postea deprehensa veritate a iudice putari potest periurus, nec potest pęna falsi plecti, etiam quod tęstis legitime, & secundum iura interrogetur, & quod tunc testis legitime, & secundum ordinem iuris dicitur interrogari, quando iudex est cõpetens; & quando contra illum, contra quem interrogatur, adest infamia: docent etiam ex Nauar. & Soto, quod testis interrogatus de occulto crimine, quod ipse solus nouit, potest absolute respondere nescio; quia iure intelligitur, nescio vt dicam, aut nescio eo modo, quo iure debeam dicere: & asserunt, hoc verum esse, etiam, quod Pręlatus interroget sub pęna excõicationis, vel sub quacumq. alia pœna: nec incurritur in foro conscientiæ excommunicatio: in quibus licet habeant fundamentum dissimilitudinis, quia in vltimo adductis Prælatus nõ interrogat iuridice, nec iuste præcipit: verumtamen tradita doctrina facit ad rẽ nostram, pro quanto veritatem certam, & sibi manifestam potest quis absque mendacio, vel periurio negare, & absq. eo, quod aliquã censuram incurrat rationabili de causa; puta, quia iniuste interrogatur: porro huiusmodi causa formaliter, & immidiate est de iure positiuo, vt constat, licet consequenter, & virtualiter inclu-

dat

dat ius diuinum, de non reuelando peccata occulta proximi cõtra charitatem: sed ratio se defendẽdi est formaliter, & immediate de iure diuino, & naturali; quare magis licitum erit ex doctrina eorum veritatem negare, etiam, quando quis iustè, ac seruato iuris ordine interrogatur, ad se defendendum; præterea docent etiam, quod Reus nõ tenetur respõdere ad mẽtem iudicis quãdo quęrit de facto absque lethali culpa cõmisso, vt quando quis occidit inuadentem cum iusto moderamine, etiam, quod de hoc sparsa sit fama: & similiter non tenetur quis fateri circũstantias, in quibus oriretur suspicio illum esse auctorem criminis, vt verbis gratia poterit negare hunc esse suum pugionem, vel in tali loco fuisse tali tempore, si ex hoc præsumptio falsi criminis contra eum oriretur, ex quibus constat, quod licitum est veritatem in iudicio negare ex præfatorũ doctrina ad solã præsumptionẽ, vel indicium euadendum criminis falsi, non obstante quouis pręcepto, & sub quauis pęna facto, ergo multo magis licebit veritatem negare commissi criminis ad se defendendum, vbi non sola suspicio, vel solum indicium oriretur falsi criminis, sed vbi certum, & euidens damnum incurreretur, nam vis negandi non consistit in consequenti crimine falso, sed in immediata, & formali negatione veri: vt non fuisse in tali loco, vel non esse suum pugionem, & similia. Quare, si ęquiualens ratio, uel potior adsit negandi, semper, & in omnibus casibus militabit, nec pro libito (ut superius dixi) accommodandæ sunt regulæ doctrinales, uel rationes, sed eadem ratio idem semper efficere debet, & quando potior, & efficacior, potiori, & efficaciori modo, ut ostensum est.

7 Reuer-

7 Reuertendo igitur ad ea, quæ adducunt in contrarium dico, quod in præfatis casibus, & similibus multoties datur bellum vtrinque iustum, nec vlla est implicatio in adiecto, nam iudex ad purgandam rempublicam, & ad corrigédos mores, ad malos coercendos, ad bonos in officio continendos inquirere debet ex munere, procedere, citare, examinare, iuramenta præstare, & opportuna tormenta adhibere. Et hæc prętermittens, cum ius, vel munus exquisierit, peccaret mortaliter: hæc enim sunt sui iuris, & muneris, quidquid sit, vel sequatur de testibus, & de reis, qui omnes, & singuli habent distinctissimum ius, vel non prodendi se, vel proximos, vel se defendendi pro viribus: contra quæ iura iudex rectus, & eruditus venire numquam debet: quare loca adducta Pauli 13. & Luc. 10. & primi Reg. 8. nullatenus sunt ad propositum, quia militant, & intelliguntur semper de pręcepto iusto, contra quod subditus non habet oppositum ius euadendi, & non obediendi; vt in proposito, & vt constat manifestissime in adductis exemplis.

Aliæ rationes aduersantium soluuntur. *Cap. IX.*

SVMMARIVM.

1 *Aliæ soluuntur superioris sententiæ rationes.*

2 *Punitio in Republica obiter est ordinata, sed finis princeps est vita felix, & beata.*

3 *Iterum ex doctrina opinantium refellitur eorum sententia, & comprobatur sententia Auctoris.*

4 *Prælati multa iustè præcipiunt, quæ subditi non seruantes non peccant.*

5 *Rei negando iustè veritatem in iudicio non faciunt iniuriam iustitiæ.*

6 *Distinguuntur, & declarantur eorum exempla, & doctrina.*

7 *Rei tenentur patibulum subire, siue torturam, non tamen veritatem non probatam aperire.*

8 *Nullum est peccatum seruare, quæ sunt de iure naturæ, nisi alia obstent.*

9 *Excepto periculo vitæ regulares magis famam, quam corpus æstimant iustè.*

10 *Hinc iustè negant crimen semiplene probatum ad famam tuendam.*

11 *Aliæ soluuntur postremæ obiectiones.*

1 VRgent vlterius ex illo arguendi modo, quo colligunt Doctores necessitatem confessionis sacramentalis per illud Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. sed toto aberrãt cęlo: nam quoad illud Ioannis 20. certum est sacerdotibus non competere ius absoluendi a commissis peccatis in confessione, nisi peccatores illa confiterentur, & sic frustratorium esset Christi præceptum, vel ius illud absoluendi: & ideo optimus est ibi ille arguẽdi modus, at in casu nostro etiam quod rei, vel testes non fateãtur peccata, vel delicta, integrum, & plenum remanet ius Prælato, & iuris, & muneris exercitium inquirendi, & præcipiendi, & cætera præstandi, nec vllatenus remanet frustratorium: nam valet ad ea omnia, quæ superius diximus, & intentum habet finem coercẽdi, & corrigendi, timorem cæteris incu-

incutiendi, & cætera oĩa præstandi, quæ ad iudicis munus pertinent, etiã quod rei, vel testes veritaté non plenè probatã negent, & propterea pęnitentes confitendo peccata sacramentaliter nedum non incurrunt detrimẽtum aliquod, sed summã sibi cõquirunt faluté, confitentib. vero in iudicio totũ oppositum euenit, vt constat.

2 Nam omnes Theologi, & Canonistæ, quin & Philosophi in suis Politicis, dicunt pœnam quamcumque in republica obiter, & per accidens esse, ab eaque pro viribus abstinendum, sed finem præcipuum, & peroptimum legis cuiuscunque esse vitam quietam, tranquillam, pacificam, & beatam, quem finem consequitur iudex, quæ sui sunt muneris præstando, vt supra; quidquid sit de reis, & testibus.

3 Ex his dictis constat, quod validissima sunt exempla, quæ pro se adducunt aduersantes ad probandam meam sententiam, vt quod cõdemnatus ad mortem, cui potest iudex legitimè præcipere, ac iuste, ne ex carcere fugiat, potest iustè, ac sine peccato fugere: & similiter absens, cui præcipitur, vt compareat, potest non comparere: Et similiter seruus, qui se sponte non uendidit contra præceptum Domini, fugere potest: nam (inquiunt) præfata præcepta non obligant, quia inclinatio, quam habẽt homines ad tuendam propriam vitam, atq. libertatem, est valdè naturalis, atque vehemens, & ideo non habent potestatem iudices præcipiendi, vt condemnatus ad mortem non fugiat, vel quod absens compareat: essent enim huiusmodi præcepta valde rigida, & iure gentium nulla, quare, dum damnati fugiunt, nec faciunt iniuriam ministris iustitiæ, nec illis resistunt, aut violentiam inferunt, sed tantum causam suam fugientes deserunt

K 2 de

de illa, præsentiamq. suā negant, quā (vti supponimus) ex iure gentiū exhibere nō tenentur ad mortē, quā inde sibi vident imminere: & eadē ratio est de seruo, quātum ad recuperationē propriæ libertatis: Hæc inquam omnia nedum æqualiter, sed multo magis militant in casu nostro, vt supra ostensum est.

4 Falsum verò dicunt in eo, quod iudices non habeant potestatem præfata præcipiendi. Namq. omni iure Prælatus potest absentem citare sub quauis pęna secundum opportunitatem, & mirum est, quod hoc negent, cū latè omnes concedant hoc posse, quin & debere iudices, & idem dicendum est de præcepto, ne præsentes, vel in carceribus detenti aufugiant. Præceptū itaque iustum est, & subditi non parendo non peccant ob prælibatas rationes, ad quid ergo valent similia præcepta? multum quidem per omnem modum; primo namquam Prælati suo munere funguntur, vti debent, deinde integrum est subditis obedire non obstante quacumque imminente pęna, quam sic subire voluntariè ex obedientia maximi est meriti, maximęque salutis.

5 Vlterius Reus negans veritatem non plenè probatam in iudicio nullam facit iniuriam iustitiæ, quidquid alii dicāt, cū pmaneat in simplici veritatis negatione modo superius exposito, & ad finē se defendēdi pluries dictū.

6 Secus, si violentiam faceret, vt perperam supponunt aliqui, vel, si fugeret (vt illi aiunt) resistendo, quæ in casu nostro non eueniunt, & receptissimū est, quod qui suo iure vtitur, nulli facit iniuriā, teste Nau. c. 17. n. 250.

7 Et exemplum quod adducunt de iusso ascendere patibulum, vel collum gladio exhibere, non est ad propositum: nam tales iam conuicti sunt, vel confessi: & ideo

nullum

nullum superest eis ius se amplius defendēdi, & obedire omnino tenentur, sicut & ego similiter concedo, quod ille, contra quem est semiplena probatio, vel æquiualens indicium, torturam subire tenetur, & æquanimiter illam tolerare, nisi alias iuste se defenderit: & per hæc patet vlterius, quod argumentum Petri Nauarri ex l. 4. ff. de test. adductum superius validissimum est, & ridicula est exceptio aliorum; inquiunt enim, quod ibi loquitur textus de expressis personis generi, & soceri, hic autem vagamur in incerto; quo quid absurdius dici potest? si enim omni iure valeant argumenta a simili, & multo magis a minori ad maius affirmatiue, certe non est bona exceptio dicere, quod ibi certæ designantur personæ, hic autem incertæ, cum nedum æquiualens, sed multo potior, & fortior militet hic ratio, quam ibi, nam ibi de proximi fama solum agitur: hic autem de propria, & de proprio, & personali damno euadendo; ad quod cæteris paribus (vt superius dictum est) quisque magis tenetur.

8 Et denique communi sententia concludam, quod nullum est ius naturæ cōtra auctorem naturæ: sed ius defendendi se est ius naturæ; ergo nullum peccatum mortale incurret quis iuste se defendendo, neque corpus diliget plus, quam animam; sed ordinate animam suam prius, deinde corpus, denique famam inter nos regulares, qui cætera omnia nil curamus.

9 Quin excepto periculo vitæ, multo magis famam, quam corpus æstimamus ordinate, vt constat, nam illud flagellis, disciplinis, vigiliis, ieiuniisque sæpius

affligimus, etiam ex præcepto regulæ, vel superiorum, famam vero, & honorem nullum vidi vmquam spernere; nec regula id præcipit, nec vllus Prælatus vmquam hoc præcipere tentabit, vel audebit.

10 Poterit igitur quicumque regularis ad suam famam tuendam crimen semiplene probatum in iudicio cum iuramento negare tuta, tranquillaq. conscientia, quousque per maiores, vt dixi, secus decernatur; & qui aliter propria docent auctoritate, ignoro, an opere compleant.

11 Non enim me latet hæresim esse damnatam asserere, quod licitum sit mentiri pro vita hominis saluanda, aut pro magno beneficio homini impendendo: scio etiam inter notas ad internoscendos Hussitas a Martino Quinto in Concilio Constantiensi additas quarto loco proponi debere, vtrum credat, quod periurium scienter commissum, ex quacumque causa, vel occasione, pro conseruatione vitæ corporalis propriæ, vel alterius, etiam in fauorem fidei sit peccatum mortale,&c. quod negans pro Hussita reputandus erat: Namque primo dico hic in casu nostro nullum admitti mendacium, nullumque periurium, vt superius ostendi, aliud enim est falsum dicere, & mentiri, aliud est verum occultare, rationabili, & iusta de causa; primum nullatenus concedo; secundum admitto: nec pro veritate sic celanda committitur mendacium, nec periurium, alias Christus mentitus fuisset, cum ait, nec filium hominis scisse de die, & hora vniuersalis iudicii: Martinus porro V. in Hussitas inuehebatur, sicut olim D. Augustinus in Priscillianistas, qui, vt ille ait Hæres.70. illo execrando elogio suas hæreses decernebant,

idest

idest; Iura periura secretum prodere noli: quare D. Augustinus hinc motus contra mendacium librum illum composuit: quare optime fecerunt D. Augustinus, & Martinus V. ita damnando mendacium, & periurium; hinc canonicæ illæ antiquæ canonum sacrorum optimè sancitæ pœnæ contra peierantes; at in nostro casu, nullum hæc habent locum: nam tam Priscillianistæ, quam Hussitæ ad contegendas, & confouendas per quam perniciosas Hæreses periuria admitti præcipiebant: absit autem a corde meo, & a mente mea, vt aliquid tale, vel somniando concipiam, vel vt mendacium vel vt periurium quomodocumque admittam, sed in ea versor sententia (paratus corrigi semper, & vbique) vt peccatum occultum celare, nec sit peccatum, nec mendacium, nec periurium, si cum iuramento id celetur: hanc tamen doctrinā, sicut & cætera mea omnia, Sanctæ Matris Ecclesiæ, quin & doctiorum iudicio, & censuræ penitus submitto, & humiliter, quatenus opus fuerit corrigi expeto.

An Reus iuridice interrogatus non respondendo habeatur pro confesso. Cap. X.

SVMMARIVM.

1 *Reus iuridice interrogatus compelli potest ad respondendum.*
2 *Si noluerit respondere pro confesso habetur, & ita practicatur.*
3 *Nec potest Reus dilationem petere.*
4 *Nec potest petere copiam processus.*

R 4 5 *Sed*

5 *Sed sufficit in vniuersali sibi manifestetur causa status.*

6 *Secus si iudex rationabili de causa sit suspectus, praesertim in re graui, vel cum viro graui.*

7 *Cautè in hoc procedant iudices, & Rei, qui respondere tenentur secundum Regularium practicam.*

1 INquit Rodericus, quod Reus legitimè interrogatus, nolens respondere, potest ad id compelli a iudice competente.

2 Quod si pertinax fuerit non respondendo, pro confesso iudicatur, quam in sententiam adducit Suarez dicentem, ita in Hispania in causa satis graui fuisse iudicatum: & Iulius Clarus l. 5. receptarum sententiarũ. §. fi. q. 4. vers. sed pone. dicit ita fuisse practicatum.

3 Et quod reus ita respondere tenetur, vt non possit a iudice dilationem petere ad deliberandum: & ita firmat Salsedo, vbi supra eodem cap. nu. 126.

4 Nec sentio cum Roderico, quod Reus possit petere copiam processus, vt videat, si obligetur ad respondendum.

5 Sed sufficit (vt superius dixi) quod iudex in vniuersali manifestet ipsi Reo statum causæ: nam ex eo ad responsionem se teneri dignoscet.

6 Verum est tamen, quod si iudex pro suspecto haberetur rationabili de causa, & non ad libitum rei, & dubitaretur, vtrum legitimè inquiratur, & interrogetur, debet iudicari in fauorem rei, quod videlicet non legitimè interrogetur; quod specialiter procedit in crimine graui, vel cum viro graui, & eminente: iniustum enim esset reo

tunc

tunc imponi pœnam grauem, vel viro eminenti pœnam leuem in casu dubio propter eius reticentiam, vt aduertit doctissimus Soto de teg. secret. mẽb. 2. q. 8. concl. 1.

7 Cautè itaque procedant iudices manifestando statũ causæ cum oportuerit, & magis cautè rei non ab re, nec leuiter iudices allegantes pro suspectis, sed respondere statim se præparent, cum in nostra Religione præsertim practica, & consuetudo obtinuerit, vt nunquam detur copia processus ante interrogationem Rei.

An reus post latam sententiam definitiuam teneatur confiteri delictum prius negatum. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1 *Opinio dicentium Reum post sententiam patefacere non debere veritatem.*
2 *Consentit Auctor.*
3 *Si vero perperam negauit ante sententiam tenetur post eam veritatem patefacere.*
4 *Præsertim quando ex tali negatione iniuria infertur iudici.*
5 *Contra verò si nulla iudici inferatur iniuria.*
6 *Infallibiliter autem, quando Reus non peccauit negando veritatem, nunquam illam patefacere tenetur post quamcumque sententiam.*
7 *Quod idem dicendum etiam, quod parti damnum inferatur contra secus opinantes.*
8 *Ponderandum tamen est damnum, quod parti infertur cum aliis circumstantiis, & iuxta illas decernendum.*

1 Rode-

1 RODERICUS eadem quęstione art. 9. dicit; quod etsi Reus negando delictum a se commissum peccauerit mortaliter, cum iuridice fuerit interrogatus; non tamen est obligatus post condemnationem veritatem patefacere, nisi ex negatione graue damnum alicui parti resultet.

2 Conuenio cum ipso in eo, quod ait reum non esse obligatum post condemnationem fateri delictum, quod tuta conscientia negauit; immo a tali condemnatione appellari poterit, præsertim si grauis pęna per sententiam inferatur, vel grauis ex ea infamia oriatur.

3 Quod, si peccasset mortaliter, negando veritatem ante condemnationem, saltem post condemnationem illam fateri teneretur contra id, quod Rodericus, & alii docent impugnando Medinam.

4 Hoc enim verum esset saltem in casu, quo militaret ratio Medinæ, videlicet, quando non confitendo delictum inferretur iniuria, vel infamia iudici arguendo ipsum de iniustitia, quasi innocentem condemnauerit.

5 Si vero nulla ex eo inferatur iudici iniuria, vera est sententia Roderici, qui latius ostēdit reum nō teneri ad veritatē dicendam post latam sentētiā, cum iudiciū iam sit finitū, & iudex munere suo sit functus, & iam desierit esse iudex ex D. Ant. 3. par. tit. 9. c. 16. §. 8. & Siluest. verb. iudicium, & aliis, eo semper saluo (vt dictum est) quod iudici nulla inferatur iniuria, vel infamia Nauar. capit. 25. num. 38. & sequ. quidquid nullo solido fundamento arguant in contrarium alii distinguendo de doctis, & indoctis; nam tam ii, quam illi dubitare poterunt, an iudex recte iudicauerit secundum allegata, & probata.

6 Cæterum Nauar. cap. 25. num. 38. & alii dicunt

optime,

optime, quod quando non peccauit Reus, negando veritatem ante condemnationem; nec post condemnationem illam fateri tenetur.

7 Et idem dicendum est de limitatione, quam addit Rodericus ibidem: nẽpe, quod reus tenetur cõfiteri veritatẽ post condemnationẽ, quãdo ex negatione graue damnũ alicui parti resultet: nam tam in hoc, quam in omnib. aliis similibus, & possibilib. casibus, vel reus tenetur ante ipsam condemnationẽ fateri delictũ, dum obstrictus iuramento interrogatur, uel numquam tenetur etiam post cõdemnationem, damnũ enim partis, & quodlibet tale ex primæ negatione tamquam ex radice primaria, & primario fonte procedit, quare tunc diligenter ponderandum, an ob damnum parti obueniens, vel aliquid tale illicita sit negatio cum iuramento, nam, si tunc licita fuerit, semper licebit illam defendere, ac sustentare, vt dictum est.

8 Concedendum est tamen, quod, si damnum imminens tertio non fuit præcognitum, quando negata fuit veritas, & postea præcognoscatur: tunc non ex ratione semiplenæ probationis, sed ratione damni illati reus veritatem fateri tenebitur, dummodo non fuerit expositus maiori, vel æquiualenti damno, tunc enim ponderandę diligenter essent vtriusque partis rationes, & in fauorem illius iudicandum, ac resoluendum, cuius essent priores, & potiores rationes, seruatis, & ponderatis de iure seruandis, & ponderandis.

An

An Reus possit interrogari de complicibus. Cap. XII.

SVMMARIVM.

1 *Rei non possunt interrogari de complicibus.*
2 *Et iudices tenentur docere reos ignorantes circa hoc.*
3 *Et peccant mortaliter iudices, qui perperam de complicibus interrogant.*

1 VTroque iure prohibitum est regulariter, ne rei, siue conuicti, siue confessi vmquam interrogentur de sociis delicti, sic in ca. cum ad monasterium. extra de confessis & in cap. veniens. ex. de testibus. & 15.q.3.cap. nemini, & in l. repeti. ff. de quęst. & in l. fin. C. de accusat. & hanc esse communem opinionem Theologorum, & Canonistarum docent Ioannes de Amic. consil. 27. num. 1. & Sotus de secr. memb. 2. quęst. 6. concl. 1. dub. vlt.

2 Et aduertit Rodericus q. 19. art. 10. quod nedum non debent iudices interrogare de complicibus, sed vlterius tenentur declarare ipsis reis ignorantibus, quibus in casibus debeant manifestare, vel celare complices.

3 Et ait iudices mortaliter peccare ex sententia Nauarri cap. 18. num. 58. qui contra ius, & fas fraudulenter interrogant de complicibus, vel subtiliter nimis indagant sibi persuadẽtes iustum esse quacumque via complices, & delicta peruestigare, vt apud homines habeantur in opinione iudicũ expertorum, & cum rigore proceden-

cedentium constringentes miseros reos uarie ad reuelandum complices: & addit ex Nauarro, quod ęterna damnatione sunt digni iudices, qui tormentis constringunt reos ad reuelationē prȩfatorum in delictis cōsociorum.

Quibus in casibus Reus interrogari possit de complicibus. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Reus interrogandus de complicibus, quando contra illos adest infamia, vel indicia.*

2 *Idem quando crimen commissum est atrox, vt crimen læsæ maiestatis, &c.*

3 *Idem quando crimen commissum est in publicam perniciem.*

4 *Confessarii tenentur monere pęnitentes, vt reuelent complices tales, & nolentes non sunt absoluendi.*

5 *Non tenetur autem reuelare complices iam correctos, vel corrigibiles.*

6 *Nec potest iudex de particulari complice interrogare.*

7 *Item interrogandum de complicibus, quando crimen in damnum tertii notabile tenderet.*

8 *Secus nullatenus interrogandum de complicibus.*

9 *Reus de criminibus occultis numquam interrogari potest.*

1 SVnt aliqui casus a iure permissi, in quib. nedum possunt iudices sed etiam debent de complicibus interrogare. Primus est communissimus, & receptissimus, quando adsunt indicia, vel infamia contra ipsos compli ces,

ces, tunc enim interrogandi sunt rei de complicibus indiciatis, & infamatis tantummodo, & non de aliis.

2 Secundus casus est generaliter atrocitas criminis, vt sunt crimina læsæ maiestatis, vt patet in l. quisquis in fin. ff. ad l. Iuliam, & in cap. cum ad monasterium, vt aduertit Sotus; nam semper in his casibus interrogandum est de complicibus.

3 Tertius casus est, quandocumque crimina sunt in publicam perniciem, vt sunt latrones, falsificatores monetæ, Hæretici, lamiæ, & similes; nam in his omnibus casibus interrogandi sunt rei de complicibus, vt hæc perniciosorum hominum turba iudici manifestetur ad purgandam, & liberandam remp. tali peste.

4 Quin resoluit Nauarrus in cap. inter verba, cor. 6. & in Man. cap. 18. num. 58. & alii, quod tenentur confessarii exhortari reos, & monere, vt præfatos complices declarent: quod, si nolint obedire, tamquam impænitentes minime sunt absoluendi.

5 Non tenentur autem amplius complices reuelare, quos iam cognouerint correptos, & emẽdatos, vel si probabiliter cognoscant illos correptos, & emendatos ire per solam fraternam correptionem.

6 Aduertẽdum etiam cum Roderico loc. cit. quod non potest Iudex interrogare particulariter, & nominatim de tali, vel tali cõplice etiã in talibus casib. attrocib. & perniciosis, nisi de illo adessent indicia, vel infamia, vt dictum est, sed in vniuersali tantum, an in præfatis criminibus habuerint cõplices, & quot, & qui, & quales fuerint ita, vt ab ipsis rite interrogatis propalentur, exprimantur, & nominentur complices.

7 Quartus, & vltimus casus generaliter est, quãdo crimẽ

tenderet

tenderet in euidens, & notabile damnum alicuius particularis personæ, vt, si multi conspirassent in vitam, vel notabilem infamiam, & calumniam alicuius personæ, vel aliquod simile sibi notabile damnum, & vnus tantum de conspiratoribus confessus, vel conuictus, interrogandus omnino foret de consociis ad euitandum futurum imminens damnum.

8 Si enim iam esset præteritum, & iam patratum crimẽ, & ex consequenti nullum euitaretur damnum, vel nõ esset reparabile, nullatenus interrogandi sunt rei de sociis exceptis præfatis quatuor casibus, nisi adsint infamia, vel indicia sufficientia, ut superius dictum est.

9 Cæterum, quod Reus conuictus de uno crimine de aliis criminibus occultis nequaquam interrogari vmquam possit, dictum est latius in superioribus.

DE CARCERE REORVM.

De triplici carceris genere. Cap. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Triplex genus carceris primum in criminis pœnam remissiuè.*

2 *Secundum est ad custodiam, nec potest adhiberi nisi in suspectis de fuga.*

3 *Mortaliter peccant secus facientes Prelati.*

4 *Et famam lædentes ad restitutionem tenentur.*

5 *Tertium genus est ad arctationem.*

6 *Nec sufficit ad id leuis causæ cognitio.*

7 Et

7 *Et id genus non adhibendum, nisi prius datis defensionibus.*

8 *Secus practicatur in ordine, & est error.*

9 *Nec certa datur regula, sed iudicis arbitrio standum.*

1 PRimum se offert ponderandum hic, quod triplex est carceris genus, primum est in pœnam criminis, & id numquam adhibetur, nisi per diffinitiuam sententiam præuiis probationibus, & defensionibus, & aliis seruatis de iure seruandis: de quo inferius.

2 De secundo & tertio est hic sermo, secundus ergo carcer est, qui proprie non est carcer, sed custodiæ domus, & disciplinæ appellatur, ad quem licet non requiratur plena informatio delicti, numquam tamen adhiberi potest, nisi reus fuerit de fuga ualde suspectus, uel alias fugitiuus, & solitus delinquere, vel apostatare, ut colligitur ex capite, vt famæ. extra de excom. & tradit Clarus ex communi q. 28. uersic. Quæro numquid.

3 Qua in re grauiter errant qui Religiosos nullatenus de fuga suspectos, antequã sumpserint sufficientẽ informationem, in carceres coniiciant, talesque iudices mortifere peccare docet Nauar. rub. de indiciis, num. 51.

4 Maximamque iniuriam, & ignominiam inurere carceratis, & denique ad restitutionem famæ sic læsæ omnino teneri ex cap. fin. de iniur. l. qui occidit. ff. ad legem Aquiliam: quam Nauarræ doctrinam mature perpendere, exacteq. obseruare, cuperem omnes Iudices Regulares attentis omnibus circumstantiis qualitatis delicti, & personæ prætensæ delinquentis, quod in omni carcerationis genere seruandum.

5 Tertium

5 Tertium denique carceris genus est ad afflictionem, siue ad arctationem, vt loquuntur nostra statuta, & est quædã torturæ species, talisque carcer adhiberi non debet, nisi pro graui crimine, & non nisi maturo consilio, nec sine causæ sufficienti cognitione, cum magnũ præiudicium inferatur taliter incarceratis, & aliquam semper honoris, & famæ iacturam sortiantur, vt superius dictum est, & notant vlterius Bald. in l. 1. C. de in integr. restit. & Ioan. And. in 6. de sent. excom. c. si clericus.

6 Hæc verò leuis causæ cognitio sufficit ad regulares carceribus mancipandos: nam (vt experientia docet) sola relaxatio, & liberatio à carceribus non plenè restituit famæ integritatem quoad publicam, & communem existimationem; quia, vt plurimum homines potius incarceratis culpam, quam in iudice leuitatem adesse existimant; ex liberatione vero, seu relaxatione e contra non reorum innocẽtiam, sed potius iudicis desidiam, & remissionem ob potentum preces, vel ob munerũ largitionem, seu similem aliam causam autumant.

7 Non igitur coniiciendi sic Religiosi in carcerem per modum arctationis, nisi adsit semiplena probatio, vel indicia æquiualentia, & vlterius ego sum, & fui semper huius sententiæ, vt talibus ita carcerandis prius darentur defensiones cum suis terminis, nisi persona, contra quam procederetur, esset admodum vilis, & crimen satis ex indicijs, & probationibus euidens, ita, vt etiam ad vlteriora tormenta procedendum de iure esse facile existimaretur.

8 Vniuersaliter autem in ordine nostro secus practicari vidi, omnesque prætensos reos (sicut refertur) arctandos in carcerem coniici penitus indefensos: qua in re

S graui-

grauiter errare Prælatos ex Nauarro, Baldo, & aliis supra citatis, existimaui semper.

9 Et licet certa in tali forma incarcerandi regula tradi nequeat, sed in his iudicis arbitrio plurimũ deferendũ, verumtamen mitiorem partem, & regularibus institutis magis consonam eligere semper deberent, & nullum indefensum carceribus mancipare, nisi persona esset valde vilis, vel delictum satis clarum, & cætera huiusmodi concurrant, vt superius dixi.

De qualitate carceris. Cap. XV.

SVMMARIVM.

1 *Carcer ad custodiam sit mitis, & perquam humanus.*

2 *Errant Prælati secus facientes, & ad famæ læsæ restitutionem tenentur.*

3 *Carcer ad arctationem plus minusue seuerior sit, iudicis arbitrio.*

4 *Sed hæc non adhibenda, nisi de Patrum consilio.*

5 *Nunquam tamen sit carcer intolerabilis.*

6 *Iustè prohibentur carcerati, ne cum aliis loquantur.*

1 CArcer ad solam custodiam semper mitis, & humanus esse debet, & veluti senatorius, & omni religiosa commoditate præditus, dummodo sit securus; nam ad solam custodiam adhibetur.

2 Qua in re etiam grauissime errare vidi nõnullos Prælatos, qui ad solam custodiam carcerantes obscuriores, & atrociores in Prouincia carceres exquirunt, manicisque ferreis, vel cõpedibus miseros constringũt reos,

vt

vt appareant iusti, & seueri, carnificis potius, quam iudicis, vel pastoris munus exequentes, quos ad famæ læsæ restitutionem, Deoque optimo maximo strictissimam reddendam rationē teneri ex superius traditis nullatenus dubito: nam (vt ait Parisius conf. 2. nu. 148. & Balduinus in com. ad l. 12. tabul. l. 46) huiusmodi carcer debet esse, vt custodiantur, & non, vt pereant incarcerati: sic prudentissimus ille Constantinus Imperator l. prima C. de custodia reorum. decreuit huiusmodi carceres tales esse debere, vt, pręter custodiam, nihil habeant: pudeat itaque Prælatos regulares vinci, & superari a sęculari iudice in pietate, & humanitate.

3 Cęterum, si carcer sit ad afflictionem, vel torturam, debet adhiberi pro modo criminis, & personę delinquētis, rite perpensis, & ponderatis omnib. perpendendis, & pōderandis circunstātiis, nā iudicis arbitrio maxime necessario hic deferendum, vt dicunt Puteus de syndicatu ver. carcer, & Foler. pract. crimin. versic. vel incarceratus. nu. 8. & Baldus in l. 2. in fi. C. de exim. reis. & Tiraquellus de pęnis caus. 31. nu. 11. & aliquādo magis atrox, magis obscurus adhiberi poterit carcer, vinculis etiam adhibitis, & manicis ferreis, vel compedibus, vel etiam flagellis, & verberibus ponderatis ponderandis, vt dictum est.

4 Sed nullum talem carcerē adeo rigorosum adhiberi vellem a iudicibus regularibus, nisi cōsulto diffinitorio, vel aliis Prouinciæ Patribus grauibus, & expertis, & apprime doctis.

5 In omnibus autem consimilibus causis considerent Prælati regulares doctrinam Cardinalis in Clement. prima quæst. 7. de pœnit. qui ait, Prælatos irregulares,

S 2 &

qui statim ad brachium recurrũt ſeculare maximo cum ſcandalo, vt religioſos in carceres coniiciant: & licet excommunicationem non incurrant capit. ſi clericos. extra de ſent. excom. in 6. verumtamen a graui culpa excuſari nequeunt, ſi abſque graui neceſſitate id efficiant.

3 Potius igitur regularibus inſtitutis innitẽdum, trinaque admonitio cum debitis internallis adhibenda, ſingulas per vices illis pręcipiẽdo, vt carceres adeant, & denique laici noſtri ꝓfeſſi, ſi opus fuerit, cõtumaces eos in carcerẽ coniiciũt, & oẽ aliud regulare remediũ (priuſq; ad brachiũ ſæculare recurrant) adhibendũ more maiorũ.

De fuga Reorum. *Cap.* XVII.

SVMMARIVM.

1 *Secundum ius commune carcerati iuſtè fugere poſſunt.*

2 *Nequaquam Regulares per obedientiæ votum.*

3 *Secus quando iniuſtè carcerantur cum notabili detrimento.*

4 *Dummodo fugiens recta properet ad ſuperiorem ordinatè.*

5 *Etſi iniuſtitia ſit certa, & nota, poſſunt alii iuuare carceratos ad fugam.*

6 *Dummodo non ſint cuſtodes carcerum, quia tales nulla ratione id poſſunt.*

1 NOnnulli ſequentes communem ſentẽtiam Doctorum, & præſertim Couar. lib. 1. variar. cap. 2. nume. 11. dicit indiſtinctè Reum ante ſententiã fugere

posse, nisi iurauerit se permansurum: etsi ex tali fuga damnum aliquod oriretur carceris custodi.

2 Quę sententia communis verissima est, si intelligatur de laicis, & clericis non regularibus, sed loquendo inter nos regulares, falsissima est, vt animaduertit Rodericus 2.to.q.23.art.6. Nam Religiosus regularis in carcerem coniectus a suo Prælato nullatenus licite fugere potest, etiam ante condemnationem, nedum enim non potest exire a carcere iuste, & sine Apostasiæ nota: sed neque a monasterio, neque ab ea parte monasterii, in qua eum Prælatus iuste manere præcepit, nisi prius iuste petita, & impetrata licentia; multo igitur magis tenetur Religiosus manere in carcere sibi quomodocumque a superiori iuste assignato arg. cap. quorumdam, & cap. si Religiosus. de elect. in 6.

3 Secus vero sentio, quando Religiosus iniuste in carcerem coniectus esset maxima cum sui honoris, & famę iactura, & cum graui corporis afflictione, vel vitæ periculo iniuste perpesso: tunc enim absolute illum fugere posse arbitror absque vlla Apostasiæ nota, etiam vim inferendo custodibus, etiam rumpendo vincula, & limando compedes, & effringendo carcerem, etsi custodibus per accidens damnum aliquod euenturum esset: sicut in simili docet Caiet. in 2. 2. quæst. 69. artic. 4.

4 Dummodo Regularis ita fugiens recta properet ad Prælatum superiorem illo, qui eum iniuste in carcerem coniecerat, vt verbi gratia, si fugiat a Prouinciali ad Generalē, & a Generali, ad Protectorem, & a Protectore ad summum Pontificem ordinate, sicut in appellatione, & recursu nostra disponunt statuta: talis enim

fuga

fuga recursus potius est appellanda, quam fuga.

5 Et in tali casu firmiter sentio vlterius posse alios fratres, vel monacos opera, & consilio iuuare ita coniectos in carcerem ad fugiendum, etiam præbendo instrumenta ad id opportuna, & efficacia, etiam, quod superiores secus præceperint sub quauis pena, esset enim pręceptum iniustum, sicut & incarceratio: ex quo constat, quod iniustitia debet esse notoria, & manifesta ad hoc, quod possint alij Regulares liberi pręfatam fugam consulere, vel iuuare modo præfato.

6 Limito tamen dummodo non sint custodes, quorum est carceratos custodire ex munere, & obedientia sibi imposita, quod, si iniustitiam fieri dignoscant, officium potius renuere tenentur, munerique custodis renunciare, quam sub tali munere, & obedientia carceratos iuuare: fidem enim frangerent suo superiori, & obedientiam sibi impositam, & acceptam maximo cum scandalo aliorum, sub hoc enim prætextu fortè auderent omnes custodes etiam in carcerem iustè coniectos liberare.

DE REORVM TORTVRA.

Quid sit tortura, & quare introducta. *Cap. XVIII.*

SVMMARIVM.

1 *Tortura quid, & quare introducta.*

2 *Salutarisque est reipub. ad continendos in iustitia improbos.*

1 Tortura (vt coniicio ex communi doctrina) est subsidium quoddam in defectũ probationis criminis, supplens quod ad plenã probationem deficit: ex qua descriptione constat, torturam esse introductam non in pęnam criminis, sed in criminis probationẽ, quando crimẽ nõ est adeo probatum, vt ad punitionem deueniri possit, tunc enim ꝑ torturã Reus confitẽdo veritatem supplet, quod ad plenam criminis probatiõnẽ deficiebat, vt docent ex communi Clarus q. 64. num. 6. & Couar. l. pract. qq. q. 23.

2 Conformiter porrò iure naturali, & gentium huiusmodi torturæ subsidium introductum est: Nam, cũ nõ possint improbi iustè puniri, vbi crimen nõ sit plene probatũ, nisi torturę subsidiũ introductũ esset, improbi omnes improbiores euaderent, & audaciores, & magis effrenati ad delinquẽdum in omni scelerũ genere, arbitrãtes enim nõ posse plene cõuinci, vel testibus, vel indiciis, impune se delinquere certo scirent: at, introducto torturæ subsidio, iã videt, etsi nõ plene probentur crimina, obnoxios tamẽ se futuros variis tormentorũ generibus, vel ex vnico teste, vel ex indiciis ęquiualentibus, & sufficiẽtibus, quod maximũ est improbis frænũ, ne tam licẽter, & insolẽter in scelera prolabãtur in Reipublicę grauissimum damnum, iure itaque optimo introducta est tortura nedum in sæculo, sed etiam in Religionibus.

Quotuplex sit tortura. Cap. IX.

SVMMARIVM.

1 *Tormentorum non sunt certa, & determinata genera.*

2 *Estque*

2 *Estque barbarum exquisita excogitare tormenta.*
3 *Arbitrarium est iudici, sed a consuetis non recedat.*
4 *Tormenta in ordine consueta quæ sint.*
5 *Inter omnia tortura chordæ laudatur, & probatur.*
6 *Sed non nisi ab expertis adhibenda.*

1 NOn est equidem iure cautum, quotnam sint tormẽtorum genera, nõ tamẽ defuerunt, qui plura excogitauerunt; nam Marsil. in l. 2. ff. de quæst. quatuordecim excogitauit, & addidit alia se inuenisse, & inter cætera somni subtractionem, quam laudat Paulus Ghirlandus lib. de quæst. q. 2. sic alii alia inuenerunt.

2 Sed, vt ingenue fatear cum piis, pariterque doctissimis viris, nouorum tormentorum excogitatio carnificiũ potius est, & crudelium, & barbarorum iudicum, quam Iurisconsultorum, ac Theologorum, & aliena prorsus ab omni scientia, & pietate: Vnde Clarus q. 64. versic. item debet. valdè criminatur iudices, qui reos torqueri faciunt modis exquisitis, & non consuetis.

3 Etsi enim secundum ius commune arbitraria sint tormenta; possitque iudex id tormenti genus adhibere, quod sibi ad veritatem eliciendam commodius videatur, non tamen excogitare debet insolita tormentorum genera, sed iuxta qualitatem personarum, indiciorum, & criminum, & iuxta vsum prudentium iudicantiũ in Prouincia, in qua ius dicit, receptum, applicare debet tormentorum genera, vt pulchrè notant Clarus vbi supra, & Antonius Gomez lib. 3. var. c. 13. num. 5.

4 Apud nos itaque in leuioribus criminib. reos flagellis cędere sanctorum Patrum instituta consueuerunt, & sic decernunt Ordinis nostri statuta: sed in grauioribus crimi-

criminibus manus post tergum, vel in manicis ferreis coniiciuntur, vel arctissima ligatura stringuntur: diuque sic permanere coguntur secundum criminis, & indiciorum exigentiam per tempus iudicis arbitrio prætaxandum, vel etiam sic manibus post terga coniectis, parumper a terra suspenduntur ad paxillum, vel clauum, similiter per aliquod temporis spacium ad arbitrium iudicis.

5 In grauissimis vero criminibus tormentorum Regina (vt omnes asserunt criminalistæ, nemine discrepante) & minus periculosa, & magis ad extorquendam reis veritatem est funis, quæ vulgo dicitur corda, & a qua (mea sententia) nullatenus est recedendum, si criminis excessus, & indiciorum grauitas id exposcat.

6 Sed non nisi ab expertis est exercēda huiusmodi tortura, quod, si non adsint in religionib. tales, sicut re vera nō adsunt, vocādi sunt ministri sęculares experti, q̃ huiusmodi tormēti genus adhibeāt, ne si ab incautis, & inexpertis adhiberetur aliquod graue incommodū, vt membrorum extorsio, vel obliquatio, vel confractio, vel aliquid tale, Reis tortis eueniret: sicut ego contingere vidi ex incautorum Prælatorum asperitate, & incuria, ne dicam, crudelitate, & furore.

Quæ debeant de iure præcedere Torturam. *Cap. XX.*

SVMMARIVM.

1 *Nunquam adhibenda tortura, nisi necessitas vrgeat.*

2 Secus

2 *Secus facientes grauiter errant, & puniri debent.*
3 *Ad eam requiritur semiplena probatio, vel æquiualentia indicia.*
4 *Quæ indicia semper debent esse plenè probata.*

1 Regula est vniuersalissima, & ab omnibus cõmuniter recepta, quod, si delictũ aliter quã per torturã probari potest, ad torturam numquam est deueniendũ, nam tortura in defectum probationis est introducta, & est subsidium quoddam extremum ad inueniendam veritatem, vt superius dictum est.

2 Quare grauiter errãt omnes iudices, & præsertim Regulares, qui mitiores cæteris esse debent, qui statim ad torturã recurrunt, vel vbi delictum aliter probatur, vel vbi sufficientia ad torturam non habentur indicia, quos redarguunt Angelus in l. fin. 4. C. de quæst. & Boerius decis. 163. nu. 1. & Marsil. in l. prima in fran. 7. ff. de quæst. & Panormitanus in cap. cum incontempt. q. 2. reg. iur. & Nauar. cap. 18. nu. 59. & Clar. q. 64. num. 8. & hi omnes concludunt præfatã esse communem opinionem, contra quam venientes grauiter errant, & punitione sunt digni.

3 In delictis igitur non claris, nec plene probatis deueniendum est ad torturã, modo pręcedant semiplena probatio, vel indicia æquiualentia, & sufficientia; sic tradit Clarus q. 64. versic. dixi quoque. qui etiam dicit hanc esse communem opinionem: sic Nauar. & vterque Thomas, & omnes Theologi, & canonistæ.

4 Et indicia, quæ sufficiunt ad torturam, plene probata esse debent, saltem per duos testes, sicut docent, vltra Clarum, Marsilius in pract. criminali. §. diligen. &

Bartol.

Bartol. in l. fin. num. 7. ff. de quæst. ſicut etiam eſt communiſſima, & receptiſſima doctrina indicia ſemper plene probata eſſe debere ad hoc, vt aliquid efficiant ſiue ad torturam, ſiue ad condemnationem, vt ſupra latius oſtenſum eſt.

Quænam indicia ſufficiant ad torturam.
Cap. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Non adeſt regula certa, quæ indicia ſufficiant.*
2 *In qua adhibenda conſulendi eſſent Patres.*
3 *Sola variatio, vel vacillatio non ſufficit.*
4 *Sic nec mendacium, nec pallor, nec cætera huiuſmodi.*
5 *Niſi quando mendacium, & variatio eſſent circa ſubſtantialia.*
6 *Sola fama non ſufficit ad torturam.*
7 *Indicia vehementia ſufficiunt ad torturam.*
8 *Sufficit, ſi cum fama concurrat fuga.*
9 *Non ſufficit dictum ſocii criminis.*
10 *Sed ponderandæ ſunt circumſtantiæ.*

1 SEmiplenam probationem, vel indicia illi æquiualentia requiri ad torturam plenè determinatū eſt: quæ autem indicia æquiualentia ſint ſemiplenæ probationi, non poteſt certa tradi regula, ſed iudicis arbitrio in hoc ſtandum, qui (vt cautè animaduertit Nauar. in cap. 18. num. 49.) cauere debet, nè iniuſtè, & præter iuris ordinem

nem Reum torturæ ſubiiciat, grauiter enim peccaret, & punitione dignus eſſet pro modo culpæ.

2 Inter nos igitur Regulares omnimode ſeruari vellem, quod ad torturam numquam deueniri poſſit, niſi cõſulto diffinitorio, adhibitis etiã (ſi opus fuerit) aliis grauib. & alias expertis, & doctis Patribus, qui mature deliberẽt, an indicia, quę habentur, ſufficiant ad torturam, necne.

3 Nonnullas tamen Regulas ex Roderico to. 2. q. 20. art. 3. hic adnectere libet, ſed breuius, cum ex his, quæ hic ponẽtur, cæteræ innoteſcant. Prima eſt, quod ſola variatio, ſeu vacillatio nõ facit indicium ad torturam, teſte Carrerio in pract. crim. nu. 119. verſ. quintũ mendaciũ.

4 Similiter nec mẽdacium, nec pallor, nec turbatio, nec trepidatio, & cętera huiuſmodi, quę ſolum quandam ſuſpicionẽ inducunt, & indiciũ remotũ, & nõ ſufficiens ad torturam faciunt, ſic tenent Marſil. in pract. crim. §. diligenter, & Grammat. deciſ. 34. & eſt communis teſte Carrerio vbi ſupra.

5 Sed requiritur, vt variatio, vel mendacium ſit circa ſubſtantiam delicti, vt tradit Puteus de ſynd. verbo tortura, & Carrerius vbi ſupra, & Clarus §. fi. q. 21. verſ. mẽdacium, & Penna in Director. inquiſitorũ 3. p. coment. 90. variatio vero, & mẽdacium circa alias circũſtantias extrinſecas, & remotas non ſunt indicium ad torturam, & hanc ſententiam ſic explicatam dicit communem Puteus in repet. cap. ſi quando. nu. 886.

6 Secunda Regula: (quidquid prolixius, & varie dicat Rodericus vbi ſupra) Sola fama nunquam ſufficit ad torturam, niſi adſint alia indicia, & hęc cõmunis eſt ſententia, vt docent Grammat. conſil. 57. nu. 8. & Carrerius nu. 111. verſ. ſecũdũ indiciũ, & Clarus q. 21. ver. ſola fama.

7 Tertia

7 Tertia Regula: Vehementia, & violenta indicia sufficiunt ad torturam nulla præcedente infamia, quin & vnicum tantum indicium vehemens, & violentum: propinquum tamen, & cum crimine coniunctum sufficiens est ad torturam, vt docet Bart. in l. fin. nume. 6. ff. de quæstio. & hanc dicit esse communem sententiam.

8 Quarta Regula: Quando simul cũ fama cõcurrat fuga delinquentis, id sufficere ad torturam resoluunt post alios Ant. Gomez libro 3. var. cap. 3. num. 10. & Carrer. num. 112.

9 Quinta Regula: Dictum socii criminis nõ facere indicium ad torturam tenent Boerius decis. 319. & Grammat. decis. 38. sed duos socios criminis sufficere docent Boerius vbi supra, & Clar. q. 21. ver. sed pone. sed ego practicari vidi dictum socii criminis, quando per torturam sustinetur, & purgatur, acceptari pro sufficienti indicio ad torquendum consocium.

10 Sed re vera maxime ponderandæ essent circunstantiæ, vel vnius, vel duorum sociorum deponentium contra tertium, & qualitates, & circustantiæ illius, contra quem deponunt, & ex his mature ponderare, an sufficiãt ad torturam tertii, quæ, & alia similia inter nos Regulares nollem resolui inconsulto diffinitorio, vt superius dixi, cum iudicis arbitrium hic requiratur, & vnicus iudex tantum, vel Prouincialis, vel commissarius aliqua passione posset commoueri, ne iuste arbitretur.

Quo-

Quomodo Regulares torquendi sint. *Cap.* XXII.

SVMMARIVM.

1 *Regulares mitius torquendi.*
2 *Variæ sententiæ de generibus, & modis adhibendæ torturæ.*
3 *Falsum est torturam infamare, si debitæ adhibeantur cautelæ.*
4 *Opinio dicentium non posse adhiberi sæculares ad torquendos religiosos.*
5 *Talis consuetudo est in Italia.*
6 *Et nunquam etiam adhibendi sæculares, nisi ex vera necessitate.*
7 *Secus facientes grauiter peccant.*
8 *Inter Regulares deueniri potest aliquando ad quæcumq. tormentorum genera.*
9 *Sic decernunt nouiter statuta Vallisoletana.*

1 Certissimum est, & apud omnes receptissimum Religiosos Regulares, quemadmodum & Clericos, mitius, & leuius torqueri debere, quam Laicos, cæteris paribus, ita docent communiter Doctores, vt Abbas in c. primo extra de posit. & Card. ibid. & Boss. tit. de indiciis num. 103. & Diaz in pract. crim. nu. 117. & alii, & elicitur ex cap. cum beatus. dist. 45. & cap. ne Clerici. de rapto. & 23. q. 5. cap. 1. in fin.

2 Diuersificantur vero, quod alii aliis mitius torqueri vellent præfatos Religiosos, nam ferè præcitati omnes Doctores nollent Clericos vmquam subiici equuleis, virgu-

virgulis, fidiculis, & aliis feuerioribus tormentis, nec preterea quomodolibet torqueri, nisi vna cum indiciis sint vlterius etiam diffamati, vel infames, vt de quodam Belial dicit Abbas loc. cit. Bossius tamen, & Clarus locis superius citatis inquiunt præfata non seruari, sed Clericos torqueri, sicut & cæteros tam quoad genus tormentorum, quam quoad famã, vel infamiam: & Carrerius in sua pract. num. 43. inquit, Clericos non debere torqueri, nisi præcedat infamia, quia tortura illos infamat, cum per laicos, vt plurimum torqueri debeant, veluti ea in re expertos, vt superius dixi.

3 Sed re vera non militat hæc ratio inter nos Regulares: primum quia numquam publice torquendi sunt, ita, vt in sęculo publicetur huiusmodi tortura, sed solum per aliquos ministros, quoad fieri posset, magis cautos, & secretos, & numero pauciores, & cum fidei sponsione, vel aliqua alia cautela, vt præfatam torturam non publicent, si quando adhibẽdi sint ministri sæculares, & denique intra conuẽtum ipsum torquendi, vt in propriis carceribus, vel in Refectorio, vel alio aptiori loco eiusdem conuentus ob prædictum finem, sicut ego aliquando seruaui: cessat vero (vt constat) omnino præfata ratio, si genus torturę non requirat sæculares ministros in eo expertos, sed per solos eiusdem ordinis Regulares adhiberi possit, vt sæpius contingit.

4 Magis me mouet, quod Rodericus to. 2. q. 20. art. 8. videtur sentire, quod Prælati Regulares per ministros laicos torquere non possint sibi subditos, sed solum per alios Regulares similiter sibi subditos ex priuilegio Alex. VI. & Leon. X. non obstante cap. vniuersitatis. extra de sent. excom. vt elicit ex monumen. ord. con-

cess.

ceff. 175. vel 359. & ex ſupplem. ord. conceſſ. 292. quam in ſententiam adducit etiam Nauar. lib. 5. conſil. tit. de ſent. excom. conſil. 28. quæ ſententia veriſſima eſt, dummodo non ſit conſuetudo contraria, vt inter alias limitationes limitat Nauarr. loc. cit. dicens, quod Prælatum ordinis minorum excuſare potuit ab excommunicatione, & a peccato mortali, ſi conſuetudo eſt in Italia ſimilis illi, quæ eſt in Gallia.

5 Reſoluendo igitur dico, quod in Italia eſt conſuetudo receptiſſima fere in omni loco torquendi Clericos per laicos, & eſt communis obſeruantia (vt inquit Abbas in capit. vt famæ extra de ſenten. excommun. numero octauo, & Diaz. cap. 117. verſic. Nota tamen, & Clarus quæſtio. 64. verſicu. ſed hic quæro, & Cardin. Alexand. cap. primo, extra depoſit. quæſtio. 5. & Foller. fol. 260. nu. 11. & alii) quam vidi etiam ſeruari inter ipſos Regulares, licet paſſim id fieri nollem, & non niſi magna vrgente neceſſitate, ſicut ego non niſi ſemel tantum in toto meo Prouincialatu id perfeci, & mea ſententia debitis ſeruatis cautelis.

6 Ex quibus conſtat, quod, niſi magna vrgeat neceſſitas, minime ſunt adhibendi ſæculares miniſtri ad torquendos Regulares, vt quando genus torturæ tale adhibendum eſſet, quale regulares ipſi perficere neſcirent, & nequirent: & mea ſententia ſunt applicanda ſemper tormentorum genera, quæ ab ipſiſmet regularibus commode adhiberi poſſent nulla ſæcularium ope, & nullo eorum interuentu, niſi neceſſitas vrgeat in atrocioribus criminibus aliter faciendi.

7 Et licet secus facientes Prælati ex consuetudine excusarentur ab excommunicatione iuxta Nauarri doctrinam loco citato, non tamen excusarentur a peccato mortali, vt colligitur ex eodem Nauarro ibidem num. 12. quare, ne errare contingat, nunquam adhibendi sęculares tortores, nisi de consilio Diffinitorii, vel Patrum alias prudentium, & expertorum.

8 Licet autem (vt dictum est) mitius, & leuius torqueantur Regulares, quam Laici, nullatenus tamen concedendum est non posse deueniri ad quæcunque tormentorum genera in atrocioribus criminibus rite ponderatis eorum circumstantiis simul cum qualitatibus, & circumstantiis personarum delinquentium.

9 Et licet in antiquis constitutionibus Salaman. capit. 7. §. declaramus, decernatur, ne torqueantur fratres, nisi virgis, aut coriactis; veruntamen in statutis nouis Vallisol. de anno Domini 1593. fol. 134. tit. de tortura, siue arctatione, ignis pœna decernitur pro tortura nefandi criminis: Et inferius additur, quod si crimen atrox fuerit, iudex, ad quem cognitio causæ quouis iure pertinet, aliud torturæ genus arbitrio suo iuxta qualitatem delicti excogitare possit, &c. quod statutum pie, ac prudenter sancitum arbitror propter magnam ordinis relaxationem: & ex consequenti longe maiore disciplina, & correctione in ordine opus est, & ad quoduis torturæ genus, seruatis seruandis, vt supra, deueniendum iuxta delictorum, & personarum exigentiam, quidquid secus doceat Rodericus loc. cit. & alii magis conformiter ad antiquam ordinis obseruantiam, & consuetudinem,

dinem, quam ad nostri æui relaxationem, & indigentiam.

An tortura possit repeti. Cap. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Ad arbitrium iudicis fit repetitio torturæ.*
2 *Repetitur autem in leuiter tortis ad sufficientiam.*
3 *Similiter vbi vrgent indicia, & delinquens obstinatur.*
4 *In sufficienter tortis nunquam repeti de iure potest.*
5 *Secus vbi superuenerint indicia vrgentiora.*

1 COmmunis est doctrina, & obseruantia in arbitrio esse iudicis, quando repetenda sit tortura, necne; ita docent Baldus l. 2. C. quod met. cau. & Puteus de syndic. par. 5. & Marsil. in l. repet. numero 5. & in l.q. num.7.

2 Nonnullæ tamen a Doctoribus regulę traduntur pro repetitione torturæ. Prima est, quod, si reus fuit leuiter tortus, poterit iterum torqueri ad sufficientiam iuxta delicti exigentiam, sed eo casu, quando in prima tortura reus deponitur, scribendum est in actis illum deponi animo repetendi, quia non sufficienter tortus; ita docent Bossius tit. de tort. num. 42. & Clarus quæst. 64. versic. vlt.

3 Repeti etiam posse docent Baldus in l. 2. C. quorum appel. & Marsil. vbi supra, quando indicia sunt valdè vrgentia, & is, qui torquetur, est admodum constans;

fol. 126. num. 66. & Marsil. in l. repet. num. 8. & Menoch. lib. 2. de arbit. conclus. 3. char. 262. & Clarus vbi supra cum aliis, quos citat, & est communissima, & receptissima sententia: quod maximè a Regularibus obseruandum, qui mitiores (vt dixi) cęteris iudicibus debent esse.

An Reo sit danda copia indiciorum ad sui defensionem ante torturam. *Cap.* XXIV.

SVMMARIVM.

1 *Opinio dicentiũ Reo dandũ defensionẽ ante torturam.*
2 *Secus docent alii specialiter, vbi agitur cum Reis idiotis.*
3 *Quod seruandum omnino inter regulares.*
4 *Et etiam aperienda semper essent nomina testium, & accusatorum.*

1 ALiqui Doctores docent cum distinctione, reo dandam esse copiam indiciorum ante torturam cum termino ad se defendẽdum, videlicet si reus petet; sin autem, nequaquã danda est ei, & huius sententiæ sunt Nauar. lib. 5. consil. tit. de accusat. consil. 8. num. 2. & 3. Clarus q. 64. versic. sed quid si ille, & Bossius in pract. crim. de indic. num. 79. qui etiam dicit hanc esse communem opinionem.

2 At non esse communem sententiam constat, quia Doctores non minus docti, nec minores numero contrariã docent apertè, nempè reo semper dandam esse indiciorum copiam ante torturam, siue petat, siue non: sic

Marsil. in pract. crim. §. nunc videndum est, & Foller. fol.268. suæ practicæ sub rub. & Bart.in l. 1. §. fin. 3. ff. de quæst. & Carrer. in prax. §. circa secundum, num.7. & Hippol. in prax.§. nunc videndum. in princ. Addens hoc specialiter verum esse, quando reus est idiota, vt pupillus, vel mulier, & similes.

3 Hanc secundam sententiam nulla penitus admissa distinctione, siue limitatione, vellem semper seruari a iudicibus regularibus, qui semper debent mitiorem, ac tutiorem partem eligere: defensio enim est de iure naturæ, & ideo nemini deneganda, quin etiam offerenda, quamuis non petatur, inter nos Regulares, cum tortura sit dãnum irreparabile, & inter nos, vt plurimum fratres sint inexperti, & ignorantes in huiusmodi causis criminalib. Et Prælati debẽt fungi officio nedũ iudicum, sed & Patrũ, & aduocatorũ cũ suis subditis ex charitate, intra limites iustitiæ quoties, & quandocũque opus fuerit, pręsertim, quando de iure communi sic seruandum esset, sicuti vltra supra citatos docent Bart. in l. vnius. §. sui. ff. de quæst. & Maran. in prax. p.6. versic. Indicium trifarium, & Ant. Gomez. de delict. c. 13. nu. 21. & Aug. in addit. ad Angelum verb. fama publica, nu. 37. & 38. & Carrer. in prac. §. circa 2. q. 12. fol. 90. qui ait etiam ita practicari.

4 Dubiũ vero est inter nos, an sint Reo nomina testiũ, siue accusatorum danda, & reuelanda, cum statuta nostra Vallisoletana de anno 1593. tit. de correct. & appellat. §. Ad pacem autem. disponant, non danda huiusmodi nomina, nisi vbi, & quãdo Prælatorum iudicio iustitia periclitaretur; sed ego, etsi alias illud statutum seruauerim in meo Prouincialatu, & ob id quendam Patrẽ impu-

impunitum dimiſerim, vellem tamẽ in poſterum omnino aboleri, & ius commune ſeruari ad tollendã penitus e regulariũ cordibus nequitiam omnem, & omnẽ malignitatem, & nullus auderet, vel teſtificari, vel accuſare, niſi ex vera charitate, vel vero iuſtitiæ zelo, remota penitus omni malignitate, ac paſſione, & inde non timerent ſua manifeſtari nomina, & ſic præcluderetur via malignantibus, & viri honeſti, & probi, ſine honoris prçiudicio, & famæ læſione teſtificari, vel accuſare ſecure auderent, & poſſent.

Vtrum dictum Rei in tortura, non data prius copia indiciorum, ſit validum, & ſufficiat ad eius punitionem. Cap. XXV.

SVMMARIVM.

1 *Dictum negatiuum in tortura conſtans ſemper eſt validum.*

2 *Quare ſufficiẽter tortus non eſt vlterius torquendus.*

3 *Sed confeſſio in tortura non data prius defenſione non eſt valida.*

4 *Quin iudex ita torquens eſt puniendus.*

5 *Talis enim defenſio non eſt iuris apex, ſed de eius eſſentia.*

6 *Niſi in caſu, in quo iudex non teneretur, niſi Reo petente.*

7 *Sed Auctor nullum talem dari vellet caſum.*

1 EQuidem ſi dictum rei ſit conſtans, & negatiuum delicti, ſuper quo torquetur, validiſſimum eſſe nullus dubitauit vnquam, etſi reo non data fuerit copia indicio-

rum: nam primum grauamen ipsi facto nullum præiudicium illi afferre debet, nec ex prima iniuria est illi secunda irroganda, grauamen grauamini addendo cōtra omne ius, & fas, quare dictum negatiuum in tortura semper est validum.

2 Vnde si Reus sit sufficienter tortus, siue data ei, siue non data indiciorum copia, nullatenus est amplius torquendus iuxta superius tradita, & iuxta communem receptissimam opinionem, sed statim absoluendus, modo, & forma, quæ inferius dicetur.

3 Quęstio vero est, si reus fateatur delictum, non data ei prius copia indiciorum, an tale dictum sit validum, & sufficiens ad punitionem: quo in casu nedum ad punitionem deueniri de iure non potest: sed tale dictũ esse inualidum, & nullum, tenet Angelus de malef. ver. fama publica. versic. Item aduer. num. 37. iuxta decretalem c. qualiter, & quando. de accusat. & ratio est clara propter claram adductam decretalē: nam quod fit lege resistēte, non est quod valeat l. pacta, quæ contra. C. de pact. & c. qui contra iura. de reg. iur.

4 Immo talis iudex torquens reum nō data illi prius copia indiciorum iuxta delicti mensuram, vtique puniendus est, vt docent Bart. l. 4. §. Hoc autem indicium, & §. in eam quidquid. ff. de dam. infect. & Alexand. ibidem & Baldus in rub. de pęn. iudic. & Hyppol. in pract. §. expedit. nu. 87. & alii.

5 Nec possunt se excusare iudices Regulares, adducendo, quod copiam indiciorum dare ante torturam sit de apicibus iuris, quibus ipsi non tenentur: nam verba pręfatæ decretalis in c. qualiter, & quando, sunt ista; videlicet: Et exponēda sunt ei illa capitula, de quib. fuerit inquiren-

quirendum, vt facultatẽ habeat defendẽdi seipsum, &c. ex quibus verbis colligitur (vt notat Rodericus tom. 2. quæst. 20. artic. 6.) quod negatio indiciorum, & capitulorum est negatio rei substantialis, & essentialis in iudicio, & non est iuris apex: nam (vltra adductam decretalem) est de iure naturæ, vt constat, cum de propria defensione agatur, quare etiam iudices regulares omnino ad id tenentur.

6 Limitat tamen Roderic. loc. cit. quod in casibus, in quibus iudex non tenetur dare copiam indiciorum, nisi reo petente, si tũc non petierit, validũ est quidquid fit in tortura, & valida est confessio criminis, & sufficiens ad punitionem, dummodo extra torturam ratificetur secũdum ius commune, & communem practicam, quia confessio in tormentis facta redditur nulla, nisi post tormentum ratificetur, vt fusius dicetur inferius.

7 Quæ doctrina verissima est, & ab omnib. amplectenda, quam ego olim practicaui, sed cuperem in posterum (vt superius dixi) quod iudices regulares vbiq. ac sẽper darẽt copiã indiciorũ ante torturam, siue reus petat, siue non, cum hæc sit mitior, & tutior pars, & ab ipsis regularibus omnino eligenda.

An liceat prætenso Reo metu tormentorum crimen de se falsum fateri. Cap. XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Opinio dicentium licitum esse seipsum infamare.*
2 *Quæ sñia nõ est vera vbi dãnũ aliquod tertio euenit.*
3 *Similiter neque verificatur in criminibus nefandis, & atrocibus.*

4 Nec

4 *Nec in uiris eminentibus, qui sibi, vel sanguini, vel ordini maculam inurunt.*

5 *Idem in uiris infimæ notæ, quoties ex tali confessione oriatur scandalum.*

6 *Tutius est nunquam sibi falsum imponere crimen.*

1 DOctor Angelicus 2. 2. q. 129. ar. 1. docet quemlibet seipsum licite infamare posse absque peccato saltem mortali ea ratione, quod quilibet est dominus suæ famæ, quemadmodum pecuniæ, aliarumque externarum rerum, quam sententiam multis probat Soto de rat. teg. mẽb. 1. q. 3. & inde concludit nõ peccare mortaliter eum, qui propriam prodigit famam, falsum sibi imponendo crimen ad fugienda tormenta, vel fugiendam mortem.

2 Sed hæc doctrina multis limitationibus est restringenda: primo enim nullatenus procedit, quotiescunque ex tali famæ ammissione non tantum illi confitenti falsum crimen, sed etiam alteri notabile infertur damnum siue in fama, siue in facultatibus, siue in vita, sicut doctissime explicat Nauarrus in capit. inter verba. 11. q. 3. concl. 6. corol. 44. & est communis sententia.

3 Similiter (vt aduertit oculatissimus Couar. libr. 1. var. cap. 2. nume. 8.) non verificatur præfata D. Thomæ doctrina quotiescunque quisque sibi ipsi absurdissima, nefandaque flagitia imponit, quæ aures exhorrescunt piæ, tunc enim famæ sic prodigus, nullatenus excusari poterit a mortali crimine: quomodo etiam concedit Soto lib. 4. de iust. & iur. q. 2. art. vlt.

4 Præterea (vt colligitur ex Roderico quæst. cit. artic. 10.)

tic. 10.) quotiescumque ex falso crimine confesso sequitur, vel posteritati, vel sanguini notabilis macula, semper est lethale peccatum: & multo fortius id verificabitur in Religosis grauibus optimæ famę, & magni nominis, & alias in ordine eminentibus, quam sententiam ego equis, velisq. amplector iuxta tradita a me superius, & ad id concinnum est Roderici adductum exemplum loc. cit. de lectissimo viro Eleazaro 2. lib. Machab. c. 6. qui cum compelleretur carnē porcinam commanducare contra diuinam legem, & a propriis amicis ad id hortaretur, vt se a morte liberaret, respondit, se potius velle mori: non enim (inquit) ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiātur, & per hanc meæ senectuti maculam, atque execrationem conquiram, &c. quod maxime notent viri in ordine clari, atque conspicui, qui nedum sibi ipsis, sed etiam ordini maculam inurere possunt ex falsa criminis confessione propter eorum eminentiam.

5 Idem omnino ego sentio in Religiosis non adeo magni nominis, & eminentibus quotiescunque ex falsa criminis confessione oriatur scandalum, vel in sæculo, vel in eadem Religione, vel quomodocunque aliter, nam prodigalitas iuxta communem, & receptam sententiam tunc est veniale peccatum, quandò ipsi soli prodigo obest, & non aliis, quo in sensu locutos arbitror D. Thomam, & Soto, vt colligitur etiam ex eorum doctrina locis cit. & alibi.

6 In his igitur omnibus casibus, & consimilibus semper

per mortaliter peccat, qui falsum crimen sibi imponit, quacunque vi, seu metu tormentorum, sicuti docent Arch. in cap. non est. 21. dist. & Abbas in cap. ex parte. de sepul. & Siluester verb. detract. quæst. 2. & Caiet. in sum. eod. verb. & 2. 2. quæst. 73. art. 2. & alii quam plurimi; quare, cum vix falsum crimen sibi imponere quis possit sine aliquo, vel scandalo, vel alterius detrimento, & consimilibus, tutius erit semper nunquam de se falsum crimen fateri.

DE TERMINO, ET VLTIMO definitiuo fine iudicialis correctionis.

Tractatus Decimi Pars prima.

PRAEAMBVLVM.

Expletis per Dei gratiam nouem tractatibus cum eorum annexis, & adiunctis, superest nunc decimus, & vltimus: in quo agetur de vltimo finali definitiuo termino correctionis Regularium: qui quatuor continet principales partes videlicet Absolutionem, Secundo Defensionem, Tertio Condemnationem, & Quarto Appellationem.

De absolutione in processu ex munere. *Cap. I.*

SVMMARIVM.

1 *Inquisitus ex munere absoluendus, si nil contra ipsum probetur.*

2 For-

2 *Forma absoluendi coincidit cum aliis, vt infra.*
3 *Errant Prælati tales non absoluentes.*
4 *Et ad famæ restitutionem tenentur.*

1 CVm ex superius determinatis sępius cõtingat tam in visitatione generali, quã in inquisitione speciali ex munere inquirere contra aliquem iuridice, si facta inquisitione, seruatis de iure seruandis, nil probetur contra inquisitum, absq. dubio per sententiam definitiuam absoluendus est modo, & forma sibi competenti.

2 Forma vero absoluẽdi coincidit cum ea, quæ inferius tradetur in absolutione inquisiti ad instantiam partis, solum variatis terminis de modo procedendi, nempę, vt exprimatur, quod facta visitatione generali, vel speciali inquisitione ex munere, &c. cum nihil sit probatum contra talem, &c. eum absoluimus, vel alia forma, vt inferius dicetur.

3 Qua in re fere omnes ordinis Prælatos, vel errare, vel cõniuere vidi, qui per visitationes generales, vel speciales inquisitiones exponũt aliquem Religiosum alias bonæ famæ, & moribus, & vita probatum detractorum linguis, non terminantes per sententiam absolutoriam formatum processum, prout de iure tenentur.

4 Qua in re si Religiosi inquisiti fama læsa remanent ex tali processu, Prælatos ad famæ restitutionem teneri nullatenus ambigendum, quam, si non restituant per præfatam sententiam absolutoriam, sub lethalis culpæ reatu permanere, constat quousque pręfatæ famæ læsioni non satisfaciant.

De

De absolutione in processu ad instantiam partis. Cap. II.

SVMMARIVM.

1 *Non vnica seruanda forma in sententiis.*
2 *Non enim hoc est de apice, sed essentiale iuris.*
3 *Nec est integra iustitia, nisi pars puniatur.*
4 *Secus, quando reus non absoluitur ex capite innocentiæ.*
5 *Errant igitur non seruantes debitam absolutionis formam.*

1 VNiuersaliter vidi in processibus formatis ad instantiam partis Prelatos nostros in aliud labi extremum, nempe vnica, & eadem forma omnes absoluere pretensos reos, & omnes pariter innocentes declarare, cum de necessitate varianda sit forma secundum meritorum, & probationum exigentiam.

2 Hoc enim non de apice iuris, sed essentiale quoddam iudicii esse constat, si enim pretensus reus innocens omnino reperiatur, & pars nil probet, de necessitate erit condemnanda, præsertim in accusationibus, vt inferius latius dicetur.

3 Qua in re similiter omnes fere errare vidi Prælatos, arbitrantes iustitiæ omni ex parte se satisfecisse, cũ absoluerint reum prætensum quantumcunque innocentem repertum, dimittentes calumniatores pœnitus impunitos in maximum religionis, & iustitiæ detrimentum.

4 Multoties vero accidit, quod prætensus reus non omni-

omnino innocens reperiatur, sed solum adsint indicia aliqualiter, & non plene euacuata, vel ex hactenus deductis non est aliquid probatum ad reorum punitionem sufficiens, & tunc non sunt absoluendi rei, vt innocentes, nec tales declarandi, nec pars venit punienda, nec condemnanda.

5 Perperam igitur agunt Prælati ea in re passim delinquentes, nec debitam formam, nec debitum modum competentem, & distinctum in sententiis, absolutoriis adhibentes, prout de iure: quare tali, ac tanto errori omnino occurrendum.

De forma sententiæ absolutoriæ ex capite innocentiæ in primo gradu. Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Primus Innocentiæ gradus est, quando quis nequit iuridice citari, & examinari.*

2 *Quo in gradu pluries absolutus fuit Auctor.*

3 *Formulæ subnectentur ad aliorum exemplar.*

1 IN duplici gradu contingit absoluere aliquem absolutoria sententia ex capite innocẽtiæ. Primum, quando nedum non est aliquid probatum in processibus contra eum, sed nec adsunt indicia, quibus iuridice possit citari, vocari, seu examinari iuxta superius tradita, & hic primus, & eminentissimus gradus est illæsæ famę, atque illibatæ innocentiæ inquisiti, seu calumniati, cum videlicet innocentia est adeo eminens, & conspicua, vt ne quidem adsint indicia, quibus citari, &

exami-

examinari possit is, contra quem formatus est processus quacunque via, siue ex munere, siue ad instantiam partis.

2 Quo in gradu ego indignus Christi seruus per eiusdem Christi Dei, & Domini nostri gratiam a diuersis ordinis Prælatis ad instantiam partis procedentibus, fere in eodem anno ter innocens fere super iisdem rebus ipsum declaratus: Nec vnquam, vel vocatus, vel interrogatus, nec per vmbram quidem aliquo in articulo, siue magni, siue minimi momenti diuina meam innocentiam protegente gratia.

3 Quare, vt formulæ præfatarum sententiarum sint in exemplar iudicibus Regularibus, eas secundum temporis ordinem, quo prolatæ fuerunt, inferius statim subnectam.

Sententiæ absolutoriæ primi gradus innocentiæ exemplar primum. Cap. IV.

SVMMARIVM.

1 *Sententia in primo gradu innocentiæ exemplar primum.*

1 CVm nos Frater Vincentius de Sartheano ordinis Minorū regularis obseruantiæ Prouinciæ Thusciæ Minister pluries exquisitam, atque perdiligentem perfecerimus visitationem in monasterio nostrarum monialium S. Honofrii Florentiæ vulgo dicti Fulginei, omnesq. ac singulas præfati monasterii moniales monitas, & iuratas perquam diligenter interrogauerimus, tum ad instantiam

tiam partium, tum ex munere, quo fungimur, tum vniuersaliter, tum specialiter de actionibus, vita, & moribus admodum Reuer. Patris Fratris Octauiani Spatharii de Incisa eiusdem ordinis, & Prouinciæ diffinitoris generalis ob duas epistolas a Fratre Bernardino Topio eiusdẽ ordinis, & Prouinciæ Sacerdote ad Illustriss. Cardinales directas vnã videlicet ad Illustriss. Card. Saulũ sub datũ Pisis die 20. Iunii 1607. aliam verò ad Illustriss. Card. Gallũ sub datũ Pisis die 28. Nouemb. 1610. quarũ copias exhibuit præfatus admodũ Reu. Pater Frater Octauianus, prout in processu a nobis cæptò sub die 4. Ianuarij 1611. pfecto vero sub die 6. eiusdẽ mẽsis. Ad quẽ, &c. In pręfatis omnibus visitationibus, tũ paternis, tũ iudicialiter, & formiter a nobis peractis, tam ex munere, quã ad instãtiam partium, nil prorsus aliqua animaduersione, vel etiam paterna admonitione dignum contra pręfatũ Patrem Fratrem Octauianũ inuenimus, quin ex testibus probatioribus, omniq. exceptione maiorib. tam fratribus, quã monialib. illum moribus, & vita spectatissimũ reperimus, repertumq. declaramus, ac summa honestate præditũ, necnon vigilantissima cura, tum in cõponendis prędictarũ monialium, sicut & aliorum monasteriorum Florentiæ controuersiis, tum in componenda, & conseruãda inter eas pace, & cõcordia, necnõ in sublenandis earũ indigentiis valde solicitũ, prudentissimum, & vigilantissimum: quare ex motu proprio nos impellente zelo veritatis, & charitatis erga pręfatas moniales, ipsum Patrem Fratrem Octauianum Commissariũ nostrum confirmamus plenissime, prout in aliis nostris litteris instituimus sub datũ Florentiæ die 3. Iulii 1609. quarum tenorem cum omnibus clausulis, ac si de verbo

V ad

ad verbum hic insertum confirmamus, hisque nostris confirmatum toto nostri officii tempore stabilimus. In quorum fidem, &c.

Dat. Florentiæ in Conuentu nostro S. Seruatoris, Die 7. Ianuarii 1611.

Locus sigilli maioris.

Idem F. Vince. qui sup. manu propria.

Sententiæ absolutoriæ primi gradus innocentiæ exemplar secundum. Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Sententiæ in primo gradu innocentiæ exemplar secundum.*

1 CVm nobis ex debito officii nostri, quod sustinemus (licet immerito) fungentib. visitationis munere in hoc loco nostro omnium Sanctorũ Florentiæ facta fuerit instantia, vt diligenter inuestigaremus, qua facultate, & vbi admodũ Reuer. Pater F. Octauianus ab Incisa in hoc loco cõmorans, nocte exierit, & pernoctauerit extra Cõuentũ, id quidem non segniter, sed accuratè coram duob. testib. videlicet admodum Reuer. P.F. Ireneo Brasauola Prouinciæ Bononiæ Ministro, & Ordinis Patre, & P.F. Ioan. Baptista a Cilento Commissario eiusdem Prouinciæ, ac ministro Prouinciȩ Principatus, examinatis multis testib. curauimus scire, & ab iisdem testibus accepimus (iuramento præstito) eundem P. F. Octauianũ per aliquas noctes ab hoc loco exisse, & pernoctasse in honestissima domo suæ sororis sȩcularis, sed

non

non sine licẽtia petita, & obtẽta a Patre Guardiano Cõuẽtus id fecisse, iusta, & rationabili de causa, & non aliò perexisse; quare decreuimus eundẽ Patrẽ nulla animaduersione dignũ esse, neq. pro hac, neque pro alia causa corã nobis legitimè probata, quin in omnib. innocẽtem repertũ, nec citauimus quidẽ, nec ullatenus interrogauimus, sed absolutum, vt plenè innocentẽ harum serie declaramus, ac pro tali declaratum pronunciamus. Datum Florentiæ die 12. Octobris 1612.

Locus sigilli.

F. Paulus Sulmonensis Commiss. Gener. manu propria.

Sententia absolutoria primi gradus innocentiæ exemplar tertium. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Sententia in primo gradu innocentiæ exemplar tertium.*

IN NOMINE DOMINI AMEN.

1 DE vultu tuo iudiciũ meũ prodeat: & oculi tui videãt æquitatẽ, &c. Nos Frater Christophorus de Arena Minister Pouinciç Thusciç ordinis minorũ regularis obseruãtiæ sex ad hinc ferre mensibus: cùm Serenifs. Magnus Ætruriæ Dux nobis significarit, quasdam sibi esse delatas scripturas a Reuer. admodum P. F. Vincentio a Sartheano olim Prouinciç Ministro, quæ præseferebãt defensionum Generalium titulum, quæ plura aduersus

V 2 Reuer.

Reuer. admodũ P. F. Octauianum de Incisa ordinis Patrẽ, Prouinciæ olim Ministrum, in præsentia merito Custodẽ, & dicti Serenis. Magni Ducis Confessariũ, Theologũ, ac ecclesiastẽ continebãt, ad nos transmisit ad effectum, vt prædictum suum confessarium immunem, vel e contra ab huiusmodi in dictis scripturis cõtẽtis, ex animo vere, & sincere declararemus: nos ad hoc ẽt moniti, & ab Illustris. & Reuerendis. Viceprotectore Card. Verallo præcepti, eiusdemq; præcepto annuẽtes, & parẽtes, his omnibus mature inspectis, & consideratis (Deum præ oculis habẽtes) de consilio, et assensu Patrũ Diffinitorũ dicimus, et declaramus, quod ipse prædictus P. F. Octauianus in omnibus, et singulis, quę contra ipsum in antedictis defensionibus datis, et prę sentatis (ad quę nostra se extendit facultas declarandi) sit iure optimo innocens, atque immunis dicendus, cũ nobis ne vtique contrariũ cõstet, cum nec conuictus, nec confessus sit, & idcirco, sicut minime super his dictum Patrem Octauianũ examinauimus, nec cõstituimus æque innocentem, præsentes has visuris, quantũ ex alto nobis cõceditur, declaramus, & ita dicimus hoc, & omni meliori modo, &c.

Datum in Conuentu nostro Omnium Sanctorum Florentiæ die 25. Septemb. 1613.

Ita est F. Christophorus de Arena Minister Prouinciæ.
Ego F. Ioannes Priorius Lucen. diffinitor confirmo.
Ego F. Ioannes de Põte ad Seuem diffinitor confirmo.
Ego F. Nicolaus Spinellus diffinitor confirmo.

Locus sigilli.

Erro-

Errores in tribus præfatis exemplaribus contenti. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Errores contenti in tribus exemplis.*
2 *Notantur errores ad aliorum cautelam.*
3 *Error in primo exemplari.*
4 *Secundi exemplaris errores.*
5 *Error secundi exemplaris, non ex imperitia, sed ex mole negotiorum.*
6 *Errores in tertio exemplari.*
7 *Ex iis Auctor recursum habuit ad Illustrissimum Card. Verallum, cuius laudes breuiter innuit.*
8 *Exemplar sentētiæ præfati Illustriss. vt vera norma in primo gradu innocentiæ sententiandi.*
9 *Et etiam, vt sit exemplar in gradu reclamationis, & recursus.*

1 IN tribus præfatis exemplaribus, licet ex imperitia, vel incuria iudicium non sit exactè obseruata forma sententiæ absolutoriæ eminentis innocentiæ in primo gradu, constat tamen eo in gradu latas esse præfatas sententias, tum quia ego (vt dixi) nec citatus, nec vocatus, nec interrogatus, nec examinatus in præfatis formatis processibus vnquam fui, sicuti nec in tota vita mea, tum quia ex vi verborū, & contextu sermonis præfatorum exemplarium, & ex contentis in eis clarè apparet, atq. conspicue mea innocentia, in primo eminenti gradu, per solam Dei optimi maximi gratiam.

2 Defectus autem in præfata exemplaria illapsi breui-

V 3 ter

ter hic adnotabo, quo cæteri iudices eos in consimilibus casibus præcauere possint.

4 In primo exemplari, licet satis, superque sit virtualiter declarata mea innocentia in primo gradu, vt ex eo patet; veruntamen non est formaliter positus terminus innocentiæ, sicut debebat poni, dicendo præfatum Patrem innocentem declaramus, pronunciamus, &c.

5 In secundo exemplari licet sit formaliter declarata innocentia, est alius valde magis intolerabilis defectus, s. quod cum me declarauerit innocentem in primo gradu, vt patet intuenti illud exemplar, & cum nil penitus, vel contra legem, vel præter legem patrauerim, & ex consequenti delator puniri debebat ex dictis superius, nedum iudex illum non puniuit, sed omnino subticuit nomen: hinc dubio procul arripuerunt ansam calumniatores me iterum vexandi, falsis, & infamatoriis delationibus, videntes, se in tuto positos, & nedum a punitione immunes, sed ab omni prorsus mẽtione: nec obstat, quod forte denunciauerint solum, & ideo sic occultaretur; quia nec seruauerunt ordinem euangelicum, vel canonicum prius fraterne corrigendo, contra superius tradita, & quod caput est, nullus erat correctioni, nedum denunciationi locus, nam egressus ille nec fuit furtiuus omnino, nec frequens, sed patens, liber, cum honestis religiosis sociis, de licentia expressa Prælati per duas tantum, vel tres noctes rationabilissima de causa, & magno cum comitatu Patrum de more, vsque ad ianuam conuentus, quare puniendus erat delator.

Hic autem error in tantum virum alias probatissimũ, & doctissimum, non nisi ex incuria irrepsisse arbitror ex mole negotiorum, quibus præmebatur tunc temporis

ris Reuerendissimus Pater, qui illam tulit sententiam.
7 In tertio denique exemplari, licet formaliter me innocentem declaret in primo gradu, veruntamen addunt particulas includentes contradictionem, dicentes illis non constare contrarium, & quod non sim cõuictus, nec confessus: quæ formula, vt dixi, & inferius demonstrabo, statim repugnat immediate formæ absolutoriæ in primo gradu innocentiæ: & præterea est in præfato exemplari alius error, quod delatorem perperam defendere volunt honestando eius delationes titulo defensionum generalium, vt eum a quauis nota, & culpa, & pœna iniuste liberarent: & denique addunt particulam illam molestissimam, s. ad quæ nostra se extendit facultas declarandi; in qua magnus latebat anguis viridi, ac florenti inuolutus herba.
8 Quibus de causis iustè motus recursum habui ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum Cardinalem Verallum ordinis nostri tunc tẽporis gerentẽ Protectoris vicẽ, peritissimũ, doctissimũ, integerrimũ, & incorruptibilissimum iudicem, aliisque dotibus vrbi, & orbi notissimum, & nunquam pro meritis satis laudatum.
9 Cuius sententiæ exemplar hic apponere libet de verbo ad verbum fidelissime, vt sit norma, & regula cæteris iudicib. quando in primo gradu innocentiæ sententiam aliquam in scriptis ferre illis contigerit.
10 Ex quo exemplari etiam addiscere poterunt formulam sententiandi per viam reclamationis, & recursus, cum sit vndequaque perfectum, & completum exemplar, & dignum Illustriss. & eminentissimo iudice, & signaturæ iustitiæ totius vrbis, & orbis dignissimo præfecto.

Sententiæ absolutoriæ primi gradus innocentiæ exemplar quartum lectissimum, & probatissimum. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Illustrissimi Domini Card. Veralli exemplar quartum in primo gradu innocentiæ.*

1 CHristi nomine inuocato, pro Tribunali sedentes, solumque Deum præ oculis habentes: per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam etiam de iurisperitorum consilio in his scriptis ferimus in causa, & causis, quæ primo, & in prima coram Reu. Patre, Fratre Christophoro de Arena ordinis minorum S. Francisci de obseruãtia Ministro in Prouincia Thusciæ, ac RR. fratribus, Ioanne Priorio, Ioanne de Ponte ad seuem, & Nicolao Spinello, eiusdem Religionis diffinitoribus in dicta Prouincia inter Fratrem Vincentium de Sartheano ex vna, & Reu. Patrem Octauianum de Ancisa in in vim quarundam scripturarum per ipsum Fratrẽ Vincentium Serenissimo Magno Duci Ætruriæ porrectarum contra dictum Fratrem Octauianum de, & super nonnullis, & diuersis excessibus, & delictis per eum, vt dicebatur, perpetratis, ac cõmissis, & signãter super eo, quod ipse Frater Octauianus allocutionem habuerit cum Dæmone, &c. rebusq. aliis in actis causæ, & causarũ huiusmodi latius deductis partib. ex altera, & deinde secundo, & in secunda, seu alia coram nobis in gradu recursus, & reclamationis interpositę, & petitæ p præfatũ

Fratrem

Fratrem Octauianum in parte, & partibus aduersus sententiam latam per prefatos RR. Fratres, Ministrum, & diffinitores verse fuerunt, & vertuntur instãtia, dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & diffinitiue sententiamus: & primo quoad caput pretensæ allocutionis cum Dæmone, nihil in processibus factis tam a diffinitorio, quam a Fratre Thoma a Massa Commissario a nobis deputato, extitisse, nec extare, quod ipsum grauet, & successiue ab omnibus, & singulis aliis capitibus vti innocentem denuo absoluimus, & liberamus, & pro absoluto, & penitus liberato vbique, ac omni loco, & tempore haberi volumus, & mandamus, & quatenus etiã opus sit, ad pristinum statũ, gradum, prerogatiuas honoris, ac famæ, dignitates, & officia in omnibus, & per omnia restituimus, reponimus, reintegramus, & pro restituto, reposito, reintegrato vbiq. ac in omni loco, statu, tẽpore, ac occasione pro tali ab omnib. retineri, & reputari, ac haberi volumus, & mandamus beneque fuisse, & esse pro parte ipsius Fratris Octauiani ad nos recursum habitũ, necnõ eundẽ Fratrem Vincentium vti transgressorẽ constitutionũ Religionis, & detractorẽ per hanc nostrã diffinitiuã sententiã declaramus, & vti talẽ, in penã exilii a dicta Prouincia ad arbitriũ Illustris. D. Protectoris cõdemnandũ fuisse, & esse, prout condẽnamus, & pro cõdemnato haberi volumus, & mandamus: remittẽtes causam pro delictis, que contra ipsum prætendũtur ad Reuerẽdis. P. Cõmissariũ Generalẽ, qui pro sua prudẽtia, & iustitia causam, & causas expediat, & ita dicimus, pronunciamus, & sententiamus non solum modo, & forma prædictis, sed etiam omni alio meliori modo, &c.

Ita pronũciaui ego F. Card. Verallus Viceprotect. &c.

Die

Die 11. Martii 1614. Publicata fuit suprascripta sententia præsentibus D. Alexandro q. Hieronymi Bissi Florentino, & Saluatore Benadu q. Iacobi Lucen.

Locus sigilli maioris.

Ph. Santinus Secret.

De sententia absolutoria in secundo gradu innocentiæ. *Cap. IX.*

SVMMARIVM.

1 *In secundo gradu innocentiæ absolutio.*
2 *Semperque in tali gradu innocentiæ absoluitur Reus, si ad torturam non peruentum fuerit.*
3 *Fit præiudicium Reo non absoluendo illum ex causa innocentiæ formiter, si illam probauit, & quare.*
Quod omnino seruandum inter Ragulares, quidquid sit de consuetudine in aliqua Prouincia.

SEcundus gradus absoluendi ex capite innocentiæ, & primo iam exposito inferior est, quando licet prætensus reus ex sufficientibus indiciis fuerit citatus, & iuridice cum iuramento examinatus, vel quacũque ex causa, vel occasione captus, & similia, veruntamen probat, & plenè constat, nullatenus commisisse crimen, quod illi imputabatur; tunc enim dubio procul ex capite innocentię est absoluendus, vt elicitur ex Claro in pract. crim. §. fin. quęst. 57. cum multis Doctoribus, quos ibi citat, & sequitur, & q. 62. nu. 1. & 2.

2 Quan-

2 Quandocunque enim Reus probat innocentiam suã aliter, quam per torturam, absoluitur definitiuè tamquam innocens, quidquid in processu alias præcesserit, vt docet Clarus ibidem, & hanc dicit esse communem opinionem ex Iasone in l. non est nouum. C. de edendo, quem refert Villalob. in sua collecta communium opinionum littera A. num. 47.

3 Et aduertant maximè iudices Regulares, quod non paruum facerent præiudicium prætenso Reo, si illum ex causa innocentiæ non absoluerent, quando eam probauit illam formiter in sententia definitiua declarando: nam (vt docet Clar. quæst. cit. 57. nu. 3.) in dubio sententia absolutoria in causa criminali censetur lata ex eo, quod non fuerit probatum, & non ex causa innocentiæ si non exprimatur, & ita communiter teneri asserit Aug. ad Angel. de malef. ver. & ad querelam. post numerum 88. ver. An autem. vbi etiam Hieronymus in Apost. attestatur hanc esse communem opinionem Villalpan. super l. 22. cap. 50. num. 5.

4 Et licet idem Clarus ibidem dicat id nõ seruari in Ducatu Mediolanensi, sed potius e contra, videlicet si absolutè, ac definitiuè Reus absoluitur, intelligitur absolutus ex causa innocentiæ: quando vero absoluitur, quia non probatum, additur particula hoc declarans: verumtamen inter Regulares, quorum famæ, eiusque illæsioni consulendũ est, maxime propter ordinis decorem, & cætera consequentia, communis opinio præfata est omnino seruanda, & innocentia exprimenda, & declaranda in sententiis definitiuis, quando a prætenso reo probatur.

De

De absolutione ex hactenus deductis. Cap. X.

SVMMARIVM.

1 *Actore non probante Reus est absoluendus ex hactenus deductis.*
2 *Idem quando non probatur innocentia, nisi per torturam.*
3 *Idem quando indicia (etsi leuiora) non sunt plenè euacuata.*
4 *Et in tali forma absoluendi semper apponitur clausula, ex hactenus deductis.*

1 MVltoties contingit Reum non probare suam innocentiam: veruntamē si non fuerit contra eum delictum probatum, saltem semiplene, debet omnino absolui, vt docet Clarus q. 62. nu. 1. & hanc dicit esse veram iuris conclusionem: quod etiam in causis criminalibus actore, siue accusatore non probante Reus absoluitur, & est communis opinio, vt dicit Iason, & Villalob locis citatis.

2 Similiter si Reus non probat suam innocentiam, nisi per torturam, non absoluitur diffinitiue, neque ex causa innocentiæ, sed stantibus rebus, prout stant, vt docet Clarus ibidem nu. 2. sed semper est absoluendus sufficienter tortus: alias nimiū grauaretur, vt dicunt omnes.

3 Similiter absoluitur, si nō sit semiplene probatū contra reum, vel nō adsint indicia sufficientia ad torturam, vel ad imponendam aliquam pœnam extraordinariam,

quæ

quæ indicia nõ sint tamẽ plene euacuata, & ex cõsequenti non sit probata innocentia, vt elicitur ex Claro ibidẽ.

4 Et in omnibus superioribus, & consimilibus casibus, quando reus absoluitur rebus stantibus, prout stant, vel ex hactenus deductis, vel quia nõ est probatum, forma, & stylus absoluẽdi debet esse, vt semper apponatur illa clausula. s. rebus stantibus, prout stant, vel illi æquiualens, prout docet expresse Clarus q. 57. nu. 3. & est communis practica vbique seruata.

An semel absolutus ex causa innocentiæ possit iterum conueniri, vel accusari. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1 *Nunquam per aliquam viam potest iterum conueniri semel absolutus ex causa innocentiæ.*

2 *Errasset Pater a Sulmona, si Auctoris nosset absolutionem ex causa innocentiæ iterum contra eum inquirendo.*

3 *Perquam turpiter errauit Prouincialis quidam Auctorem iterum deferendo ex causa innocentiæ absolutum.*

4 *Qui sponte iterum discuti fecit suam innocentiam.*

5 *Quæ recenset Auctor in sui nominis defensionem, & ad aliorum iudicum exemplum.*

1 EST communis opinio, et communiter ab omnibus approbata, et recepta tam legistis, quam canonistis, quod quando quis est absolutus ex causa innocentiæ eo, quia crimen non commisit, nullatenus potest contra eum vlterius procedi, nec ex munere,

nec

nec ad instantiam partis, nec per viam accusationis, vel denunciationis neque aliquo alio modo, quibuscunque nouis superuenientibus indiciis, & est textus clarus in capit. de his. de accusatio. & in cap. si cui §. iisdem. ff. de accus. & ita docent communiter omnes Doctores, vt Conradus in pract. fol. 227. num. 11. & Angelus de malef. in verb. & ad querelam. nu. 90. & Mantua consil. 251. lib. 1. & Ioannes de Amic. consil. 37. reg. 1. & Foller. in pract. fol. 302. num. 3. & Cinus l. vnica in 3. q. C. quando ciuil. & Socin. in l. qui agnatis post nu. 3. ff. de excep. & Bossius tit. de sent. nu. 77.

2 Ex iis dictis perquam grauiter errasset Reuerendissimus Pater a Sulmona iterum inquirendo contra me iudicialiter in Monasterio Fulginei Florentię, cũ iam ex capite Innocentiæ fuerim absolutus a Prouinciali illius temporis, vt patet in primo exemplari superius posito: sed venia dignus est præfatus Reuerendissimus, quia non manifestaui illi præfatam meam absolutionem, quã ex ea causa illi celaui, vt clarius mea appareret apud illum innocẽtia, & ne suspicaretur me absolutum a Præfato Prouinciali amicitiæ fœdere, vel alia simili ex causa, & non ex meritis innocentiæ; quæ eidem Reuerendissimo ex suamet iudiciali, & rigorosa visitatione in pręfato Monasterio Fulginei illi satis superque innotuit, vt ipse pluries testatus est scriptis, & verbis ẽt apud Illustrissimum, & Reuerendissimum Cardinalem Verallum, vt suæ faceret satis conscientiæ, & integritati, perspecta iam per seipsum veritate, & mea cognita, & explorata innocentia.

3 Indignissimus porro venia, & omni excusatione præfatus ille Prouincialis, qui cum semel, ac bis me absolu-

solutum ex cap. innoc. prescirct, & (quod pessimum est) ipsemet me talem reperisset per suas repetitas iudiciales, & rigorosas visitationes, vt patet in primo exemplari superius posito, veruntamen ad id nequitiæ, vel dementiæ peruenit, vt me iterum accusaret, vel deferret apud Serenissimum Magnum Ætruriæ Ducem, vnicum Dominum meum, vt ex tertio exemplari apparet.

4 Et licet ex superius dictis nullatenus potuisset contra me vlterius inquiri, vel procedi; verumtamen ad maiorem præfati Serenissimi Domini mei ædificationem, & meæ innocentiæ apud suam celsitudinem clariorem ostẽsionẽ iterũ subire volui iudiciũ, licet astringi de iure nõ possem, & meã agitari, & discuti innocentiam fere per annum, nec potui quiescere per illam sentẽtiam diffinitorii supra in tertio exemplari positam propter defectus in illã notatos, sed volui per potentissimum, eminentissimum, incorruptibilissimum, integerrimumque Præfectum signaturæ iustitiæ, Illustriss. Dominum Cardinalem Verallum vrbi, & orbi meam declarari innocẽtiam, quod per Dei gratiam, & præfati Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini, & per eius summam integritatẽ obtinui, vt patet in quarto exemplari superius posito.

5 Hæc omnia (fateor) ob mei nominis defensionem recensui: At non tantum, sed vt cæteri iudices pre oculis habeant Regulas, & normas, quas imitentur, & sequantur, & lapsus, & errores, quos euitent, & caueant.

An

An absolutus ex alia causa, quam innocentiæ, possit iterum conueniri. Cap. XII.

SVMMARIVM.

1 *Absolutus ex alia causa, quam innocentiæ, poterit iterum conueniri.*

2 *Et nunquam absoluitur, quantumcunque sufficienter tortus ex causa innocentiæ.*

3 *De iure communi poterit quis iterum accusari abignorante primam accusationem.*

4 *Sed inter Regulares nullatenus debet admitti.*

5 *Iterum poterit quis accusari, quando primus accusator prçuaricatus est.*

6 *Idem in absoluto per transactionem cum primo accusatore.*

1 CONtra vero quando quis absoluitur quacumque ex supra citatis causis non diffinitiue, & ex causa innocentiæ, sed rebus stantibus, prout stant, vel ex hactenus deductis, si deinde noua superuenerint indicia, poterit iterum procedi contra eum, non obstante tali sententia: sic docet Clarus quæst. 62. nu. 2. & dicit, quod hæc practica obseruatur in Hispania, vt refert Didacus lib. 1. resol. cap. 1. post num. 8. & idem etiam in Gallia obseruari testatur Igneus in repet. §. alias post num. 180. & Rebuf. in proœ. consti. franc. gloss. 5. num. 118.

2 Et licet addat Clarus, quod de iure qui purgauit per torturam omnia indicia, fortè esset definitiue absoluendus tamquam innocens: verumtamen tandem conclu-

dit

tudo obtinuit, vt absoluatur tantummodo rebus sic stantibus, & ita practicari attestatur Iodoc. in pract. sua fol. 119. nu. 2. & re vera hæc practica est seruanda, quam seruat orbis ad distinguendos verè innocentes ab aliqualiter suspectis, quidquid secus dicant alij, etiã quantumcunque Reus fuerit sufficienter tortus, delictumque se commisisse negauerit, æquanimiter tolerando torturam, namque ex eo solo, quod torturæ sit iuridice subiectus, vacillat eius innocẽtia, nec potest ex eius causa vnquam absolui, vt dictũ est ex Claro, & aliis, sed tantum ex hactenus deductis.

3 Poterit etiam quis iterum accusari secundum ius cõmune, quando est absolutus, rebus sic stantibus, ab eo, qui primam accusationem ignorauit, dummodo suam vel suorum iniuriam prosequatur, & est textus in l. si cui. §. ijsdem. ff. de accus. & ita tenet glos. vnica in c. de his. de accusat. quam dicit esse communiter receptam. Didac. libro secundo resolut. cap. decimo, post numerum primum, versiculo tertio admitten. limitat Clar. quæstione quinquagesima septima, numero quarto, ex ijsdem Doctoribus, & aliis, quod talis iterum accusans debet per proprium iuramentum suam ignorantiam probare, & vlterius, quod debet esse ex se probabilis, & verisimilis, & denique quod, debet subesse aliqua magna causa ad hoc, vt iterum procedi possit, vt apertè colligit ex textu in d. §. ijsdem. ibi magna causa. & ideo subdit non esse audiendos huiusmodi de nouo accusare volentes, nisi in criminibus magnis, & attrocioribus præstita fideiussione de omnibus impensis, & damnis in casu, quo delictum non probetur.

4 Ex quibus constat, quod inter nos regulares vix locum habere potest huiusmodi casus; tum quia regulariter innotescunt accusationes ferè vniuersæ Prouinciæ, tum quia ferè nullæ currunt impensæ, nullumque damnum, nisi læsio famæ: tum, quia ego sentio munus esse iudicis Regularis, vt statim moneat iterum accusare volentem de absolutione illius, quem iterum prætendit accusare, cum hæc pietas, & charitas omnino in regularibus vigere debeat, & denique accusationem respuere: quare concludo, in hoc recedendum a iure communi inter nos, & non posse, nec deberi iterum accusari semel absolutos, rebus sic stātibus, nisi noua superuenerint indicia, vt dictum est supra, & in magnis criminibus, vt limitat Clarus.

5 Iterum poterit etiam quis accusari, quando est absolutus, quia primus accusator præuaricatus fuit, vt dicit Glos. prædicta in d. c. de his. & est communis opinio, vt ait Didacus vbi supra. ver. 2. tunc demum. quem citat, & sequitur Clarus loc. præalleg. numero quinto, addens rationem, quod non debet obesse dolus primi accusatoris secundo accusare volenti, pro quo stat fauor publicus, ne delicta remaneant impunita.

6 Idem dicendum, quando quis est absolutus virtute transactionis initæ cum primo accusatore, & est communis opinio, vt ait Felin. in cap. de his. numero tertio, de accusat. & Curtius iunior in l. transigere, numero 34. & Marant. in suo specul. fol. 84. post numerū 61. & Didacus vbi supra post numerū quintū, versiculo nono. Idem & Anton. de Padil. in d. l. transigere numero 51. quos citat, & sequitur Clarus. quęstio.

stio. 58. numero tertio, limitando hoc tantum procedere in criminibus, in quibus nouo accusatori competat ius accusandi, vel quia crimen sit publicum, vel quia prosequatur suam, vel suorum iniuriam: alias secus.

De absolutis per aliam viam, quam accusationis. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Militant omnino Regulæ superiores in processu per viam inquisitionis.*

2 *Idem omnino in processu per viam denunciationis.*

3 *Absolutus tantum in foro pœnitentiali semper conueniri potest.*

4 *Non autem absolutus iuridice per viam dispensationis.*

5 *Apud nos non est in vsu, & tantum Generales id possunt.*

6 *Cuperet Auctor nunquam iterum conueniri posse semel absolutum.*

1 OMnia supradicta æque militant in iudicio formato per viã iniquisitionis ex munere, sicut per viam accusationis, ita, vt non possit quis denuo accusari, nisi in casibus superius expositis, & est communis opinio, vt dicit Berous in d. c. de his n. 20. quẽ citat, & sequitur Clar. q. cit. nu. 7. nam inquisitio habetur loco accusationis, & ita seruandum est tam de iure ciuili, quam canonico, vt concludit Clar. eadem quęst. nu. 8.

X 2 2 Idem-

2 Idemque omnino dicendum, si reus absolutus fuerit in iudicio agitato per viam denunciationis, & ita dicunt Doctores, teste Card. Alex. d. cap. de accus. col. 69. ver. quęro an absolutoria. 2. q. 8. quē citat, et sequitur Clarus vbi supra, quia re vera iudicium, quod fit per viā denunciationis, non differt a iudicio inquisitionis, vt docet ibidem, & supra q. 7. circa princip.

3 Quando autem quis absolutus fuit in foro pęnitentiali, nil omnino ei prodest, quo minus conueniri possit, vt docet Clarus cit. q. nu. 10. secundū præallegatā glossam in d. c. de his. quam omnes approbāt, vt dicit Aug. ad Angel. de malef. in verb. & ad querelam, et ait Didacus in d. c. 10. nu. 3. quod illa glossa est cōmuniter recepta; idem dicit Card. Alex. in c. habet. col. fin. ver. Ideo etiam. 2. q. 5. Simanc. de hæret. c. 8. nu. 4. alias enim quis de facili habita absolutione a Confessore posset euadere pęnam delictorum, quod esset nedum ridiculum, vt ait Clarus ibidem, sed valde Reip. perniciosum: quæ doctrina verissima est, & seruanda, quamuis fuerit quis punitus in dicto foro pęnitentiali pęna quantumcunque magna, vt docet Glossa in cap. Gaudemus. in glos. fin. de diuor. quam omnes Doctores sequuntur, teste Ant. Gom. c. 1. delictorum post numerum 40. vers. sit prima: & denique ista conclusio nullibi habet difficultatem.

4 Nullus porro conueniri poterit secundū ius commune, postquam absolutus fuerit per viam dispensationis, vt docet Glossa præallegata in d. cap. de his. quam sequuntur communiter Doctores, vt ait Decius cons. 136. circa princip. limitat Clarus d. quæstio. num. 9. dummodo dispēsatio processerit ab eo, qui habet potestatem dispen-

dispensandi, vt ait Glossa ibidem, subdens quod crimina semel dimissa iterum in vltionem venire diuina clementia non patitur.

5 Hęc porro absolutio inter nos regulares vix est in vsu, & arbitror eam non posse impertiri, nisi à Prælatis Generalibus, vel ab eorum delegatis cum plenitudine potestatis, & ego semel, & iterum illam impetraui pro nonullis etiam inferioris notæ fratribus, eorum precibus cōmotus ex charitate: sed cuperem in frequentiorem vsum venire, quotiescunq. occasio se obtulerit, ob maius bonum, quod Prælatorum recto iudicio est dimittendum.

6 Denique nollem regulariter quemquam semel absolutum quacunque ex causa, siue innocentię, siue ex hactenus deductis iterum accusari, vel conueniri vmquam posse, nisi vbi aperte appareret iniquitas iudicis, & constaret de eius iniustitia, vel damnum aliquod illatum esset parti, vel Reipublicæ, vel aliqua consimilis, & grauis causa occurreret seruatis cæteris seruandis, vt supra.

DE REORVM DEFENSIONIBVS.

Tractatus decimi Pars Secunda.

PRAEAMBVLVM.

CVm rei, siue confessi spontè, siue confessi in tortura, siue conuicti, condemnandi sint, vt inferius dicetur, sed ante eorum condemnationem defensiones illis omnino dandæ, quod essentialissimum est iuris: ideo modi procedendi ordine seruato prius de defensionibus agendum, & dehinc de condemnationibus.

De Reorum defensionibus in genere. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *Nullus omnino condemnari debet indefensus, per quamcunque viam procedatur.*
2 *Etiam spontè confesso terminus defensionis dandus.*
3 *Quod regulares magis quam alii seruare debent.*
4 *Docereque reos idiotas, & illis procuratorem assignare.*
5 *Vix eligitur sæcularis, & tunc secretus, & cautus.*
6 *Cui procuratori danda est copia processus, & cetera, prout de iure.*
7 *Quę omnia Pręlati regulares concedant, & seruent.*

1 Est

1 Est certa iuris conclusio ab omnibus communiter recepta, & practicata, quod in criminalibus nemo debet omnino condemnari, nisi prius dato illi termino ad faciendum suas defensiones cum copia processus formati per quamcumque viam, seruatis seruandis, vt inferius dicetur, siue reus sit conuictus per legitimas probationes, siue sit confessus in tortura, siue etiam sponte; & hanc practicam seruat totus mundus, vt elicitur ex Claro q. 49. num. 13. & q. 65. nu. 1. & sic dicit Sal. l. 2. post nu. 7. C. de custo. Reor. & Angel. de malef. verb. qui iudex. quem refert practica Conradi fol. 307. nu. 3. & Marianus in repet. c. qualiter, & quando post nu. 232. de accus. & Puteus de Syn. fol. 459. c. 6. & pract. Carrerii fol. 538. n. 45. & Bossius tit. de sentent. nu. 1. & Gram. consil. 16. & Ant. Gomez. cap. 12. delict. nu. 3.

2 Et licet Bossius tit. de confess. nu. 2. dicat, quod non est dandus terminus defensionis Reo confesso sponte, nisi illum petat: nihilominus, vt dicit Clarus loc. præallegatis, practica generalis contrariũ seruat, scilicet, vt etiã confesso, & dilationem non petenti detur defensionis terminus, quia sic (inquit Clarus) non errabitur.

3 Quod si Clarus, tam clarus, & insignis Doctor, vult ab omnibus de iure communi seruari, nè contingat errare: quanto magis ad id tenentur iudices regulares, qui tutiorem, ac mitiorem partem eligere semper debent, & insuper facillimè errare possunt, cum vt plurimum in hac materia sint imperiti, & inexperti?

4 Et vlterius cum fratres, de quibus ferendum est iudicium, vt plurimum sint simplices, & idiotę, præsertim in hac materia tenentur iudices regulares nedum offerre, & dare illis terminum defensionis seruatis seruandis, etsi

non petant, sed vlterius debent illis assignare procuratorem, siue consiliarium expertum, & peritum intra ordinem, quoad fieri potest, sin autem, extra ordinem: nam nullatenus prætermittendæ sunt defensiones, cum sint de iure naturæ.

5 Caute tamē, non nisi cogente necessitate extra ordinem recurrendum, & tunc vir probus, discretus, & secretus, & bonæ famæ, & ordinis deuotus est eligendus, ne imperfectiones ordinis vllatenus extra ipsum reuelentur, vel saltem quo minus fieri poterit.

6 Qui etiam Procurator debet habere copiam processus, & debitas dilationes, producere testes examinandos pro reo, & omnia alia facere in eius defensionem, prout de iure, &c.

7 Et similiter Prælati ipsi, & iudices regulares omnia præfata concedere, & admittere debent, atque acceptare, prout de iure seruatis seruandis, & discussis discutiendis, vt in sequentibus latius dicetur.

An aliquo in casu omitti possint Reorum Defensiones. Cap. II.

SVMMARIVM.

1. *Nullus iudex potest de iure defensiones tollere.*
2. *Grauius peccant inferiores Prælati illas negando.*
3. *Neque cuicunque reo sunt negandæ, etiam in flagranti.*
4. *Limitatur de iure communi, sed non inter regulares.*
5. *Nec reus ipse defensionibus renunciare potest, vbi agitur de pena corporis afflictiua.*

6 Idem

6 *Idem si oriatur læsio famæ cum scandalo.*
7 *Tamen sponte confessus potest renunciare.*
8 *At caueant, ne reos ad id inducant.*
9 *Sed potius iuuent reos salua iustitia.*

1 PRimum dico cum Claro q. 49. nu. 14. quod ex parte iudicis nec etiam Princeps potest, etiã de plenitudine potestatis, tollere in criminalib. suas defensiones Reo, & idẽ dico de Reuerẽdiss. P. Generali ordinis, & Illustriss. D. Protectore, qui videntur summi nostri Principes: ita tenet Bal. in l. 3. §. si is, pro quo. ver. in eadẽ. ff. quod quisque iuris, & hanc doctrinã oẽs Doctores tenent, vt dicit Soc. consil. 286. post nu. 46. versic. tertius casus. lib. 2. & Marsil. in pract. crim. §. expedita. nu. 76. & alii.

2 Videãt ergo Prælati inferiores, quam grauiter delinquant quacunque ex causa tollentes, vel negantes defensiones reis, cum id nec summis Prælatis, nec summis Principibus liceat.

3 Secundo dico ex parte reorũ, quod nec ẽt reo capto, vel cõprehenso in flagrãti crimine negãdæ sunt defensiones inter nos regulares, cum id consulat Clarus de iure communi. q. 8. nu. 3. cum nos tutius, & mitius procedere debeamus, vt sæpius dixi, q̃d quid secus doceat Bald. in l. vt vim. nu. 2. ff. de iust. & iur. & Foller. in pract. cri. fol. 107. col. 1. & alij, a quib. recedit Clarus vbi supra.

4 Limitat verumtamen, nisi vltra talem deprehensionem per testes idoneos de ipso delicto Reus manifeste conuictus, vel confessus esset: limitat etiam, nisi esset periculum maioris scandali, vel quia delictum esset atrox, & populus magnis clamoribus non vanis postularet nõ differri supplicium, vel quia esset concitata seditio; nec

posset

possset de facili sedari, & cętera huiusmodi, quæ omnia cum inter nos nullatenus, vel vix contingere possint, non videntur habere locum prædictæ limitationes: & præterea cum ipsi ad tutiorem, & mitioré partem ex Religionis professione teneamur, & dando defensionis terminum, nullum detrimentum, nullumue damnum oriri possit; sic autem secus faciendo, semper omnino defensionis terminum dari vellem.

5 Dico tertio ex parte ipsius Rei, quod nec ipse in caussis criminalibus suis defensionibus renunciare potest, quando agitur de imponenda pęna corporis afflictiua, ita sentit Glossa in l. pactū inter hæredes. verb. liceat. ff. de pactis, quæ cōmuniter approbatur a Doctoribus, & est ab omnib' recepta, vt ait Duendas reg. 190. limit. 4. & Didacus super quarto decret. fol. 202. nu. 16. & Ant. Gomez. cap. 1. delict. post. num. 66.

6 Idem dico, quando ageretur de magna læsione famæ vniuersaliter, quotiescumq. posset oriri scandalum siue in ipsomet ordine, siue extra ipsum.

7 Addit tamen Clarus quæst. 46. nu. 16. quod si Reus esset sponte confessus delictum, & iudex illi statuisset defensionis terminum, & reus illi renunciaret, posset iudex statim illum morti tradere, & ita practicari dicit Baldus in l. si accusatoribus. nu. 11. C. de accus. & Didacus loc. præalleg. sed debent iudices (vt inquit Clarus ibidem) in actis apponi facere clausulam talē, scilicet, quod Reus scit nullam se habere defensionē, vt elicitur ex Baldo in l. Raptores. versic. 4. C. de episc. & Cleric. & sic semper se practicasse dicit Angel. de malef. verb. qui iudex. nu. 8. & in l. sed si quis. §. quæsitum. post num. 3. ff. si quis caution., & August. ad Angel. ibid. num. 14. dicunt,

quod

quod hac practica hodie vtuntur assessores, & in tali casu re vera credo, quod etiam iudices regulares eadem practica tuta conscientia vti possent in imponendis respectiue pœnis.

8 Aduertere tamen debent quam maxime ex consilio eiusdem Clari ibidem, quod nullo modo debent inducere reos ad renunciandum suis defensionibus, præsertim cauillose, vel dolose, vel inique, ne super eos, vel super eorum charos descendat ira Dei, vt dicit Angelus in d. §. quæsitum.

9 Sed potius, vt decet Religiosos iudices, doceant, moneant, iuuentque reos, absque tamen iustitiæ læsione, vt se pro viribus defendant.

De defensione ex nullitate processus, & præscriptione.
Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Si processus sit nullus, non potest per illum puniri reus.*
2 *Secundo ex præscriptione criminis commissi.*
3 *Idem in processu per viam inquisitionis.*
4 *Præscriptio currit a die commissi delicti, & non a die scientiæ ipsius.*
5 *Aliquando currit præscriptio spacio quinque annorum.*
6 *In statutis nostris præscribitur per visitationes.*
7 *Quod statutum cupit Auctor omnino seruari.*
8 *Ad tollendas omnes cauillationes in omni crimine quinquennii spacio præscribi cuperet Auctor.*

9 *In*

9 *In syndicatu verò præscribitur expletis officiis.*
10 *Quod verum est in criminibus officii, non autem in aliis.*
11 *De criminibus præscriptis quando potest inquiri.*

1 NVllitas processus potest oriri, vel ex iudicis incompetentis defectu, vel ex defectu alicuius consimilis requisiti ad substantiam iudicii, de quorum singulis dictum est supra, & ideo breuitatis causa hic repetere omitto: quicunque igitur talis defectus alicuius substantialis ad substantiam, & essentiam iudicii necessario requisiti interuenerit, processus est nullus, & ex eo poterit sufficienter se defendere reus, vt nullatenus puniatur, nec vlterius contra eum procedatur in tali processu.

2 Poterit secundo se defendere Reus ex præscriptione temporis elapsi a die commissi criminis, quę præscriptio locum habet post decursos viginti annos, quo temporis spacio præscribitur omnis actio criminalis: l. querelã. C. de falsis. & ita tenent cõmuniter Doctores, vt dicit Abbas in cap. cum haberet. num. 4. & Card. Alex. cap. de accus. col. 48. versic. item opponi. 2. q. 8. & Boerius decis. 26. num. 6. & Villalob. in collec. commun. opin. littera D. num. 55. & Vilius lib. commun. opin. in verb. accusatio falsi. & Ant. Gomez. super l. 76. Tauri num. 5. Marsil. consil. 117. num. 40. & ita iudicatum pluries fuisse refert Clarus q. 51. num. 1.

3 Idem seruãdum omnino in processu per viam inquisitionis (quidquid dicat quędam Glossa) contra quam tenet Iason l. 1. nu. 8. ff. de iurisd. omnium iudic. Baldus de præscript. in 4. q. 4. q. 2. num. 3. & Conradus

fol.

fol. 257. numero 36. Bossius tit. quomodo procedatur per actionem nu. 17. & alii, quos citat, & sequitur Clarus q. præalleg. nu. 2.

4 Notandum autem, quod in huiusmodi præscriptionibus computandū est a die vltimi cōmissi delicti, vt dicit Glossa in l. si mariti. §. sex mensium. in verb. commissi criminis. ff. de adult. & est communis opinio, vt ait Angel. de Castro in consiliis criminalib. diuersorum lib. 1. consi. 93. nu. 10. & non a die scientię ipsius, quam etiam communem opinionem dicit esse Alex. quē refert Rui. cons. 27. post. nu. 6. ver. 2. istud. l. 4. Marsil. in pract. cri. §. Cōstante nu. 85. & cons. 87. nu. 15. & sic dicit Clarus loc. præalleg. nu. 5. & alibi, quod regulariter oīs præscriptio currit etiam ignoranti, & re vera, si hoc non seruaretur, posset procedi contra quemcunque plene correctum, & emendatum sponte post innumeros annos, quod esset absurdissimum, & Reipublicæ perniciosissimum.

5 Quin vlterius in multis casibus pręscribitur multo minori spatio temporis, quam viginti annorum, vt de adulterio dicit Clarus l. 5. § Adulterium. vers. vnum tamen, & præfata q. nu. 5. quod quinquennii spatio præscribitur secundum dispositionem iuris communis.

6 At vniuersaliter pręscriptio currit in qualibet Religione, & republica ex dispositione statutorū, vt ibidē aduertit idē Clarus, & in nostris statutis Vallisol. tit. de Fratrū defectibus opportune detegēdis. §. vnico. fol. 150. præfixus vr̄ terminus in qualibet visitatione cuiuscūq. Prælati, siue Generalis, siue Prouincialis, postq̄ non pōt quis audiri in iudicio cōtra quēlibet, sed potius puniri debet, vt publicæ tranquillitatis, & pacis perturbator, & alienæ famæ insidiator, & vt infamis, vt ibidem disponitur.

7 Quod

7 Quod saluberrimum statutum in uiridiori vellem esse obseruantia propter commune tranquillitatis, & pacis bonum, vt ibidem innuitur, cum viderim tamen illud a multis Prælatis pro nihilo duci, & omnino paruipendi.

8 Sed cum multoties se excusent Fratres, quod crimina visitationis tempore ignorauerint, & ideo non malitiose, & callide in aliud tempus manifestanda, vel accusanda distulerint, sed ob eorum ignorantiam: ideo iuxta superius tradita decerni vellem, vt non omnino præscriptio curreret a die commissi delicti secundum tempus a iure communi præfixum, nec omnino a die scientiæ delicti, nec omnino in prima visitatione post commissum, sed, vt prorsus præcluderetur via malignantibus, & Reipublicę perturbatoribus, & alienæ famę insidiatoribus, & ignorantiæ excusationes prætendentibus, & similibus, vellem præfigi tempus quinquennii ad pręscribendum quodlibet delictum, computando omnino (nulla habita ratione scientiæ, vel ignorantiæ) a die cōmissi delicti, quia eo tēporis spatio saltem duæ, & regulariter plures occurrunt visitationes diuersorum Prælatorum, & impossibile videtur, quod, vbi tot frequentes fiunt inquisitiones, & visitationes, in eis non manifestētur delicta, si quæ extant, & ideo, si illis peractis numquā apparuit crimen, irrationabile prorsus, & absurdum videtur, vt postea quacunq. ex causa manifestari debeat: igitur quinquennii spatio omne delictum a die, quo est commissum, omnino in Religionibus præscribi deberet.

9 Est autem specialis præscriptio in syndicatu, videtur enim, quod nullus Prouincialis, vel alius officialis molestari omnino possit post suum expletum syndica-

tum,

ſum, qui regulariter expletur reſpectiue in congregationibus, vel capitulis prouincialibus, vel generalibus ſecundum diuerſitatem, vel gradum Prælatorum, qui ſyndicantur expletis eorum officiis, & hanc eſſe communẽ opinionem dicunt Ferrar. caut. 14. ver. & circa iſtam, & Boſſius tit. de offic. corrup. pecu. num. 32. & Puteus de Synd. fol. 142. poſt nu. 7. & Ant. Gomez. c. 1. delic. nu. 25.

10 Limitandum eſt tamen mea ſententia, & diſtinguendum de criminibus, nam de criminibus præciſe ſpectantibus ad munus, & officium, vera eſt præfata concluſio, & omnino ſeruanda in Religionibus iuxta iuris communis diſpoſitionem, ſed loquendo de criminibus perſonalibus, quæ committuntur a Prælatis, vt perſonæ priuatę, & non ratione officii, vt ſunt adulteria, & ſacrilegia, & ſimilia, eſſet prorſus contra ius, & fas, vt ſub pallio ſyndicatus euadere vellent, & ſe contegere, cum omnino in ſimilibus criminibus eandem prę́ſciptionis legem ſubire debent, ſicut cæteri Fratrum, quin etiam indiſpẽſabilius, cum ad maiorem vitæ perfectionem teneantur tamquam Prælati.

11 Denique notandum ex Claro quæſt. cit. nu. 7. quod crimina iam præſcripta, de quibus non poteſt amplius cognoſci, poſſunt aliqualiter inquiri ad aggrauandũ alia maleficia, de quibus cognoſci poteſt, & hanc eſſe communem opinionem dicunt Nellus de Bannitis 2. p. q. 6. & Iaſon l. fin. ff. de iuriſd. omnium iud. & Vilalp. irrep. lib. 22. cap. 8. poſt nu. 4. ſed (cum idem Nellus dicat, quod id iure fieri non poteſt, & inter nos regulares mitior pars eligenda ſit, vt dixi millies) nollem paſſim hoc fieri, & numquam ad aggrauandas pęnas, ſed ſolum in faci-

facinorosis insignibus, & in iisdem generibus delictorũ ad ignoscendum, si alias deliquerint, vt inde grauati indiciis, & criminibus ex consuetudine, & incorrigibilitate seuerius secundum legis rigorem irremissibiliter puniantur.

De defensione ex perempta instantia, & ex causa mortis. Cap. IIII.

SVMMARIVM.

1 *Ex perempta instantia defensio.*
2 *Quæ defensio seruanda est inter Regulares.*
3 *Mors vero accusatoris inter Regulares non prodest Reo.*
4 *Quod etiam seruatur, cum vt plurimum procedatur per viam inquisitionis.*
5 *Poterit etiam alius quis accusationem prosequi.*
6 *Et quacumque ex causa desistat accusator, poterit iudex accusationem prosequi.*
7 *Nec requiritur, quod iudex potuisset ex officio procedere, sed sufficit iam eum esse motum.*
8 *Mortuo autem Reo aboleri debet processus.*
9 *Excipiuntur tamen aliqui casus.*

1 DOcet Clarus quęst. 51. nu. 8. quod potest reus se defendere excipiendo peremptam esse instãtiam causæ, & eo casu debet absolui, & accusator post peremptã instantiam non est vlterius audiendus, & ita cõmuniter dici attestatur Salic. in l. qui de crimine. post numerum octauum. C. de accus. quem refert Capic. decis. 266. num.

num. 4. & hoc procedere, tam de iure canonico, quam ciuili, & in hoc omnes concordant, vt dicit Anan. in cap. qualiter, & quando. §. licet autem. numero sexto, de accusat.

2 Et licet idem Clarus loc. cit. dicat, quod in Ducatu Mediolanensi nulla seruatur instantia in causis criminalibus cuiuscumque iuris, & ita practicari docet ex Bossio: inter nos tamen Regulares, in quibus debet vigere maximè pietas, locum habere huiusmodi defensionem secundum ius commune nullatenus est ambigendum, & ita prorsus est practicandum; & secus facientes iudices mea sententia grauiter peccarent, essentque puniendi.

3 Contra vero, licet nonnulli opinentur, quod mortuo accusatore extinctum, & abolitum sit accusationis iudicium, verumtamen inter nos Regulares, vbi iam plusquam sufficienter excitatus est iudex, nullatenus debet habere locum, sed iudex ex officio accusationem prosequi, & processum perficere debet, & ita communiter teneri, atque seruari docet Bartol. l. libellorum. §. fin. numero quinto, ff. de accus. & Corset. in repet. ab A. verb. Abolitio. & Ana. in cap. crimin. post numerum quintum, vers. His autem præmissis, & Boss. tit. de inquis. num. 89.

4 Quam quidem conclusionem nullam habere difficultatem hodiernis temporibus dicit Clarus loc. cit. & alibi, quia iam ex generali consuetudine in omni casu proceditur per inquisitionem, siue esset accusator, siue non, & idem seruari debet inter nos seruatis tamen seruandis in inquisitionibus, vt supra dictum est.

5 Et licet ex dictis constet non requiri, vt accusatore

Y mor-

mortuo, aliquis alius accusationem prosequatur, verumtamen, si iudex dormitaret, & ex eo delicta impunita remanerent in Reipublicæ detrimentum poterit quilibet alius accusationem prosequi, vel de nouo accusare intra tempus a lege accusationi præfixum, ut declarat Bart. l. libellorum. §. fin. num. sexto. ff. de accusat. & est communis opinio, vt dicit Antonius Gom. lib. de delict. cap. 1. num. 36.

6 Et similiter quacumque ex causa accusator desistat, poterit iudex ipse prosequi processum, & finire, si Reipublicæ expedire videat, nec eo casu locum habet defensio ex isto capite, vt sentit Bart. loc. cit. numero quinto, & est communis opinio, vt dicit Gandin. tit. de transact. quem refert pract. Carrer. fol. 505. nu. 379. Aret. cap. licet. nu. 22. de accus. quos citat, & sequitur Clarus q. prælleg. num. 11.

7 Et licet ipse limitet hoc procedere tantum in illis casibus, in quibus iudex ab initio potuisset ex officio procedere, alias secus; mea sententia non est admittenda huiusmodi limitatio, nisi acusator ex iusta causa desisteret: puta, quia ex falsa causa accusasset, & inde accusatum innocentē reperisset, & similia. Cæterum si absq. causa desistat, & iudex iam sufficienter est motus, poterit procedere, licet ab initio non potuisset ex officio iuxta superius tradita.

8 Contra verò impijssimum esset prosequi processum etiam instante parte, delinquente iam mortuo, nam crimen, & pœna per mortem extinguuntur. l. defuncto. ff. de pub. iudic. & est communis conclusio, vt dicit Cagnol. Plazza, & alii, quos citat, & sequitur Clarus eadem quæst. nu. 12.

9 Exci-

9 Excipit tamẽ nu. 13. sequenti aliqua crimina, in quibus etiam post mortem delinquentis procedi posse asserit, vt est crimen hæresis, & læsæ maiestatis, & homicidii suiipsius, & similibus: ita communiter teneri a Doctoribus dicit Antonius Gom. c. 1. delictorum nu. 80. Et inter nos idem est seruandum in illis criminibus, circa quæ ita decernunt nostra statuta, vt in proprietariis, & similibus quoad pœnas in illis taxatas.

De defensione ex habitus susceptione.
Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Susceptio Baptismi post commissum crimen Reum liberat.*
2 *Tenebitur tamen ad restitutionem, ad quam prius tenebatur.*
3 *Idem ex susceptione habitus, cum iisdem limitationibus.*
4 *Exceptis casibus a iure cautis.*
5 *In quibus rei priuandi habitu, & foro sæculari tradendi.*
6 *In reliquis omnino liberandi Rei per habitus susceptionem.*

1 DOcet Clarus q. præalleg. nu. 19. pro vtraque parte disputando, & adducẽdo Doctores, iuxta Glossam in cap. quod autem. verb. pęnitentes. 32. q. 1. quod Iudæus, qui post commissũ delictum suscepit sacrũ baptisma, & factus est Christianus, nullatenus est puniendus

pro eo delicto, & dicit Ferrar. caut. 24. post num. 4. quod hæc est cõis opinio Theologorum, quem refert Viuius lib. commun. opin. verb. accusari potest, &c. & hanc sequitur Clarus opinionem, quia æquior, & Religioni nostræ magis consona, & magis attrahit Iudæos ad conuersionem: limitat, dummodo baptismus in fraudem non sit susceptus.

2 Et vlterius licet verè baptizatus liberetur a pęna temporali, & possit se per susceptionẽ Baptismi defendere, tenebitur tamẽ ad restitutionẽ damni, ad quam tenebatur ante susceptum baptismum, quod esse verissimum, & ab omnib. approbatum dicit Ruin. consl. 13. nu. 2.

3 A simili dico ego posse quemque se defendere ex habitus ad ordinem susceptione, cum iisdem limitationib. nempe, quod non sit susceptus in fraudem, & quod damnum illatum restituat pro viribus.

4 Excipi debent casus, in quibus summi Pontifices, vel statuta ordinis declarant susceptionem habitus, vel professionem nullam propter delicta in sæculo commissa.

5 Quibus in casibus tales delinquẽtes habitu Religionis priuandi sunt, et foro sęculari tradendi, seruatis seruandis iuxta superius tradita.

6 In Reliquis omnibus locum semper habere vidi præfatam defensionem, & sic practicari, & seruari semper, & vbique, et valde rationabiliter, quia vere pęnitentes, et habitum suscipientes non in fraudem nullatenus sunt molestandi ob delicta in sęculo commissa, quin potius nutriendi, et fouendi in via pęnitentię, et Religionis, quã ingressi sunt, vt eam perficere posint ad plenam vitæ correctionem, et emendationem.

De

De defensione ex euidentia rei, & ex negatiua probata. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Rei euidentia reum absolutè liberat.*
2 *Idem ex demonstrata rei impossibilitate.*
3 *Quibus in casibus Reus absoluitur, vt innocens.*
4 *Probatio negatiuę in vniuersali non est sufficiens defensio.*
5 *Sed requiritur negatiua probata, coarctata loco, & tempore.*
6 *Sufficit etiam negatiua probata per solum dictum offensi.*
7 *Secus tamen si res euidenter constaret.*
8 *Et in hoc iudicis arbitrium, & pietas exigitur.*

1 PLene potest tueri se reus, probando delictum non esse commissum per euidentiam rei, & hoc multis modis, verbi gratia, si qui dicebatur occisus, exhibeatur viuus, vt in causa D. Athanasii contigit; si domus, quæ asserebatur combusta, reperiatur integra, & illæsa, & qui dicebatur vulneratus, reperiatur sanus, & integer, vt in facto contigisse dicit Baldus l. si quos testibus in fin. C. de testib. nempe quod semel fuit exhumatum corpus illius, qui dicebatur vulneratus, quo reperto illæso, fuit reus absolutus, licet contra eum plene probatum fuisset: quod idem refert Angelus de malef. verb. comparent. nu. 33. & pract. Carrerii fol. 558. num. 96.

2 Eadem omnino defensio locũ habet, si delictũ, quod

commissum fuisse dicitur, ex rerũ natura ostendatur impossibile, & ex isto capite absolutum fuisse quendam Ioannem Antonium Zannetum Cauponem die 2. Decembris 1559. P. N. per curiam Papiæ dicit Clarus q. 52. num. 1. & ego ipse in quodam grauissimo articulo, inter cæteros a delatore, de quo supra, contra me obiecto, ex istomet capite me defendi sine scriptis oretenus, & sola viua voce apud Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum Cardinalem Verallum, cognoscente illo integerrimo, & prudentissimo Principe ob suum purgatissimum, clarissimumque iudicium impossibilitatem rei ex mea sola vocali relatione.

3 Quotiescunque igitur ex quocunque consimili capite apparet impossibilitas rei absque vlla cunctatione, vel mora reus est absoluendus ex capite innocentiæ, sicut ego absolutus fui.

4 Valida est etiam illa defensio, qua quis probat negatiuam, sed non simplicem, & indeterminatam, vt cum probatur, quod Reus non commisit crimen absolute, & indeterminate, quia talis negatiua est improbabilis (vt dicit Glossa in cap. bonæ memoriæ. verb. per rerum naturam, de elec.) quam dicunt esse communiter approbatam Paris. c. quoniam contra. numero 8. de probat. Hercula. de probat. neg. num. 125.

5 Sed ad hoc, vt negatiua plene defendat, debet esse coarctata loco, & tempore, & æque probari, sicut affirmatiua: puta, quod testes deponant Reum prætensum fuisse in loco diuerso, & distanti eadem hora a loco commissi delicti, vel quod ipsi fuerunt præsentes in eodem loco, & tempore, & quod attendebant, & quod delictum committi non potuisset, quin ipsi vidissent, et sciuissent,

sic

sic dicit Glossa §. si vero adsunt. verb. et vidisse. in auth. de hære. & falcid. con. prima, et ait Fel. cap. in nostra. num. 8. de testibus, et Aretinus dicebat illam practicam esse cōmunem, quē refert Ruin. consl. 96. lib. 4. et hanc esse receptam dicit Simanc. de hære. c. 26. num. 4.

6 Eadem negatiua probari potest per confessionem, vel dictum ipsiusmet offensi: nam (vt dicit Clarus quęst. 42. num. 4) licet assertio vulnerati contra aliquem non probet, nec faciat indicium ad torturam, tamen e conuerso dictum defuncti exculpantis imputatum de homicidio tollit omnia indicia, quæ sunt contra ipsum, vt ex eis non possit torqueri: ita dicit Baldus l. prima numero 33. C. communia de leg. et est communis opinio, ut dicit Plotus in consil. crim. diuersorum consil. 110. num. 1. lib. 1.

7 Quæ tamen defensio (ut dicit Clarus ibidem) habet locum, quando res est dubia: sed si appareret de ueritate in contrarium, vel essent contra reum indicia valde vrgentia, & proxima delicto, non esset standum huiusmodi assertioni, saltem ad euitandam torturam, & ita practicari dicit Blanc. in pract. criminali, nu. 101.

8 Quare (vt optimè aduertit Clarus ibidem) in hoc maximè præualet iudicis arbitrium, qui inspecta qualitate facti, & personarum consideret, an talis exculpatio sit verisimilis, & ei standum, & mitiorem, & tutiorem partem semper eligat iudex, præsertim Regularis.

De defensione ex testibus. *Cap. VII.*

SVMMARIVM.

1 *Defensio est sufficiens, si probetur testium inhabilitas.*
2 *Nec sufficit in vniuersali, sed specialiter probanda inhabilitas.*
3 *Quod si opponentes non probent, puniendi sunt.*
4 *Defensio ex testibus non legitimè receptis.*
5 *Item ex variis, vacillantibus, falsis, &c.*
6 *Quare nomina testium Reo aperienda.*
7 *Standum est validioribus, & in dubio pro reo.*
8 *Idem quando vnicus testis integer probat.*

1 PRimo defendere se potest quis opponendo, quod testes cõtra eũ examinati sunt inhabiles, quia inimici, vel quia infames, & cęteras adducendo inhabilitates, de quibus dictum est supra.

2 Aduertendum tamen ex Claro q. 54. numero 2. & 3. quod non sufficit opponere generaliter, quod sint inhabiles, vel infames, sed oportet specificare inhabilitatem illam cum circumstantiis loci, temporis, & similia, & est communis opinio, vt dicit Boerius decis. 321. numero secundo.

3 Et, si illi, qui opponunt crimina contra testes, non probant ipsa, tenentur actione iniuriarum, & sunt puniendi: & hæc est communis opinio, vt dicit Bossius tit. de iniur. numero 21. & licet addat Clarus ex Boerio consil. 4. numero 49. quod in Regno Franciæ, qui opponit

ponit excipiendo contra testes, non tenetur, etiamsi non probet: & idem seruari ait Clarus in Ducatu Mediolanensi: tamen inter nos Regulares practicanda est opinio communis, & puniendi sunt opponẽtes crimina, si non probent illa, licet excipiendo opponãt, vt ait Boerius d. cons. 4. nu. 87. Nam sic præcluditur via malignantibus, & frenum imponitur finem non habentibus in calumniis proximorum, & pacis, & quietis perturbatoribus. Quare omnino hæc practica seruanda in Religionibus; opponentes vero falsa peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur, & est communis opinio.

4 Repelluntur etiam testes, quando non sunt recepti, & examinati legitimè, vel sine iuramento deposuerunt, vel sine aliis necessario requisitis, de quibus supra.

5 Vlterius excipiuntur testes, quando sunt falsi, vel contrarii, vel vacillantes, vel varii, vel singulares, quæ omnes defensiones accipiendæ, & ponderandæ sunt seruatis seruandis iuxta superius tradita in tract. de testibus.

6 Ex quibus constat, quod si reus aliter se defendere non potest, reuelanda sunt ei, & aperienda omnia testiũ nomina iuxta superius tradita, & determinata, vt docẽt etiam Panor. in cap. olim. ext. de accus. & Hostiens. tit. eo. cap. qualiter, & quando.

7 Denique ponderandum in exceptione negatiuæ probatæ, quod semper standum est pro reo, & non pro accusatore, vt dictum est superius, & patet ex cap. in nostra. ext. de test. & ibi Glossa, & Doctores, & docet Bossius de defensionibus reorum. nu. 7. immo dicunt etiam Glossa in c. Clerici. dist. 81. & Abbas c. ex litteris. & c. ad nostram.

nostram ex. de proba. & Boßius loc. cit. nu. 8. & 9. quod etiã, quod præualeant testes actoris, adhuc tamen standum est pro reo; limitat tamen Boßius, & bene, quod arbitrium iudicis hic præualeat, qui debet exprimere caussam maioris credulitatis, ponderatis omnibus circunstantiis delicti, accusatoris, accusati, & testium.

8 Similiter, si reus fateretur, se aliquid cõmisisse, sed iuste, & recte id facere potuisse, vel id fecisse sine culpa, & dolo, & id per vnũ testẽ integrũ probaret, absoluẽdus esset: quamuis ex alia parte prætensum delictum fuisse commissum plene probaretur; sic Bar. l. admonendi. ff. de iureiur. Iason ibidem cum aliis, quos citat, & sequitur Boßius tit. de conuict. num. 62. & alibi.

De defensione contra propriam confessionem spontaneam. *Cap. VIII.*

SVMMARIVM.

1 *Defensio ex confessione extraiudiciali.*
2 *Idem de confeßione facta coram iudice incompetente.*
3 *Quod verum est, etiamsi pars sit præsens.*
4 *Defensio ex confeßione facta cum promißione impunitatis.*
5 *Potest enim iudex talem promißionem facere.*
6 *Nec reum potest condemnare stante tali promißione.*
7 *Inter nos Generalis id potest, de Prouincialibus declarandum, vel se abstineant.*
8 *Qua in re turpiter errauit quidam Prouincialis.*

9 Pro-

9 *Promittentes enim omnino tenentur, & non seruantes peccant.*
10 *Quæ promissio vniuersaliter est illicita.*
11 *Solum ob maius Reipublicæ bonum est licita.*
12 *Defensio si corpus delicti non existat.*
13 *In delicto, cuius remaneat corpus, vel vestigium.*
14 *Defensio super processu nullo.*

1 POterit se defendere Reus, si confessio facta fuerit extraiudicialiter; nã confessio extraiudicialis ad plenã probationem delicti non sufficit, nec ad condemnationem. Puteus de Synd. fol. 439. cap. 3. & est communis opinio, vt dicit Alba. l. quoniam. num. 1. ff. de infamibus; sed talis confessio sufficit tãtum ad torturam, vt dictum est supra, & docet Clarus q. 55. num. 1. & quæst. 21. ver. confessio extraiudicialis. cum Doctoribus, quos ibi citat.

2 Similiter dicendum, si confesio facta fuerit in iudicio, sed coram iudice incompetenti, Aret. consil. 26. Alex. l. seruus nu. 3. ff. de iureiur. & l. Magistratibus. ff. de iurisd. omnium iud. c. decis. nu. 1.

3 Limitat tamen Clarus q. cit. num. 3. quod si præfata confessio extraiudicialis, vel coram iudice incompetenti facta fuerit parte præsente, & acceptante, facit plenam probationem, & fidem contra confitentem; Abbas c. At si clerici. post num. 16. ver. si vero confessio. & est communis opinio, vt ait Berous eodem cap. num. 142. Contra quam tamen dicit Clarus loc. prælleg. quod in practica vidit obseruari, quod tales confessiones nunquã præiudicant cõfitentibus ad plenam probationem, si deinde illas reuocant, sed solum ad torturam, nisi concurrerent

rerent tot alia argumẽta, & adminicula, quod simul omnibus vinctis crimen plene probaretur, & hæc practica, vt magis pia, & tutior, seruanda est inter regulares.

4 Defendet se etiam reus, nec poterit condemnari, si confessio fuit extorta a iudice cum promissione impunitatis, vel cum dolo, & fallacia, nam talis confessio sufficeret tantum ad torturam: ita iudicatum fuisse ait Clarus q. cit. num. 6. in Ducatu Mediolanensi cum quadam Catharina Candolia, quę cum probasset coram Prætore præcedentem confessionem blandis verbis nimis extortam, fuit tantummodo torturæ subiecta, & cum perstitisset in negatiua, fuit absoluta 27. Iulii 1458. P. L.

5 Ex quo casu patet, quod iudex potest talem promissionem impunitatis reo facere: & hæc est communis opinio, vt dicit Apost. ad Dec. l. ea est natura nu. 7. ff. de regul. iur. quem refert Plac. lib. 1. deuictorum c. 37. num. 2.

6 Et vlterius ex eo constat, quod iudex, stante præfata promissione, nunquam iuste potest reum condemnare. Imola consil. 109. & hanc dicit esse communem opinionem Cagnol. d. l. ea est natura. num. 18. & Remig. de immun. eccl. fol. 185. fallen. 26. & licet Cinus cum multis aliis contrariam sequantur sententiam, vt aduertit Clar. eadem q. num. 8. verumtamen dicit, quod æquior est sententia promissionem impunitatis obseruare: turpe enim est fidem fallere, & dicit Bossius titu. de confess. per torturam, quod ita semper vidit seruari, & addit Clarus ibidẽ, quod in sua prouincia idem fuit semper seruatum, & quotidie obseruabatur: ex quibus ego concludo, quod iudex, & Prælatus Regularis datam fidem, & promissionem impunitatis omnino seruare debet, cum

turpius

turpius esset illi, & lõge magis indecorum fidem fallere, & promissis non stare, quam iudici sęculari: quem tamẽ teneri vult Clarus cum aliis adductis.

7 Dubium vero est inter nos, an solus Generalis Minister possit id promittere; nam Clarus dicit ibidem, quod solus Princeps potest id facere, qui potest de delicto gratiam facere, vel ab eo habens talem auctoritatem: inter nos vero solus Generalis est summus noster Princeps. Prouinciales itaque a Generalib. talem facultatem obtineant, vel ab huiusmodi promissis se abstineant, quousque per statuta secus decernatur.

8 Qua in re turpissime vidi quendam Prouincialẽ pluries fidem frangere, & promissis non stare, sæpius miseros reos falsis promissis decipiendo, & dolis, ac fallaciis confessiones extorquendo, vel enim faclutatem promittendi impunitatem nullã habebat, vel si habebat, omnino seruari debuerat, quod cum non fecerit, dolose nimium egit, & non sine graui culpa, & dedecore.

9 Quod si Clarus loc. cit. consulit sæcularibus iudicibus, vt prorsus a dolis, & fallaciis se abstineant, & ab huiusmodi promissionibus, sed iustioribus modis delictorum veritatem studeant inuenire, quanto magis id prorsus seruandum a iudicib. Regularibus? & secus facientes ego re vera nullatenus a lethali culpa excusari posse arbitror, & ad impunitatem promissam omnino teneri.

10 **Et vlterius (mea sentẽtia) veritatẽ sic indagare cũ promissione impunitatis vniuersaliter est illicitum; ad quid enim delicta tã subtiliter inuestigare, vt impunita dimittãtur? & forte non sine scandalo piorum, qui huiusmodi promissum ignorant, vel illicitum arbitrantur?**

11 So-

11 Solum aliquo in casu id concedi vellem, vt quando sunt plures complices, & aliqui minus deliquerint, nec aliter veritas haberi poterit, & Reipublicæ expedit eam propalari, nam tunc promittenda esset impunitas, minus delinquentibus, illisque seruanda, vt magis, ac turpius delinquẽtes inde puniri possent. Nam duplex bonum Reipublicæ inde oriri coniicio. Primum, quod improbi magis arcerentur, videntes per hanc viam socios delicti posse puniri, & sic delicta minus dilatarentur, & secundo respublica magis purgata a malis existeret, criminibus in ea impunitis non remanentibus.

12 Valida est contra propriam confessionem defensio, si non appareat corpus delicti, sed contrarium reperiatur, vt docet Clarus præalleg. q. nu. 9. ex Marsil. in pract. crim. §. postquam. numero 48. & Ponzinib. de Cam. post num. 70. quem refert Gram. consil. crim. 16. post. num. 5.

13 Distinguendum est autem cum Claro eadem quæst. num. 10. quod delictum, vel solo animo perfici potest, vt est hæresis, vel similia, & tunc non opportet, vt constet de corpore delicti, quia nullum adest, sed sufficit sola confessio, si sit verisimilis, aut est delictum facti externi: & hoc dupliciter, vel facti transeuntis, cuius nullum remaneat vestigium, vt adulterium, & similia, & de hoc idem dicendum, quod de peccato mentali, teste Bossio vbi supra loc. præalleg. num. 19. Aut est delictum facti permanentis, cuius remanẽt vestigia, vt est homicidium, incendium, & similia, & de his vera est præfata conclusio, non posse videlicet Reum condemnari, nisi constet de corpore delicti, & hęc est communis practica; Puteus de synd. fol. 207. num. 6. Bossius loc. præ-

alleg.

alleg. post. nu. 15. & sufficit constare ipsum delictum, vel aliquod certum ipsius vestigium, vt docet Clar. ibidem cum multis Doctoribus, quos citat, & sequitur.

14 Denique validissima est defensio contra confessionē spontaneam, quando facta est super processu nullo quacunque ex causa nullitatis, quidquid secus doceant, & limitent alii Doctores quamplurimi relati a Claro q. 55. num. 12. quod præfata exceptio locum habeat solum in processu nullo ex defectu iurisdictionis, nam (vt subdit Clarus ibidem) contra Doctores a se ipso superius adductos, quãdo cõfessio emanat sponte super processu nullo quacũq. ex causa tutior est via, quod reus absoluatur ab obseruatione iudicii, & de nouo procedatur: Ang. consil. 178. circa fin. & cons. 293. & Aug. ad Ang. de malef. in verb. comparuerunt post. nu. 5. & ita faciens iudex non erraret: & licet cõmunis opinio contraria sit recepta, & canonizata in iudiciis, & in scholis, vt subdit ibidem Clarus, & seruari potest a iudicibus sæcularibus; verumtamen inter nos regulares, qui tutiorem partem semper eligere debemus, vel iudex absoluat ab obseruatione iudicii, cum reiteratione processus; vel talis confessio non sufficiat, nisi ad torturam, vt in simili dictum est supra.

De Defensione contra propriam confessionem factam in tormentis. Cap. IX.

SVMMARIVM.

1 *Defensio contra confessionem in tortura ex defectu indiciorum.*

2 *Etiam*

2 *Etiam quod post eam legitima superuenerint indicia.*

3 *Defensio ex confessione conditionata.*

4 *Dummodo talis conditio probetur.*

5 *Conditio tamen aliqualiter probata mitigat pœnam.*

6 *Quare conditionem apponere optima semper est cautela.*

7 *Nam probata conditione defenditur absolute reus.*

8 *Defensio est optima si probetur confessionem erroneam fuisse, & falsam.*

1 IN præcedenti capite dictum est de defensione contra spontaneā confessionē, nunc de defensione cōtra cōfessionem factā in tormentis, primo dico cū Claro loc. cit. num. 13. quod, si legitima indicia non præcesserint, & non fuerit seruatus iuris ordo, talis confessio est ipso iure nulla, nec potest confessus ex ea condemnari, etiam quod in illa perseuerauerit. Glos. vnica in l. quæstionis habendæ. ff. de quæstio. quam sequuntur communiter Doctores, Foller. in pract. crim. fol. 307. num. 1. Marsil. consil. 95. nu. 10. Alex. in l. qui in aliena. §. Celsus. nu. 12. ff. de acquir. hæred. Ias. d. §. Celsus. post num. 38. consil. 188. num. 2. lib. 2. Conrad. in pract. fol. 285. limitat. 21. Brunus de indi. & tortura. fol. 134. nu. 3. Beltran. consil. 226. num. 5. lib. 2. in 2. par. Marsil. lib. 1. num. 24. ff. de quæst. Anton. Gomez. cap. 15. delictorum. nu. 25. & est textus expressus in l. penul. ff. de quæst. & alii, quos citat, & sequitur Clarus ibidem.

2 Et addit, quod procedit præfata conclusio, quamuis post huiusmodi confessionem extortam tormentorū vi, & indi-

& indiciis legitimis non procedentib. postea legitima su peruenerint indicia: nam per ea talis confessio non validatur Bart. in l. Maritus num. 2. ff. de quæst. Clarus q. 64. versic. dixi etiam. cum multis Doctoribus, quos citat, & sequitur ibi.

3 Contra vtramque confessionem spontaneam videlicet, & in tormētis, poterit quis defendi, si confessio non fuerit absoluta, & pura, sed cum aliqua limitatione, vel conditione verbi gratia si quis dicceret, feci homicidium, sed iuste ob meam defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ: quo casu non posset, nec deberet pro parte acceptari, & pro parte respui talis confessio; & est commmunis doctrina Bart. in l. Aurelius. §. idem quæ sit. numero secundo ff. de liber. lega.

4 Limitat Clarus q. cit. num. 14. & bene, quod præfata doctrina locum habet, vbi confessio non habeat contrariam præsumptionem: quia eo casu posset pro parte acceptari, & pro parte respui Bartol. ibidem, vbi dicit, quod confessus hominem se occidisse ad sui defensionem habetur pro confesso simpliciter sine illa conditione, nisi illam concludenter probet: & potest ex tali confessione condemnari: & est communis, & approbata decisio Bartol. ibidem Iason in l. vt vim numero 13. ff. de iust. & iur. Boss. in tit. de Confes. post numerum 19. Menchiaca libro tertio de testa. §. 23. num. 23. Ferrar. cau. 5. col. prima, & 2. Petrus Calefatus consil. crim. 88. num. 2. lib. 2. Carrer. pract. fol. 413. numero 163. Boerius decis. 146. post nu. 10. Alcia. in l. prima §. si qui simpliciter num. 76. ff. de verb. obl. Berous in cap. at si Clerici. nu. 73. Simanc.

de hæret.c.63.nu.23.Blanc.prac.crim.fol. 149. nu. 35. & alii, quos citat, & sequitur Clarus ibidem.

5 Verumtamen per hanc exceptionem, etsi non plene probatam debet Reus puniri mitiori pœna; Clarus eadem q. num. 15. Abbas in c.auditis nu. 32.de præscrip. Boss.tit de confes.nu.20. Carrer.loc.cit.nu.167.Gram. cons.69.dicẽs, quod ita semper fuit in practica obseruatum; limitat tamẽ Clarus ibidem dupliciter; primo quod non sit aliquod legitimum indiciũ contra ita cõfessum; secundo quod eodem contextu verborum reus apponat illam conditionem, quia, si prius simpliciter confessus fuisset, & deinde vellet illam conditionem apponere, nil prodesset, nisi illam plene probaret, vt dictũ est, & ita concludunt, & declarant communiter Doctores, ut dicit Boerius in d. decis. 164. nu. 11. in fin. & nu. 14 in fin.

6 Docet igitur Clarus eadem quæstione nu. 16. quod reus, qui alium ad sui defensionem interfecit, neget homicidium commisisse subiiciendo, quod, si fecit, fecit ad suam defensionẽ, & hanc dicit esse purã negatiuam iuxta communem opinionem, teste Bossio tit. de confes. nu. 36. uel sufficit, quod docet Gram. super constit. regni. fol. 13. nu. 9. quod in eodem contextu confiteatur cum illa conditione, videlicet se iuste fecisse, & mea sententia ista confessio debet fieri, quando factum est certum, nec potest celari: primus vero modus positus a Claro seruari debet, quando non plene constat de facto.

7 Si enim probet reus se iuste fecisse, vt verbi gratia quando sæcularis occidit furem, vel banditum, non poterit condemnari, & sic in omnibus casibus, vbi quis probauerit, se iuste fecisse: immo addit Clarus quęst. 56. num.

nu. 3. quod ad euitandã condemnationem ita, quod pro delicto quis puniri non possit, sufficit probare aliquid, ex quo appareat illud ex aliqua causa potuisse licite fieri, licet punctualiter id non probaretur, Bartolus in l. non solum §. sed, vt probari. nu. 1. ff. de no. ope. nunc. cum quo communiter sentiunt Doctores Alex. d. §. cum §. sciendum. nu. 4. Gram. consil. 57. post nu. 8. Iason d. §. sciẽdum post nu. 7. Aug. ad Angel. de malef. ver. de anno præsenti post nu. 5. & ait Decius cap. in præsentia nu. 52. de probat. quod totus mundus hanc doctrinam sequitur, & alii plurimi, quos citat, & sequitur Clarus, addens ex iisdem optimã rationem, videlicet quod vbicumque aliquid est prohibitum, & punibile, certo, & limitato loco, vel certo, & limitato tẽpore, oportet, quod accusator præcise probet reum illud fecisse in illo tempore, vel loco prohibito, alias præsumitur factum loco, & tempore licito, vt concludunt pręfati Doctores locis præallegatis.

8 Denique validissima est defensio contra vtramque positam cõfessionem, si reus plene probet confessionem illam fuisse erroneã, & falsam, probãdo eius errorem, & falsitatem, & hæc est cõmunis, & recepta opinio Aretini in c. cum dilecti. de accusat. Bossius tit. de confes. post num. 60. & tit. de defensione reorum nu. 4. & alii, quos citat, & sequitur Clarus eadem quæst. nu. 17.

De defensione ex re iudicata. Cap. X.

SVMMARIVM.

1 *Optima est defensio ex re iudicata.*

2 *Distinguendum tamen de absolutione.*

3 *Punitus vero nunquam potuit iterum conueniri.*
4 *Etiam quod punitus fuerit minori pęna.*
5 *Secus si punitio cum dolo minor fuerit.*
6 *Et ab eodem iudice, & ab alio poterit Reus iterum conueniri.*

1 Valida est defensio quandocũq. reus in iudicio criminali probet, quod alias de eodem crimine absolutus fuerit, aut etiã condemnatus: nã eo casu nõ potest vlterius contra eum procedi, & ita tenent communiter Doctores, vt dicit practica Conradi fol. 227. nu. 11.

2 Distinguendum est tamen iuxta superius tradita quoad absolutionem, quando quis est absolutus, vel ex causa innocentiæ, vel ex hactenus adductis, & iuxta ea, quæ dicta sunt supra, competit reo huiusmodi exceptio rei iudicatæ quoad absolutionem.

3 Quo verò ad punitionem, si reus fuit punitus ea pœna, quã requirebat qualitas delicti, nulla est difficultas, quod non potest ampliùs procedi: Bald. consil. 31. lib. 4. & consil. 202. & consil. 124. Paulus de Castro consi. 118. lib. 1. & ita declarasse Senatum in quadam causa cuiusdam Andreæ Marzæ. 23. Nouemb. 1595. dicit Clarus quæst. 57. nu. 12.

4 Si autem fuit punitus Reus minori pęna, quam criminis qualitas requireret, si hoc rationabili de causa fuerit factum, non potest iterum puniri, & ita quotidie practicari dicit Clarus loc. cit. ex Bald. conf. 34. lib. 1. & militat ratio generalis, quod de eodem delicto sæpius non est quærendum.

5 Si tamen appareat, quem punitum minori pœna, quam criminis qualitas requirebat, sine rationabili

causa

causa, et in magno excessu, et ex parte iudicis intercesserit fraus, vel collusio imponendo leuem pęnam pro delicto graui cum scandalo aliorum, et in Reipublicę perniciem poterit Reus iterum cōueniri, et puniri, et ita iudicatum fuisse denuo contra quemdam Gasparem Cononem dicit Clarus loc. pręalleg. et ita consuluit in alia causa Paulus de Castro consil. 148. lib. 1.

6 Quo in casu similibus poterit contra reum iterum inquiri, & procedi, & denuo condemnari, nedum ab eodem Prælato, puta a Prouinciali, sed etiā a superioribus Commissariis, vel Generalibus ordinis conformiter ad ea, quæ docet Clarus eadem q. nu. 13. & 14. & 15. cum multis Doctoribus, quos ibi citat, & sequitur.

De defensione ex gratia. *Cap. XI.*

SVMMARIVM.

1 *Defenditur etiam Reus in gratia recepta.*

2 *Quam facultatem vellet etiam residere apud diffinitorium Auctor.*

3 *Et seruari opportunè vellet.*

4 *Et idem seruari vellet de remissione iniuriarum, & de illatis damnis.*

5 *At in supplicatione circumstantiæ exprimi debent.*

6 *In gratia generali non comprehenduntur delicta post illā emanatam commissa, vel etiam ante sub specie impunitatis.*

7 *Nec in ea comprehenduntur crimina atrocia, vt crimen falsi, &c.*

8 *Cætera omnia comprehenduntur crimina.*

1 Est quædam alia defensio, qua reus probat delictum, sibi a Principe remissum per gratiam, quę quidem est in vsu apud iudices sæculares, apud quos potest supremus Princeps omnes pęnas delictorum delinquentibus remittere, & indulgere Glos. in l. 2. verb. concedi. C. de ind. ius. vocan. quæ est communiter ab omnibus approbata, vt dicit Paris. consil. 1. num. 1. lib. 4. Apud nos vero regulares, apud quos magis abundare deberet pietas, & indulgētia, vix auditur, nec est in practica: ego quidem semel, & iterum obtinui, tam pro vniuersa mea Prouincia vsque ad certum præfinitum tempus, quam pro particularibus fratribus delinquentibus. Supremus vero Princeps apud nos, qui hoc absolute potest, absque dubio est quicunque Prælatus Generalis.

2 Sed ego vellem eandem auctoritatē cum plenitudine potestatis residere apud Prælatos Prouinciales non solos, neque cum solo Diffinitorio actuali, sed cum omnibus Prouinciæ Patribus: quorum duæ partes ex tribus hanc facultatem remittendi, & indulgendi præfatas delictorum pęnas haberent.

3 Et iuxta ea, quæ docet Clarus de summo Principe eadem q. nu. 2. cum multis Doctoribus, quos citat, & sequitur, eandem practicam vellem seruari a præfatis Generalibus, & Prouinciæ Patribus in omnibus pęnis, etiā per sententiam, & condemnationem inflictis, etiam si talis sententia in rem iudicatam pertransierit, quandocunque illis expedire videbitur.

4 Et similiter iuxta ea, quæ docet Clarus eadem q. nu. 3. vellem præfatos Generales, vel Prouinciæ Patres pro bono pacis posse absolute remittere quascunque iniurias, & damna quæcunque singularium personarum pro

bono

bono pacis, & Religionis absque aliquo partium consensu, si aliter fieri nequierit: nam cum hæc sit communis conclusio, a qua nullus discrepat quoad seculares (vt dicit Clarus ibidem) quanto magis debet habere locum inter nos regulares, qui maiorem vitæ perfectionem profitemur, & ex votis, presertim ex voto obedientiæ, renunciauimus omnibus, quæ non sunt contra Regulam, & animam nostram?

5 Aduertere autem debent, qui huiusmodi gratiam impetrare volunt ex doctrina eiusdem Clari eadem quæst. num. 8. vt in supplicatione, vel notificatione suæ causæ omnia exprimant, quæ verisimiliter potuissent animũ Prælatorum retrahere a petitæ gratiæ concessione, si ea resciuissent, ad hoc, vt gratia valida sit, vt docent quamplurimi Doctores, quos citat, & sequitur Clarus ibidem.

6 Denique notandum iuxta ea, quę docet Clarus ibidẽ num. 10. & inde cum multis Doctorum allegationibus, quod, si aliquando cõtingat generalem fieri indulgentiam delictorum per statutum, vel decretum in aliqua vna Prouincia, nullatenus debet intelligi de futuris delictis, & in posterum committendis post publicationem dicti decreti, vel statuti. Nec debet prodesse illi, qui sub spe impunitatis eiusdem decreti ante eius publicationem aliquod crimen commiserit.

7 Neque comprehendi vnquam debent atrocia crimina, & specialiter crimen falsi, vt docet Clarus ibidem secundum ius commune, & communem obseruantiam, nisi specialiter exprimantur.

8 Cætera vero crimina totaliter abolita, & extincta esse per huiusmodi generales, vel etiam particulares indul-

gentias iuxta communissimam, & receptissimam doctrinam, tradit Clarus cũ multis Doctoribus in locis præallegatis: quam seruari vellem, & practicari in Religionibus pro eorum pace, ac tranquillitate, & quiete, & Religionis perfectione, quas ob causas, & non aliter similes indulgentiæ concedendæ.

De defensione contra iudicem. *Cap.* XII.

SVMMARIVM.

1 *Defenditur Reus opponendo iudicis inimicitiam.*

2 *Et sufficit probare inimicitiam, licet iudex amicum se assereret.*

3 *Idem si iudex affinis, vel consanguineus sit querelantis.*

4 *Idem si iudex sit excommunicatus.*

1 PRima defensio aduersus iudicem est, si sit inimicus capitalis ob aliquam causam de superius allegatis in tractatu de testibus, & est textus clarus c. veniens. de iureiur: Fel. in c. repellantur. de accusat. nu. 6.

2 Et licet iudex callide se amicum fingeret; vt sub hoc prætextu posset vlcisci contra inimicum reum, sufficit reo iustam causam inimicitiæ allegare, & probare ad sui defensionem Felin. in c. cum oportet. de accusat. num. 14. Iason in l. Apertissimum. C. de iudiciis. nu. 7. Marsil. in l. 1. §. Præterea. de quæst. nu. 3.

3 Secunda defensio est, si iudex sit affinis, vel cõsanguineus querelantis 4. q. 8. c. absens, & inter nos regulares æquiualeret maxima, & notissima inter iudicem, & querelantem amicitia, vel notum interesse.

4 Ter-

4 Tertia defensio est, si iudex esset excommunicatus. c. ad probandum, de sent. & re iud. & c. dilecti filii. de except. & c. si vero. de sent. excom. & cap. cum speciali. de appellat. nam eo casu non potest iudex aliquem actum iuridice exercere, vt constat ex communi, & ex præfatis textibus.

De defensione ex causa innocentiæ. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Innocentiæ probatio optima est defensio.*
2 *Quæ locum habet etiam post latam sententiam.*
3 *Et probari potest domesticis testibus.*
4 *Probatur etiam ex coniecturis diuersimode.*

1 INnocentiæ magnam esse vim omnes vbique norunt, & fatentur, & ideo illam adducens in sui defensionem prorsus est audiendus, et ad illam ostendẽdam semper admitti debent probationes. l. si non defendantur. ff. de pœnis. Iason consil. 175. lib. 2.

2 Adeo, vt etiam post latam sententiam illa nullatenus debet exequi, si, postquã lata fuerit, constiterit de innocentia: Innocẽtius in c. significantibus. de purgat. vulg. Bald. in l. 1. §. si filius. ff. ne quis eum, qui in ius.

3 Habet præterea hoc priuilegium innocentia, quod probari potest testibus domesticis, et quomodocũq. cõiunctis c. tam litteris. et c. veniens. de test. et l. 5. §. ad q.

4 Sunt vlterius multę coniecturæ aliqualiter probantes innocẽtiam, plus minusue iuxta earũ numerum, & qualitatẽ Menoch. de præsumpt. li. 5. præsumpt. 49. nu. 7.

Prima

Prima coniectura est, si reus facile fugere potuit, & non fugit. Alciat. respons. 453. num. 5. Bart. in l. si quis fugitiuus. §. primo. ff. de edil. edic. secunda coniectura est, si reus iudici sponte se præsentet. Cepol. consil. crim. 31. nu. 8. Blanc. pract. crim. 1. par. nu. 121. Marsil. pract. crim. §. diligenter. num. 204. Tertia est, cum accusatus sponte carcerem ingreditur Gram. consil. crimin. 29. nu. 32. Vel quando sponte torturæ se subiicit. Lucas de Penna l. 3. versic. 107. Quarta est, si socius criminis moriturus exculpet prętensum consocium, quamuis eũ prius accusauerit Marsil. loc. cit. §. restat. & Blanc. ibidem. num. 136. Quinta est, si iam suspenso, vel gladio percusso Reo, qui se prius innocentẽ protestatus fuerat, mori non potuit, vel fracto laqueo, vel alia causa hominibus occulta, quia videtur miraculum ad comprobationem innocentiæ Luc. de Penna, in l. prima col. 7. versic. sed pone. C. de desertoribus lib. 12. Puteus de synd. in verb. pęna c. an si iudex. Decius l. fauorabiliores. ff. de reg. iur. & alii. limitat tamẽ Bald. in cap. venerabili. de test. dummodo non clare constet de delicto morte puniendo: quia tunc non præsumitur miraculũ, sed incantationes, & præstigia reputari possunt.

De Defensione, quæ totaliter excusat a delicto commisso. Cap. XIV.

SVMMARIVM.

1 *A delicto commisso totaliter excusant furor, & insania.*

2 *Etiamsi post commissum delictum superuenerint.*

3 Etiam

3 *Etiamsi superuenerint post latam sententiam.*

4 *Idem omnino de delicto in somnis commisso cum limitationibus.*

5 *Ignorantia, etiam iuris inuincibilis totaliter excusat.*

6 *Excusat etiam superioris mandatum.*

7 *Excusat etiam vis, & metus cadens in constantem virum.*

8 *Excusat etiam iusta credulitas cum iusta causa.*

1 POst defensiones, quę sufficiunt ad liberandum reum, agendum est breuiter de illis, quæ totaliter excusant a delictis iam commissis, & primo loco est furor, & insania; si enim delinquens tempore commissi criminis erat furiosus, vel amens, non potest propter illud puniri l. infans. ff. ad legem Cornel. de sicar. & est approbata sententia, vt dicit Plazza lib. 1. delictorum cap. 20. num. 1. ita seruatum esse pluries in senatu Mediolanensi docet Clarus q. 60. num. 4.

2 Quæ conclusio locum habet, etiamsi delinquens tempore commissi delicti erat sanę mentis, & postea effectus est furiosus, vel amens Bald. in l. furiosum. C. qui testam. fac. pos. & est communis opinio, vt attestatur Iason d. l. nu. 8. & plurimi alii Doctores, quos adducit, & sequitur Clarus loc. cit.

3 Quæ etiam conclusio militat, vt docet Clarus eadem q. nu. 5. si delinquens perseuerauerit sanæ mentis vsque ad sententiam inclusiuè, & deinde post condemnationē fuerit effectus furiosus, vel amens, quia contra talem non potest fieri exequutio. Et hæc est verissima quoad nos regulares, quibus non competunt penæ cōfiscationis

nis bonorum, de quibus tantum limitat Clarus, & præfata conclusio est communis, vt dicit Menchiaca controuer Illustr. cap. 96. post num. 9. & alii.

4 Secundo loco totaliter excusat a delicto, quod aliquis dormiendo commisit: non enim est mentis compos dormiens plusquam furiosus, vel amens: limitat tamen Clarus, & bene eadem quæst. num. 10. hoc verum esse, quando similia commisso delicto euenire solent in somnis delinquenti, vt de multis auditum, quod surgunt de lecto, euaginant ensem, & similia faciunt: limitat etiam ibidem, quod præcauere debet adhibendo debitas diligentias talis naturæ suæ proprietatis conscius, verbi gratia claudendo ostium, commonendo socios, vel alios de sua familia, remouendo arma e suo cubili, & similia, si enim debitas non adhiberet diligentias, esset in culpa, & puniretur saltem pęna extraordinaria Bar. in l. pœni. ad leg. Pomp. de parri. & est cōmunis opinio, vt ait Didacus in repet. c. si furiosus fol. 310. num. 6. & alii.

5 Ignorantia etiā inuincibilis iuris excusat ad omnem pęnā euitandam, & est communis opinio Cepol. consil. crim. 18. nu. 5. Gratus consil. 49. num. 35. lib. 2. & alii, at ignorantia statuti contra delictum, quod est punibile, & prohibitum etiam secundum ius commune, non excusat debentem scire, sicut nec etiam in iudice non excusat ignorantia iuris, cum ex munere scire teneatur Puteus de synd. fol. 300. num. 1. & alii.

6 Item excusat mandatum superioris, si quod sit, non sit de genere prohibitorum, & de sui natura delictum: Clarus ad hanc quæst. nu. 12. cum multis Doctoribus, quos refert; limitat etiam ibidem, quod pręfata conclusio militat in delictis leuibus, non autem in atrocibus, in quibus

bus non excusat in totum, sed, ut mitius puniantur.

7 Similiter excusat, quando quis metu cadente in constantem virum, vel vi aliquod committit delictum, & est communis opinio, vt ait Dec. in l. vt vim num. 2. ff. de iust & iur. Carrer. fol. 421. num. 173. & alii.

8 Denique excusat omnis iusta credulitas, & est communis opinio, vt dicit Curtius Iunior. consil. 132. nu. 1. Villalob. collect. cõmunium opi. littera C. nu. 23. & similiter quælibet iusta causa Glos. in l. Plagi. in verb. iuxta. C. de Plagia. quã dicunt esse cõmuniter approbatã multi Doctores, quos refert, & sequitur Clarus eadem quęst. num. 18. Cæterum, si ea sit iniusta secundum eumdem Clarum ibidem, non excusat, licet præfata Glos. cum iisdem Doctoribus contrarium sentiat: sed mea sententia cum Claro sentiendum sine alia distinctione, licet ipse subtilius distinguat, sed non conformiter ad obseruantiam regularem secundum meam sententiam. Vide ibi.

De defensione ad minuendam pęnam. Cap. XV.

SVMMARIVM.

1 *Minuit pœnam si delinquens fuerit minoris ætatis.*
2 *Item senectus minuit pęnam.*
3 *Item ira ex iusta causa.*
4 *Item amor nimius, & inordinatus.*
5 *Item prodigalitas in delictis omissionis.*
6 *Item ebrietas, quæ etiam aliquando totaliter liberat.*
7 *Item prouocatio aduersarii.*
8 *Item iustus dolor, & qualibet consimilis causa.*

9 Item

9 *Item si clam, & cautè commissum est delictum.*
10 *Item penitentia voluntaria.*
11 *Item bona fama, & aliqua eminentia status, vel virtutis.*
12 *Item si commissum delictum fuerit absque dolo.*
13 *Item magna delinquentium multitudo.*
14 *Item antiquitas delicti.*
15 *Item amicitia, vel coniunctio cum supremo iudice.*
16 *Item spontanea confessio ante iudicis inquisitionem.*
17 *Errant Prelati barbari tales repellentes.*
18 *Hinc fere penitus extinctus, & abolitus recursus.*
19 *Etiam in leuioribus causis.*
20 *Quæ ex crudelitate Prælatorum ortum habent.*

1 COngerit Clarus sent. lib. 5. §. fin. prac. crim. q. 60. multos, & graues Doctores cum allegationibus locorum, ex quibus colligit multa, quæ ad minuẽdas delictorum pœnas proficiunt quem sequens breuitati studens a citatione Doctorum prorsus abstinebo, & defensiones ad minuendas pœnas ab eo ibidem collectas breuiter explicabo, quarum prima est, si delinquens fuerit minor quatuordecim annorum, & cum inter nos regulares nullus possit esse professus minor sexdecim annis, vix, vel parum habet locum prædicta defensio, præsertim cũ aqud nos non sit in vsu: tamen vsq. ad annum 24. inclusiue videntur posse delinquentes mitius puniri iuxta tradita a Claro ibidem: in aliis vero Religionibus, vbi nouitii sunt minores quatuordecim annis, tanto mitius puniendi sunt, quanto minus fuerit ætas, vel omnino liberandi: saltem quoad pœnas graues, & per sententias in scriptis imponendas, nisi sint atrocia delicta.

2 Secun-

2 Secunda defensio ad minuendam pœnam est senectus, & quo prouectior, eo mitior sit pœna.

3 Ira etiam, quæ breuis est furor, & ideo sufficit ad minuendam pœnam, si tamen ira proueniat ex iusta causa, secus autem si ex iniusta, qua in re iudicis arbitrium præualet.

4 Quarta defensio est, si delictum fuit commissum ex nimio amore, qui est etiam quædam furoris species, nisi atrocitas criminis id non permitteret, vt, si quis poneret scalas ad monasterium sanctimonialium, & similia.

5 Quinta defensio est, si delinquens fuit prodigus, & delinquat omittendo, non autem committendo, quia tunc punitur sicut, & cæteri.

6 Sexto minuitur pęna delinquenti ex ebrietate, etsi ebrietas contigisset absque delinquentis culpa, vt, si cōsocii sal in vnum coniecissent ipso delinquente inscio, excusaretur etiam a toto, & liberandus esset secundum Clarum loco citato.

7 Septimo prouocatus mitius est puniēdus, quia pręsumitur facere id, quod facit, causa se defendendi.

8 Octauo sufficit ad minuendam pęnam iustus dolor, & quęlibet consimilis causa aliqualiter iusta ad id faciendum, quod imponitur.

9 Nono mitius punitur, qui clam, & cū cautela, & circumspectione delinquit, quam qui aperte, & effrenate, si delicta sint ex sui natura illicita: secus, si alias essent licita, sed ex aliqua circumstantia redderentur illicita: vt sunt, contractus tutoris cum pupillo, & similia, quia tūc magis punitur, qui ea clam committit, quia præsumitur eum non ignorare illud illicitum fuisse, quod ignorare præsumeretur, si manifeste fecisset.

10 Decimo, Pęnitentia volũtaria semper minuit pęnam, vt colligitur ex Claro quęst. 60. nume. 17. quicquid alii prolixe dicant: non tamen liberat ab accusatione, nec a totali pœna, vt dictum est supra, nisi in crimine hęresis; non autem eos, qui falso de hæresi accusassent; vt docet Clarus ibidem.

11 Vndecimo, minuit pœnam bona vox, qualitas, & fama delinquentis, & similiter aliqua virtutis, vel nobilitatis, vel dignitatis, vel gradus eminentia, vel etiam artis alicuius magna peritia, & excellentia, vel meritorum probatio in rempublicam, vel apud nos in Generalem, vel in Protectorem, vel in summum Pontificem.

12 Duodecimo, valida est etiam defensio ad minuendam pœnam, si delictum probetur commissum sine dolo.

13 Tertiodecimo, magis valida est etiam defensio, si magna sit multitudo delinquentium, præsertim, si inter eos essent viri eminẽtes, ex quorum punitione magnum orietur scandalum, & inde maius esset detrimentum Reipublicę punire, quam indulgere: nam eo casu nedum minuenda esset pęna, sed etiam aliquando remittenda totaliter, & silentium imponendum iudicis arbitrio.

14 Quartodecimo; sufficit ad minuendam pœnam antiquitas delicti intra pręscriptionẽ: nã extra præscriptionem absolute, ac totaliter indulgetur, nisi criminis atrocitas constaret, vt dictum est supra.

15 Quintodecimo; Amicitia cum iudice supremo, puta, apud nos cum Generali, vel cum Protectore, vel cum summo Pontifice, sufficiẽs est causa ad minuendam pęnam, si ipsi velint: sed iudices inferiores, vt Prouinciales, & similes nequaquam id possunt.

16 De-

16 Denique spontanea confessio validissima est defensio ad minuendã pœnam, & apud nos est valde in vsu, & continuò practicatur: & est antiqua ordinis constitutio, & Patrum traditio, & videtur conformis Regulæ, ac beatissimi Patris nostri Francisci sanctissimę intentioni in cap. septimo Regulæ, vbi dicit: si qui fratrum mortaliter peccauerint pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad illos recurrere: Ministri verò, si presbyteri sunt, cum misericordia iniungãt illis pœnitentiam, si vero presbyteri nõ sunt, iniungi faciant per allios Sacerdotes ordinis, sicut eis secundũ Deũ melius videbitur expedire, &c. Quod vtinam in Religione seruaretur: vtillimum namque ordini esset, maximeque salutare, & in maximum Reipublicæ bonum vergeret, nec omnia tractanda essent iuridice, & criminaliter maxima cum inquiete, ac perturbatione fratrum, & Reipublicæ, & Ordinis pernicie, ac detrimento maximo.

17 Qua in re grauissimè errant Prælati, qui nedum seuerè, sed potius barbare subditos repellunt, omnique expoliant confidentia, seipsos prius charitate spoliantes.

18 Inde sensibus vsurpamus, manu tangimus, & quotidiana experientia discimus totaliter abolitum, & penitus extinctum inter nos huiusmodi salutarem, ac sanctum recursum religiosa, & religiosis digna mortificatione plenissimum, & paci, tranquillitati, quieti, & regulari obseruantiæ maximè condecentem.

19 Quin vix reperitur nostro æuo frater quantumuis in-

ſimi gradus, & infimæ notæ, qui nolit magno ſupercilio iuridice, magnoque cum ſtrepitu ſuas defendere cauſas, etiam in rebus minimis in totalem Reipublicæ, ac Religionis euerſionem.

20 Quę omnia ex nimia Prælatorum crudelitate, illorumque barbarie ortum habuiſſe, et eum exceſſus gradum obtinuiſſe nullatenus eſt ambigendum: et ego maximo cum dolore vidi ſemel Prælatum Prouincialem repuliſſe crudeliter quemdam fratrem, qui recurſum ad prefatum Prouincialem habuit, pęnitere volens, et ſuum ſponte confiteri delictum: quod, cum non obtinuiſſet, magna inde ſequuta fuere ſcandala, maximique ſtrepitus, fratrum agitationes, et euagationes, proceſſuũ formationes, carcerationes, et priuationes, et mille talia inconuenientia, quę forte ſequuta non fuiſſent, ſi peccatum confiteri volentis audiſſet Pręlatus, et pęnitentiam impoſuiſſet ſalutarem, ſalutariaque inde adhibuiſſet, ac opportuna remedia.

D E

DE REORVM DAMNATIONE.

Tractatus decimi Pars Tertia.

PRAEAMBVLVM.

CVm in hoc Tractatu agatur de definitiua sententia, et vltimo cuiuscunq. iudicii termino, qui vel in absolutionem ex adductis, et probatis defensionibus, vel in condemnationem reorum, illis non probatis desinere debet, et cum preterea de absolutionibus dictum sit superius suo loco, et denique cum nequaquam possit ad sententiam condemnatiuam procedi, nisi prius datis defensionibus: ideo, postquam de illis actum est de reorum damnationibus est, consequenter agendum.

De conuictis. *Cap. I.*

SVMMARIVM.

1 *Distinctio damnandorum.*

2 *Damnari debet conuictus etiam non confessus.*

3 *Nec requiritur confessio, nec adhiberi debet tortura.*

4 *Si tamen adhibita esset, minuenda est pœna.*

5 *Probationes vero debent luce meridiana clariores esse.*

6 *Et nunquam potest damnari Reus ex priuata iudicis scientia.*

7 *Nec Regularis iudex damnet innocentem contra communem.*

8 *Sed Prouinciales certiores facient Prælatos Generales de certa sua scientia.*

9 *Generales vero reos prætensos absoluant opportune.*

10 *Vel aliter prouideant.*

11 *Quæ vero, & quales sint probationes, dictum est supra.*

1 OMnes damnandi, vel conuicti sunt per legitimas probationes, vel confessi in tortura, vel confessi sponte; de quibus ordinate dicendum: & primo de conuictis.

2 Si reus itaque de crimine sit legitime conuictus, & defensiones ab illo adductæ nequaquam euacuent, vel infirment contrarias probationes, debet illum iudex omnino condemnare, etiam, quod neget delictum, & in negatiua perseueret: ita Bossius tit. de Conuictis num. 3. & 4. & Clarus quæst. 66. num. 1.

3 Nec enim requiritur, confessio vbi constat de delicto: nec requiritur tortura, quin esset maximus error illam applicare, vt late superius ostensum est: nihilominus enim, etsi in tortura persisteret in negatiua reus, damnandus esset, si legitimæ ad essent probationes, quare fieret ei maxima iniuria, maximumque grauamen addendo afflictionem afflicto, & applicando torturã absque aliquo fructu Dec. in c. at si Clerici not. 1. ext. de indiciis. Bossius, & Clarus locis præallegatis.

5 Veruntamen si esset iudex adeo insipiens, & ineruditus, vt ad legitimas, & plenas probationes torturam adderet, quia videret reum persistere in negatiua, vel alia ex futili causa, dubio procul minuenda esset reo pœna quoad fieri posset, iudicis arbitrio, computando il-

li in pœnam, vel partem pœnæ debitæ perpessam torturam.

5 Quæ autem sint legitimæ probationes, & quæ plenè sufficiant ad conuincendum reum, dictum est supra: in vniuersali autem probationes quæcunque in suo genere debent esse in criminalibus luce meridiana clariores. l. sciant cuncti. C. de probatio. Bos. tit. de conuic. num. 9. & num. 25. Clar. q. 66. num. 3. & alibi, & plurimi Doctores, quos supra citaui.

6 Similiter (vt superius dixi) numquam debet iudex procedere ad condemnationem secundum suam opinionem, vel credulitatem; sed secundum probationes factas in processu, & secundum legitimè acta, & probata, nec aliter condemnare potest reum, etiam, quod videret propriis oculis reum commisisse delictum, super quo fertur iudicium. Didac. lib. 1. resolutio. cap. 1. post numerum sextum. Clar. quæstio. 66. numero secundo, & alii.

7 Contra vero si iudex sciat certa scientia reum nullatenus esse culpabilem super delicto, de quo ferendum est iudicium, numquam debet reum condemnare, quantumcunque contra eum in processu extent legitimæ probationes, & quamuis communis opinio contrarium doceat cum Claro, & quamplurimis Doctoribus ab eo adductis quæst. cit. numero tertio, verumtamen ipsemet Clarus ibidem contra eamdem communem dicit, quod iudex eo casu instare debet apud Principem, vel superiorem, vt ipse exoneretur ab huiusmodi iudicio, & causa alteri delegetur, vel ipsemet causam alteri delegare debet: & licet addat, quod non debet protinus abstinere a munere iudicandi; veruntamen

ego ſentio cum Abbate, & Imola in Clemẽt. Paſtoralis. §. quia vero. num. 49. de officio deleg. c. 1. poſt nu. 13. verſic. ſi autem timeret; quod iudex regularis, qui mitiorem partem, ac magis piam ſemper amplecti debet, prorſus a conſimilibus iudiciis abſtineat, quidquid dicat Clar. cum communi contra præfatos, Imolam, & Abbatem.

8 Caute tamen, & cum diſtinctione gradus procedant, mea ſententia, Regulares: nempe, ſi ſint Prouinciales tantum, vel miniſtri, vel Commiſſarii, certiores faciant Prælatos Generales de propria ſcientia, quam habent cõtra aſſertas legitimas probationes, & ea iudicio prorſus abſtineant; remittẽtes illud totũ, ac totaliter pręfatis Pręlatis Generalib. qui de opportuno prouideant remedio pro eorum zelo, prudentia, & ſcientia, & ſic Prouinciales Prælati immunes omnino ſe conſeruẽt, vel ab inferendis iniuriis, & grauaminibus proximo, & a reddenda de his Deo optimo Maximo ratione.

9 Prælati vero Generales, ſi propriam habeant ſcientiam de reorũ innocentia cõtra legitimas adductas probationes: numquam illos damnare debent mea ſententia iuxta pręfata, ſed illos dimittere, & liberare, vel ex gratia, vel ex diſpenſatione, vel ex plenitudine poteſtatis, vel aliquo alio ex capite; numquam tamen ex capite innocentiæ, cum contrarium probetur in proceſſu.

10 Si vero præfati Prælati Generales nequaquam id cognoſcant ex propria, & certa eorum ſcientia, ſed ſolum ex relationibus Prouinicialium Prælatorum modo ſupra expoſito mea, ſententia ponderare deberent qualitates omnes, & circumſtantias tum reorum, tum probationum, & ſuper omnia ipſorum Prælatorum Pro-

Prouincialium, an videlicet plena fide sint digni, & pro talibus reputentur ab omnibus, & secundum horum diuersitatem, vel omnino liberare reos forma superius expressa, vel saltem illos mitiori pœna punire.

11 Cæterum, quæ sint plenæ probationes, quæ sint semiplenæ, quid operentur indicia, quid præsumptiones, & de eorum singulis late dictum est supra, & secundum eorum qualitates condemnandus est reus pœna maiori, vel minori iuxta præfata, & iuxta inferius dicenda de pęnis.

De confessis in tortura. *Cap. II.*

SVMMARIVM.

1 *Confessus in tortura, si ratificet, condemnandus.*
2 *Requiri autem ratificationem post torturam communis est opinio.*
3 *Nec sufficit tacita, sed requiritur expressa ratificatio.*
4 *Nec statim ratificatio a tortis exigenda, sed saltem post vnum naturalem diem.*
5 *Nec debet fieri in loco tormenti, vel vbi sint parata instrumenta.*
6 *Et omnino danda sunt reo defensiones, etiam post ratificationem in tortura.*
7 *Si non ratificet Reus, debet iterum torqueri.*

1 SI reus in tortura legitime adhibita confessus fuerit delictum, & post torturam debito interuallo illam

ratificet, debet condemnari, datis tamen prius illi defensionibus, vt superius dictum est: & est communis Doctorum sentētia, vt dicit Baldus l. 11. nu. 3. C. de Custod. reorum, quem refert Afflic. super 1. p. constit. regni. rub. 27. nu. 33.

2 Non esse autem standum confessioni factæ in tortura, nisi reus in illa perseueret, & eam ratificet extra tormenta iuridice, est communis opinio. Boer. decis. 163. num. 18. Brunus de indic. & tortur. fol. 134. num. 3. & fol. 145. numero 21. Abbas in cap. cum contemplatione num. 7. de reg. iur. Bart. in l. 1. ff. de custod. reor. Marian. de petit. c. qualiter, & quando num. 233. Prac. Miller. fol. 63. nu. 16.

3 Nec sufficit, quod tortus tacite perseueret in confessione non reuocando illam, sed opus est, quod illam expresse ratificet apud acta; & hæc est cōmunis practica, & consuetudo, vt dicit Ant. de Couar. de quæst. memb. 5. nu. 9. & alii cum Claro q. 64. nu. 39.

4 Nec debet statim ratificatio fieri, quia tunc præsumeretur adhuc durare metum tormentorum: sed esse expectandum, & quiescendum per spatium vnius diei, est communis doctrina, & pract. huius articuli. Ant. Gomez. cap. 13. delic. nu. 34. Cæpol. consil. crim. 40. versic. & quod in occasu. Angel. in l. 2. num. 1. C. de Custod. reor. qui etiam dicunt, quod iudices, qui statim ducunt reos tortos ad ratificandum, pessime faciunt. Neque inter nos Regulares habet locum arbitrium, vt apud iudices sæculares, vt dicunt multi Doctores relati per Clarum q. cit. nu. 40. sed mitiorem partem, ac tutiorem sequi semper debemus, & semper saltem per vnum diem quiescere post illatam torturam, vt dictum est.

5 Debet

5 Debet etiã ratificatio fieri nõ in carcere, neque in loco, vbi reus tormẽta, vel instrumẽta ad torquendum parata videat; quia tunc duraret metus tormentorum, sed solutus debet esse, & ab omni tormentorum metu liber, quando ratificat. Bart. in l. 1. §. D. siue res numero 3. ff. de quæst. Bald. lib. 1. consil. in fin. Ioan. Andr. in cap. cum in contempl. de reg. iur. Aug. ad Angel. de malef. versic. fama publica. post num. 117. Talis autem ratificatio (quidquid sit de iudicibus sęcularibus) apud nos debet fieri apud Iudicem competẽtem cum solitis assessoribus, & cum iuramento, vt est omnium Prouinciarum consuetudo.

6 Quod vero post ratificationem reo debeat dari terminus ad se defendendum, & est cõmunis opinio, & obseruantia, vt dicit Maranta in suo speculo, & Clar. quæst. præalleg. nu. 43. valde criminatur, & damnat officiales parum doctos, qui talem practicam non obseruant; quia tunc damnaretur Reus indefensus, & addit, quod in facti contingentia fuit absolutus quidam, qui suam confessionem factam prius in tormentis, postea ratificauerat, quia probauit errorem suæ confessionis, vt refert Gram. super Constit. regni Neapolit. fol. 23. numero 23.

7 Denique si reus, facto debito interuallo, non ratificet suam confessionem, debet iterum torqueri, vt est communis practica, & dictum est supra: & dictum est etiam quoties, & qualiter debeat repeti, & adhiberi tortura, quando sit valida, nec ne.

De sponte confessis. Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Sponte confessus damnari debet.*
2 *Dandæ sunt tamen ei prius defensiones, quæ si non probent, damnandus est reus.*
3 *Quæ confessio spontanea non debet repeti, nec ratificari.*
4 *Diuersa remissiuè.*

1 VBi reus delictum sponte confessus fuerit, cum talis confessio contra eum plene probet, poterit ex illa condemnari, & est communis opinio, vt attestatur Bart. in tract. de quæst. vel Gandin. cuius asseritur ille tractatus, & alii, quos citat Clarus quæstio. 65. numero 1.

2 Aduertendum tamen cum eodem ibidem, quod sponte confessus non debet statim condemnari; sed ei dandæ sunt suæ defensiones cũ termino ad allegandũ, quidquid voluerit, vt liberetur: quo elapso termino, si nihil probet, condemnari debet: & hæc est communis practica, quam seruat totus Mundus. Salic. in l. 2. nu. 7. C. de custod. reorum. Bossius tit. de confes. num. 2. Ant. Gom. c. 12. delic. nu. 3. & alii, vt dictum est supra.

3 Confessio porro huiusmodi spõtanea, & iudicialis, de qua hic agimus, nõ debet repeti, nec ratificari: sed vnica tantum confessio talis sufficit ad cõdemnandum: & hęc est communissima opinio: Brunus de ind. & tort. fol. 146. nu. 21. Foller. in prac. crim. fol. 222. nu. 39. Dynus.

l. 2. ff.

l. 2. ff. de custod. reor. Gambin. in loc. prælleg. & alii, quos refert, & sequitur Clarus q. prælleg. nu. 2.

4 Cætera de confes. extraiud. & de adducendis pro cōfessione facta in iudicio siue per torturam, siue spontanea, latius tradita sunt superius.

Ad quos iudices spectet sententiare reos. *Cap. IIII.*

SVMMARIVM.

1 *Quando Prælati Regulares soli possunt processus per definitiuam sententiam terminare.*
2 *In sententiis condemnatiuis, non nisi cum assensu definitorii.*
3 *Generales de consensu Patrum Ordinis graues sententias ferre debent.*
4 *Et in prouinciis de consensu Diffinitorii, & similiter Prouinciales.*
5 *Secus lata sententia nulla erit.*
6 *Sed erit valida, vbi Diffinitores votum tantum consultiuum habent, licet iniusta.*
7 *Diffinitores liberè sententiam suam proferre tenentur.*
8 *Quare tacentes ob humanos respectus duplicem incurrunt culpam.*
9 *Quicquid secus Prælati affirmarent.*
10 *Præsertim in condemnatiuis sententiis.*
11 *Et ita ipsi, quod suum est, adimplent, quicquid inde sequatur.*

Licet

1 Licet ex dictis superius, vbi actum est de iudice competenti, constet, quia, vel ad Generales, vel Prouinciales Prælatos pertinet suos sententiare subditos, qui etiam forte vbi agitur de sola reorum iustificatione, & absolutione sine damno, & præiudicio tertii, vel partis, soli poterunt per sententias definitiuas quoscunque terminare processus per eosdem respectiue actitatos.

2 Verumtamen vbi agitur de sententia condemnatiua, & de graui pœna reo imponenda, nunquam vidi in ordine practicari, quod præfati Prælati soli absque consilio, & assensu Patrum ordinis, vel Prouinciæ respectiue sententient: quin secus facientes contra antiquam Patrum traditionem, & contra probatam ordinis consuetudinem, & contra Regularia instituta dubio procul agerent.

3 Generales itaq. Prælati in capitulis, vel cõgregationibus generalibus, & vbicunq. commode haberi poterit sufficiens numerus Diffinitorum Generalium, & Patrũ ordinis, semper de eorum cõsilio, & assensũ graues quascunque sententias ferre debent, sicut per statuta generalia tam antiqua, quam moderna cautum est: vt constat per statuta Vallisoletana de anno 1593. fol. 206. tit. de Patribus ordinis. §. qui etiam in omnibus. fol. 207. tit. de Patribus vnius, vel alterius familiæ, ubi decernitur, pręfatos Diffinitores Generales, & Patres ordinis habere votum consultiuum, & decisiuum, & vltra electiuum.

4 In Prouinciis vero quibuscunque pręfati omnes Prę lati tam Generales, quam Prouinciales nullam grauem sententiam ferre possunt absque consilio, & consensu Diffinitorum Generalium, si qui in Prouinciis respectiuè fuerint, & Diffinitorum Prouincialium eius Prouinciæ,

uinciæ, in qua sententia ferenda fuerit: nam præfati omnes votum consultiuum, & decisiuum habent vltra electiuum; vt patet per citata statuta, & per eadē fol. 219. tit. de his, qui a Diffinitorio vocandi sunt §. vltimo.

5 Quare cum non possint præfati superiores aliquam grauē sententiā contra delinquentes ferre sine consilio, & consensu maioris partis eorū, qui habent votum consultiuum, & decisiuum in Religionibus, vti sunt præfati omnes, consequens fit, vt secus lata sententia nullius extet valoris, & momenti, & prosus nulla reputanda, vt docet Roder. quæst. 45. ar. 2. ex iure communi, & ex Priuilegio quodam collato a Pio quinto Priori Generali ordinis D. Hieronymi, vt patet in compēdio Priuilegiorum illius ordinis verb. cōdemnare, vbi summus Pōtifex cōcedit Priori Generali, vt possit eiicere ab ordine delinquentes; at non nisi de consilio seniorum; seniores autem in quacunque probata Religione dubio procul sunt illi, qui votum consultiuum, & decisiuum habent, quorum consilium, & consensus nisi petatur, (inquit Roder. ibid.) sententia omnino erit nulla, argumēnto eorum, quæ docēt quidam iurisconsulti l. non aliter. ff. de usu, & habit. l. Nepos Proculo. ff. de verb. sig. & annotauit Scala de consilio sapien. lib. 1. cap. 27. & de contrac. & ult. uolunt. cap. 11. & Bursatus consil. 90. & hoc videtur conforme iuri communi episcoporum: nam in Concil. Carthag. cap. nullus episcopus. 11. q. 7. decernitur, quod nullus episcopus vllam causam audiat sine suorum Clericorum præsentia, alioquin sententia sit irrita; id ipsum stabilitum videtur in quadam decretali cap. 1. de excessibus Prælatorum, vbi statuitur, ne episcopus aliquam sententiam grauem ferat sine iudi-

cio

11 Etiam, quod præcognoscerent certo; quod eorũ sententia non obstante prefati Prælati secus decisuri, & determinaturi essent: nam iuxta doctrinam D. Tho. par. 2. quæst. 14. artic. 2. quando assumitur aliquis ad aliquod munus, ad media tantum adhibenda tenetur, quæ sunt propria illius muneris, & quę ab eo pstari possũt, quidquid sit de fine assequendo, qui aliunde pendet, & ita Nicolaus Papa epist. 9. ad Michaelem Imperatorem ait: Debet sedes Apostolica facere, quod suum est, neq; fasti dire laborem; Deo autẽ, cuius est bene cępta perficere, laboris effectum relinquere. Diffinitores igitur similiter tenentur, quod suum est præstare, & quod sui muneris est omnino perficere: nec illud sine graui culpa, & aliorum scandalo omittere possunt, & sic ab omni culpa sunt liberi, & immunes, quicquid postea secus decernant, vel determinent Prælati, etiam quod proteruiores, & crudeliores ex cõtrario Diffinitorum voto euaderent; nam totum ex propria eorum malitia oriretur, Diffinitoribus tuta, & serena conscientia integre remanentibus.

Quibus Regulis debeat ferri sententia.

Capitulo V.

SVMMARIVM.

1 *Non tenentur Regulares ad solemnitates iuris.*

2 *Similiter non requiritur, quod pars sit præsens, nec obstat nox, vel feria.*

3 *Nec est necessarium exprimi causam condemnationis.*

4 *Adhortatio ad Prælatos.*

5 Veri-

5 *Veritatem nec iota unum umquam deserant, cætera moderari possunt.*

6 *Veritati innixi media incedant via.*

7 *Et si in alterum contingat labi extremum, ad misericordiam deflectant.*

8 *Ne sit autem indulgentia nimia, ne vitia nutriat.*

9 *Duæ autem dantur ad hoc regulæ.*

1 CVm Regulares iuxta indultũ Bonifacii VIII. sæpius citatũ, non teneantur ad solẽnitates iuris in sententiis ferendis, primo non requiritur, quod ore proprio sententiam proferant; & quod pro tribunali sedeant. c. fin. extra de sent. & re iudic. in 6. sed sufficit, quod per secretarium Prouinciæ, vel alium Patrem eius vicem supplentem reo pronuncietur, & publicetur.

2 Nec requirit̃, q̃ pars sit p̃sens, vel citet̃. Nec obstat, si feratur de nocte, vel dieb. feriatis: quæ oĩa, & similia apud Regulares numquam in aliqua fuerunt obseruantia.

3 Nec requiritur in sentẽtia exprimi causam condemnationis, licet Albericus in l. properandum. §. illo num. 34. C. de iudic. (perperam a nonnullis citatus) contrarium sentiat, dicens, quod continuè seruatur de facto, quod in sententiis inferatur causa, quem refert Aug. ad Angelum de malef. in verb. & quia nobis. num. 4. subdens, quod si ista sunt in obseruantia, non debemus ab ipsa recedere; & certè inter nos ita practicari semper obseruaui; & nullã vmquã vidi ferri sententiã, nisi distinctè expressa causa. Clarus autem q. 93. numero secundo, dicit talem practicam non seruari in sua Prouincia, nisi quando rei in contumaciam condemnantur; sed quando sunt præsentes, non dicitur, nisi viso processu,

ego sentio cum Abbate, & Imola in Clemēt. Pastoralis. §. quia vero. num. 49. de officio deleg. c. 1. post nu. 13. versic. si autem timeret, quod iudex regularis, qui mitiorem partem, ac magis piam semper amplecti debet, prorsus a consimilibus iudiciis abstineat, quidquid dicat Clar. cum communi contra præfatos, Imolam, & Abbatem.

8 Caute tamen, & cum distinctione gradus procedant, mea sententia, Regulares: nempe, si sint Prouinciales tantum, vel ministri, vel Commissarii, certiores faciant Prælatos Generales de propria scientia, quam habent cōtra assertas legitimas probationes, & ea iudicio prorsus abstineant, remittētes illud totū, ac totaliter prçfatis Prçlatis Generalib. qui de opportuno prouideant remedio pro eorum zelo, prudentia, & scientia, & sic Prouinciales Prælati immunes omnino se conseruēt, vel ab inferendis iniuriis, & grauaminibus proximo, & a reddenda de his Deo optimo Maximo ratione.

9 Prælati vero Generales, si propriam habeant scientiam de reorū innocentia cōtra legitimas adductas probationes: numquam illos damnare debent mea sententia iuxta prçfata, sed illos dimittere, & liberare, vel ex gratia, vel ex dispensatione, vel ex plenitudine potestatis, vel aliquo alio ex capite; numquam tamen ex capite innocentiæ, cum contrarium probetur in processu.

10 Si vero præfati Prælati Generales nequaquam id cognoscant ex propria, & certa eorum scientia, sed solum ex relationibus Prouinicialium Prælatorum modo supra exposito mea, sententia ponderare deberent qualitates omnes, & circumstantias tum reorum, tum probationum, & super omnia ipsorum Prælatorum

Pro-

Prouincialium, an videlicet plena fide sint digni, & pro talibus reputentur ab omnibus, & secundum horum diuersitatem, vel omnino liberare reos formam superius expressa, vel saltem illos mitiori pœna punire.

11 Cæterum, quæ sint plenæ probationes, quæ sint semiplenæ, quid operentur indicia, quid præsumptiones, & de eorum singulis late dictum est supra, & secundum eorum qualitates condemnandus est reus pœna maiori, vel minori iuxta præfata, & iuxta inferius dicenda de pœnis.

De confessis in tortura. *Cap. II.*

SVMMARIVM.

1 *Confessus in tortura, si ratificet, condemnandus.*

2 *Requiri autem ratificationem post torturam communis est opinio.*

3 *Nec sufficit tacita, sed requiritur expressa ratificatio.*

4 *Nec statim ratificatio a tortis exigenda, sed saltem post vnum naturalem diem.*

5 *Nec debet fieri in loco tormenti, vel vbi sint parata instrumenta.*

6 *Et omnino danda sunt reo defensiones, etiam post ratificationem in tortura.*

7 *Si non ratificet Reus, debet iterum torqueri.*

1 SI reus in tortura legitime adhibita confessus fuerit delictum, & post torturam debito interuallo illam

ratificet, debet condemnari, datis tamen prius illi defensionibus, vt superius dictum est: & est communis Doctorum sentētia, vt dicit Baldus l. 11. nu. 3. C. de Custod. reorum, quem refert Afflic. super 1. p. constit. regni. rub. 27. nu. 33.

2 Non esse autem standum confessioni factæ in tortura, nisi reus in illa perseueret, & eam ratificet extra tormenta iuridice, est communis opinio. Boer. decis. 163. num. 18. Brunus de indic. & tortur. fol. 134. num. 3. & fol. 146. numero 21. Abbas in cap. cum contemplatione num. 7. de reg. iur. Bart. in l. 1. ff. de custod. reor. Marian. de petit. c. qualiter, & quando num. 233. Prac. Miller. fol. 63. nu. 16.

3 Nec sufficit, quod tortus tacite perseueret in confessione non reuocando illam, sed opus est, quod illam expresse ratificet apud acta; & hæc est cōmunis practica, & consuetudo, vt dicit Ant. de Couar. de quæst. memb. 5. nu. 9. & alii cum Claro. q. 64. nu. 39.

4 Nec debet statim ratificatio fieri, quia tunc præsumeretur adhuc durare metum tormentorum: sed esse expectandum, & quiescendum per spatium vnius diei, est communis doctrina, & praet. huius articuli. Ant. Gomez. cap. 13. delic. nu. 34. Cæpol. consil. crim. 40. versic. & quod in occasu. Angel. in l. 2. num. 1. C. de Custod. reor. qui etiam dicunt, quod iudices, qui statim ducunt reos tortos ad ratificandum, pessime faciunt. Neque inter nos Regulares habet locum arbitrium, vt apud iudices sæculares, vt dicunt multi Doctores relati per Clarum q. cit. nu. 40. sed mitiorem partem, ac tutiorem sequi semper debemus, & semper saltem per vnum diem quiescere post illatam torturam, vt dictum est.

5 Debet

5 Debet etiã ratificatio fieri nõ in carcere, neque in loco, vbi reus tormẽta, vel instrumẽta ad torquendum parata videat; quia tunc duraret metus tormentorum, sed solutus debet esse, & ab omni tormentorum metu liber, quando ratificat. Bart. in l. 1. §. D. siue res numero 3. ff. de quæst. Bald. lib. 1. consil. in fin. Ioan. Andr. in cap. cum in contempl. de reg. iur. Aug. ad Angel. de malef. versic. fama publica. post num. 117. Talis autem ratificatio (quidquid sit de iudicibus sęcularibus) apud nos debet fieri apud Iudicem competẽtem cum solitis assessoribus, & cum iuramento, vt est omnium Prouinciarum consuetudo.

6 Quod vero post ratificationem reo debeat dari terminus ad se defendendum, & est cõmunis opinio, & obseruantia, vt dicit Maranta in suo speculo, & Clar. quæst. præalleg. nu. 43. valde criminatur, & damnat officiales parum doctos, qui talem practicam non obseruant; quia tunc damnaretur Reus indefensus, & addit, quod in facti contingentia fuit absolutus quidam, qui suam confessionem factam prius in tormentis, postea ratificauerat, quia probauit errorem suæ confessionis, vt refert Gram. super Constit. regni Neapolit. fol. 23. numero 23.

7 Denique si reus, facto debito interuallo, non ratificet suam confessionem, debet iterum torqueri, vt est communis practica, & dictum est supra: & dictum est etiam quoties, & qualiter debeat repeti, & adhiberi tortura, quando sit valida, nec ne.

De

De sponte confessis. *Cap. III.*

SVMMARIVM.

1 *Sponte confessus damnari debet.*

2 *Dandæ sunt tamen ei prius defensiones, quæ si non probent, damnandus est reus.*

3 *Quæ confessio spontanea non debet repeti, nec ratificari.*

4 *Diuersa remissiuè.*

1 VBi reus delictum sponte confessus fuerit, cum talis confessio contra eum plene probet, poterit ex illa condemnari, & est communis opinio, vt attestatur Bart. in tract. de quæst. vel Gandin. cuius asseritur ille tractatus, & alii, quos citat Clarus quæstio. 65. numero 1.

2 Aduertendum tamen cum eodem ibidem, quod sponte confessus non debet statim condemnari; sed ei dandæ sunt suæ defensiones cũ termino ad allegandũ, quidquid voluerit, vt liberetur: quo elapso termino, si nihil probet, condemnari debet: & hæc est communis practica, quam seruat totus Mundus. Salic. in l. 2. nu. 7. C. de custod. reorum. Bossius tit. de confes. num. 2. Ant. Gom. c. 12. delic. nu. 3. & alii, vt dictum est supra.

3 Confessio porro huiusmodi spõtanea, & iudicialis, de qua hic agimus, nõ debet repeti, nec ratificari: sed vnica tantum confessio talis sufficit ad cõdemnandum: & hęc est communissima opinio: Brunus de ind. & tort. fol. 146. nu. 21. Foller. in prac. crim. fol. 222. nu. 39. Dynus.

l. 2. ff.

l. 2. ff. de custod. reor. Gambin. in loc. præalleg. & alii, quos refert, & sequitur Clarus q. præalleg. nu. 2.

4 Cætera de confes. extraiud. & de adducendis pro cõfessione facta in iudicio siue per torturam, siue spontanea, latius tradita sunt superius.

Ad quos iudices spectet sententiare reos. Cap. IIII.

SVMMARIVM.

1 *Quando Prælati Regulares soli possunt processus per definitiuam sententiam terminare.*

2 *In sententiis condemnatiuis, non nisi cum assensu definitorii.*

3 *Generales de consensu Patrum Ordinis graues sententias ferre debent.*

4 *Et in prouinciis de consensu Diffinitorii, & similiter Prouinciales.*

5 *Secus lata sententia nulla erit.*

6 *Sed erit valida, vbi Diffinitores votum tantum consultiuum habent, licet iniusta.*

7 *Diffinitores liberè sententiam suam proferre tenentur.*

8 *Quare tacentes ob humanos respectus duplicem incurrunt culpam.*

9 *Quicquid secus Prælati affirmarent.*

10 *Præsertim in condemnatiuis sententiis.*

11 *Et ita ipsi, quod suum est, adimplent, quicquid inde sequatur.*

Licet

1 Licet ex dictis superius, vbi actum est de iudice competenti, constet, quia, vel ad Generales, vel Prouinciales Prælatos pertinet suos sententiare subditos, qui etiam forte vbi agitur de sola reorum iustificatione, & absolutione sine damno, & præiudicio tertii, vel partis, soli poterunt per sententias definitiuas quoscunque terminare processus per eosdem respectiue actitatos.

2 Verumtamen vbi agitur de sententia condemnatiua, & de graui pœna reo imponenda, nunquam vidi in ordine practicari, quod præfati Prælati soli absque consilio, & assensu Patrum ordinis, vel Prouinciæ respectiue sententient: quin secus facientes contra antiquam Patrum traditionem, & contra probatam ordinis consuetudinem, & contra Regularia instituta dubio procul agerent.

3 Generales itaq. Prælati in capitulis, vel cõgregationibus generalibus, & vbicunq. commode haberi poterit sufficiens numerus Diffinitorum Generalium, & Patrũ ordinis, semper de eorum cõsilio, & assensu graues quascunque sententias ferre debent, sicut per statuta generalia tam antiqua, quam moderna cautum est: vt constat per statuta Vallisoletana de anno 1593. fol. 206. tit. de Patribus ordinis. §. qui etiam in omnibus. fol. 207. tit. de Patribus vnius, vel alterius familiæ, ubi decernitur, prefatos Diffinitores Generales, & Patres ordinis habere votum consultiuum, & decisiuum, & vltra electiuum.

4 In Prouinciis vero quibuscunque prefati omnes Prelati tam Generales, quam Prouinciales nullam grauem sententiam ferre possunt absque consilio, & consensu Diffinitorum Generalium, si qui in Prouinciis respectiuè fuerint, & Diffinitorum Prouincialium eius Prouinciæ,

uinciæ, in qua sententia ferenda fuerit: nam præfati omnes votum consultiuum, & decisiuum habent vltra electiuum; vt patet per citata statuta, & per eadē fol. 219. tit. de his, qui a Diffinitorio vocandi sunt §. vltimo.

5 Quare cum non possint præfati superiores aliquam grauē sententiā contra delinquentes ferre sine consilio, & consensu maioris partis eorū, qui habent votum consultiuum, & decisiuum in Religionibus, vti sunt præfati omnes, consequens fit, vt secus lata sententia nullius extet valoris, & momenti, & prosus nulla reputanda, vt docet Roder. quæst. 45. ar. 2. ex iure communi, & ex Priuilegio quodam collato a Pio quinto Priori Generali ordinis D. Hieronymi, vt patet in compēdio Priuilegiorum illius ordinis verb. cōdemnare, vbi summus Pōtifex cōcedit Priori Generali, vt possit eiicere ab ordine delinquentes; at non nisi de consilio seniorum; seniores autem in quacunque probata Religione dubio procul sunt illi, qui votum consultiuum, & decisiuum habent, quorum consilium, & consensus nisi petatur, (inquit Roder. ibid.) sententia omnino erit nulla, argumēnto eorum, quæ docēt quidam iurisconsulti l. non aliter. ff. de usu, & habit. l. Nepos Proculo. ff. de verb. sig. & annotauit Scala de consilio sapien. lib. 1. cap. 27. & de contrac. & ult. uolunt. cap. 11. & Bursatus consil. 90. & hoc videtur conforme iuri communi episcoporum: nam in Concil. Carthag. cap. nullus episcopus. 11. q. 7. decernitur, quod nullus episcopus vllam causam audiat sine suorum Clericorum præsentia, alioquin sententia sit irrita; id ipsum stabilitum videtur in quadam decretali cap. 1. de excessibus Prælatorum, vbi statuitur, ne episcopus aliquam sententiam grauem ferat sine iudi-

cio

cio capitali Glos. ind. cap. primo Felin. c. irrefragabili cap. 2. de offic. Ant. de Butrio, Abbas, & Dominicus in cap. 1. de hære. lib. 6. Oltradus consil. 271. & Decretal. in c. quæsiui. de his, quæ fiunt a maiori parte: quem refert, & sequitur Glos. superius citata.

6 Optime etiam distinguit Rodericus ibidem, quod in Religionibus, vbi Diffinitores votum cõsultiuum tantum habent, & non decisiuum sententia lata sine eorũ consilio erit proculdubio iniusta, sed iure irrita non erit, aliud est enim sententiam esse nullam, aliud iniustam, ut traditur ab omnibus Doctoribus tam legistis, quam canonistis.

7 Præfati porro Diffinitores non sine graui eorum culpa silere possunt, vel in gratiã Prælatorũ, vel partis, vel ob quemcunq. aliũ respectum, quin pro sua conscientia clare, & sincere sententiam suam in medium proferant: ad quod adeo tenentur ex munere, vt etiam contradicentibus prȩfatis superioribus, vel silentium imponentibus, adhuc suam sententiam (cum debita tamen reuerentia) suis loco, & tempore, opportunis libere, & sincere omnino proferre debent: nam tunc non ȩstimandi tamquam subditi, sed tanquam Senatores, & cõsiliarii, & quidquid eis contra præfatum eorum munus iniuste præcipitur, est contra eorum animam, & conscientiam, quare nullatenus obedire tenentur, nec debent iuxta doctrinam D. Tho. receptam 2. 2. q. 104. art. 1.

8 Quin elicit Roder. q. cit. ar. 4. quòd quando res est talis, quod eã Diffinitores pro sua cõscientia nõ probent, si taceãt, & assurgãt cũ capitis inclinationẽ, duplicẽ includunt vno actu deformitatẽ; alterã omissionis, alterã cõmissionis iuxta doctrinã D. Th. p. 2. q. 72. ar. 3. & q. 79.

art.

art. 3. & D. Aug. cap. quisquis. 11. q. 3. & D. Chrisost. ibid. c. Nolite timere. vbi ait D. Aug. vterque est reus, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat: præfati autem Diffinitores primum reatum incurrunt tacentes, et secundum surgentes, et caput inclinantes, quin quicunque vocati ad diffinitorium, vt consentiant, vel contradicant, si præsentes sint, et taceant, etiam quod nullo actu exteriori id probent, habentur pro expresse consentientibus, et inuoluuntur eodem peccato, & pęna, cũ ex debito officii teneãtur libere suum ferre suffragium: Innocentius, et Abbas in cap. primo, num. 13. de his, quæ fiunt a maio. Iason in l. quia nu. 89. ff. solu. mat. Abbas ibidem, Gondisaluus. q. 5. nu. 15. & est communis, & recepta sententia.

9 Quæ doctrina vera est etiam, quod Prælati affirmarent se habere iustas, & validas causas aliquid faciendi, vel nõ faciẽdi; nam, si loquamur de sentẽtia absolutoria, dictũ est supra, quod soli Prælati Generales poterũt pro sua conscientia reos absoluere ponderatis ponderandis, vt ibidem notatum est: et eo casu diffinitores saluo semper meliori iudicio conscientiam propriam exonerare possunt supra Prælatorum scientia, et consciẽtia.

10 Si vero loquamur de sententia cõdemnatoria, vel aliqua alia graui causa, in qua notabile detrimentum, vel reipublicæ, vel tertio, vel parti sequatur, Diffinitores numquam suam sententiam proferre poterunt, nisi secundum propriam scientiam, et conscientiam, et secundum allegata, et probata, quidquid secus asserant Generales, vel Prouinciales Prælati; et contradicere tenentur, vt superius edictum est.

11 Etiam

11 Etiam, quod præcognoſcerent certo, quod eorũ ſententia non obſtante pręfati Prælati ſecus deciſuri, & determinaturi eſſent: nam iuxta doctrinam D. Tho. par. 2. quæſt. 14. artic. 2. quando aſſumitur aliquis ad aliquod munus, ad media tantum adhibenda tenetur, quæ ſunt propria illius muneris, & quę ab eo p̃ſtari poſsũt, quidquid ſit de fine aſſequendo, qui aliunde pendet, & ita Nicolaus Papa epiſt. 9. ad Michaelem Imperatorem ait: Debet ſedes Apoſtolica facere, quod ſuum eſt, neq; faſtidire laborem; Deo autẽ, cuius eſt bene cępta perficere, laboris effectum relinquere. Diffinitores igitur ſimiliter tenentur, quod ſuum eſt præſtare, & quod ſui muneris eſt omnino perficere: nec illud ſine graui culpa, & aliorum ſcandalo omittere poſſunt, & ſic ab omni culpa ſunt liberi, & immunes, quicquid poſtea ſecus decernant, vel determinent Prælati, etiam quod proteruiores, & crudeliores ex cõtrario Diffinitorum voto euaderent, nam totum ex propria eorum malitia orirerur, Diffinitoribus tuta, & ſerena conſcientia integre remanentibus.

Quibus Regulis debeat ferri ſententia.

Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Non tenentur Regulares ad ſolemnitates iuris.*

2 *Similiter non requiritur, quod pars ſit præſens, nec obſtat nox, vel feria.*

3 *Nec eſt neceſſarium exprimi cauſam condemnationis.*

4 *Adhortatio ad Prælatos.*

9 Veri-

5 *Veritatem nec iota vnum vnquam deserant, cætera moderari possunt.*

6 *Veritati innixi media incedant via.*

7 *Et si in alterum contingat labi extremum, ad misericordiam deflectant.*

8 *Ne sit autem indulgentia nimia, ne vitia nutriat.*

9 *Duæ autem dantur ad hoc regulæ.*

1 CVm Regulares iuxta indultũ Bonifacii VIII. sæpius citatũ, non teneantur ad solẽnitates iuris in sententiis ferendis, primo non requiritur, quod ore proprio sententiam proferant; & quod pro tribunali sedeant. c. fin. extra de sent. & re iudic. in 6. sed sufficit, quod per secretarium Prouinciæ, vel alium Patrem eius vicem supplentem reo pronuncietur, & publicetur.

2 Nec requirit̃, q̃ pars sit p̃sens, vel citet̃. Nec obstat, si feratur de nocte, vel dieb. feriatis: quæ oĩa, & similia apud Regulares numquam in aliqua fuerunt obseruantia.

3 Nec requiritur in sentẽtia exprimi causam condemnationis, licet Albericus in l. properandum. §. illo num. 34. C. de iudic. (perperam a nonnullis citatus) contrarium sentiat, dicens, quod continuè seruatur de facto, quod in sententiis inferatur causa, quem refert Aug. ad Angelum de malef. in verb. & quia nobis. num. 4. subdens, quod si ista sunt in obseruantia, non debemus ab ipsa recedere; & certè inter nos ita practicari semper obseruaui; & nullã vnquã vidi ferri sententiã, nisi distinctè expressa causa. Clarus autem q. 93. numero secundo, dicit talem practicam non seruari in sua Prouincia, nisi quando rei in contumaciam condemnantur; sed quando sunt præsentes, non dicitur, nisi viso processu,

condemnamus, vel absoluimus, & sententia valet, & tenet. Poterit itaque exprimi causa iuxta communem practicam, sed non est necessarium.

4 Quod verò omnino seruare debent, est, quod grauiter, & serio animaduertant, & ponderent, quod actus iustitiæ, auctoritasque iudicandi est quædam potestas à Deo delegata hominibus, vt sacri canones proclamant, cap. non solum, & cap. qui malus. 21. quęstio. 4. & eorum iudicium de vultu Dei prodire censetur c. vt nostrum. de appellatio. Quare prudentes, & iusti iudices Deum imitari, & illum præ oculis habere semper debent: & secundum iustitiam, & veritatem, & sacros Canones in ipsa fundatos suas ferre sententias, cap. cum Paulus. 1. q. 1.

5 Veritatem igitur, vt fundamentum totius ædificii iudiciorum quilibet iudex exactissimè necessario custodire, & subsequi tenetur, et ab ea, nec vnguem quidem discedere: ipsa enim in omnibus primatum tenet, estque iustitiæ, misericordiæ, & pacis vera, & vnica mater, & nutrix, & sine qua nulla earum recta consistere potest, & cum qua omnia retificātur; in misericordia enim, & iustitia, ex quibus pax oritur Reipubl. & priuatorum, poterit iudex secundum exigentiam circunstantiarum, delictorum, et personarum magis restringi, vel dilatari, vt inferius dicetur; sed a veritate, nec iota vnum, vel apicem deflecti vnquam licebit Bal. in c. quoniam cōtra de probat. et can. quęritur. 24. q. 8. Isid. de sum. bo. & Christus ipse Ioan. 4. ego sum via, veritas, & vita.

6 Hoc iacto, & inconcusse constabilito veritatis fundamento poterunt iudices pro eorum prudentia in crimi-

num

num animaduersione misericordiã, & iustitiam contemperare, vt inde perpetua Reipublicæ oriatur pax, & trãquillitas, quod est pręcipuus iustitiæ finis præcinente, & proclamante Propheta psal. 84. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt. Caueant itaque Prælati, ne inanis gloriæ cupidi, vt iusti appareant, nimia seueritate vtantur: & inde carnifices potius, quam iudices euadant: nec e contra, impia misericordia commoti, leuiorem pœnam, quam ipsa delicta exposcunt, & quam Reipub. fuerit expediens, infligant, sed regia incedant via super veritatis fundamento ædificando, & conglutinãdo misericordiam cum iustitia, vt nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta, vt ait D. Greg. lib. 19. moral. c. 23. sed iustam in manu stateram gestent, & æquo libramine misericordiam cum iustitia pensent, & contemperent.

7 Quod si in alterum extremum labi contigerit, cum Pręlati Regulares potius Patres, & Pastores, quam iudices more maiorum appellentur, & verè appellari posse desiderare debent, & quærere, potius ad misericordiã lată, quã ad rigorosam iustitiã deflectãt, cum iuxta sacros canones Clericorũ, et Monachorũ correctio magis verbis, quam verberibus fieri debeat. cap. plerique dist. 6. et Prælati, qui potius verberibus timeri volunt, quã verbis corrigere subditos, ab officio sunt deponẽdi dist. 45. c. 1. et seq. et c. episcopis. 3. p. lect. 4. nu. 25.

8 Verumtamẽ nè sit nimia indulgentia, ne detur occasio flagitia iterum committendi: neque enim est misericors, qui vitiis nutriendis, et fouendis paret, vt sancti docuerunt Pratres c. qui vitiis et cap. de his lo. 23. lect. 6. et D. Greg. in expos. psal. Lætabitur iustus etc. Pestem Rei

pub. ait esse, reos cũ rigore non corrigere. Æquitas igitur nõ ex iudicis imaginatione, sed ab aliqua rationabili causa iuribus regulata procedere debet: Bald. in rub. de const. pecun. Romanus cons. 149. Molineus in consuet. Pari. tit. 11. de mater. feudal. §. 41. nu. 46.

9 Vt igitur nullatenus contingat errare, regulas duas inuenio a maiorib. practicatas, & seruatas, & posteris demandatas. Prima est, vt misericordia eatenus seruetur, quatenus iustitia nullũ patiatur detrimentũ, præsertim cum aliorũ scandalo, & relaxatione. Secunda est infallibilis, quod nunquam iudices ad punitionẽ, & vltionem, & vindictam principaliter intẽdere debent, quia ea sunt in Rep. penitus per accidens, vt aduertũt oẽs Theologi, Philosofi, & Iurisperiti: sed præcipua, & principalis iudicũ intentio debet esse omnino malorum correctio, & emenda, vt Respublica vitiis, & vitiorũ patratorib. expurgata, quieta, pacifica, & tranquilla degat, & incedat. Hic finis præcipuus: huc omnia dirigenda media, hic totis incumbendũ virib. ab omni iusto, & recto iudice, & in eo gradu iustitia, vel misericordia seruanda, quæ prædictum finem, & scopum attingere, posse recto, & iusto iudicio videatur.

De pœnis iuxta leges imponendis. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Iudices non secundum rigorem legum, sed conformiter ad eas procedant.*

2 *Præsertim vero statutis Regul. se conforment.*

3 *Deficientibus iis ad sacros recurrant canones.*

4 *Si canones desint, ad ius imperatorium recurrant proportionate ad statum regularem.*

Ex

1 EX superius dictis constat numquam summum rigorem iuris obseruari debere a iudicibus, verumtamen iuribus, & statutis regularibus conformare se debent in ferendis sententiis; quare hæc omnia in primis callere debent, quæ, si ignorent, videant ipsi quomodo iudicis munus exequi possunt.

2 Primo itaque statutis regularibus, quæ pia, & mitiora vt plurimum sunt, in infligendis pęnis se omnino confirment, & iuxta eorum sancita sententias proferant, & pœnas infligant.

3 Vbi illa deficiunt, ad sacros recurrãt Canones in corrigendis Religiosorum prauis, & corruptis moribus, vt in sacro sancto Concilio Tridentino sess. 14. in prœmio de reform. decernitur, & sess. 6. c. 6. de reform. quæ enim ibi de episcopis statuuntur (exceptis his, quæ statui regularium coaptari nequeunt) Prælatis regularibus omnino congruunt, cum ipsi ex munere sibi commisso eamdem habeant circa suos subditos Apostolicę solicitudinis cõmissionem: quare, vt aduertit Roder. q. 22. ar. 2. quemadmodum episcopi iurant seruare canones, etsi eos ex contemptu transgrediuntur, periuri reputantur. Panorm. cap. cum non liceat col. 1. de rescrip. Felin. in ca. ego. de iureiur. ita Prælati Regulares, etsi non iurent seruare canones, tamen ratione assumptę iurisdictionis, illã secundum sacros canones exercere debent, et si illis contemptis alia non iuridica gradiantur via, a culpa mortali minime sunt immunes.

4 Vbi vero sacri defecerint Canones, & Religionum statuta, debent ad ius ciuile Romanorum Imperatorum recurrere, potius quam propriam sequi capitis opinionem; ius enim ciuile, et canonicum mutua subuentione

sibi inuicem suffragari consueuerunt in c. suscepitis, et in c. si adiutorium. dist. 10. non rigorose tamen illud ius obseruando, sed proportionate ad regularia instituta illi se conformando: nam iudices Regulares non debent per legem ciuilem regi, quia lex ita decernit, sed quia ratio, qua lex vtitur, sic requirit, Baldus in l. iudices C. de sen. Cumanus consil. 14. Decius in l. senium. de his, qui test. facer. poss.

De Pœnis arbitrariis. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Deficiente omni iure ad consuetudines arbitrando pœnas recurrant.*

2 *Etiam iuribus conformare se debent similia ex similibus eliciendo.*

3 *Praeterea omnes, & singulae circumstantiae ponderandae.*

4 *Et potest arbitraria pœna se ad mortem extendere.*

5 *Mitiorem tamen pęnam eligere debet iudex intra terminos iustitiae.*

6 *Pęnam expulsionis ab ordine practicari vellet Auctor.*

7 *Iudex excedens pœnam solitam tenetur de syndicatu, & ad restitutionem.*

1 VBi denique oĩa deficerent iura, & nulla esset pro aliquo delicto pœna decreta, sed arbitrio iudicis relicta, primo loco debet iudex iuxta legitimas, & probatas ordinis consuetudines pęnas infligere Imola, & Abbas, & De-

& Decius in cap. de causis. de offic. delegat. & Tiraquel. in tract. de pen. in præfa. num. 14. Caueant tamen Prælati a prauis cōsuetudinibus, quæ potius corruptelæ, & abusus dici debent, & ne fallantur sub specie pietatis, impietatem amplectentes: de his enim omnibus strictam Deo debent reddere rationem.

2 Quare vlterius quando a iure non est pena statuta, conformari tamen se debet iudex in arbitrādis penis legibus, & iuribus eliciendo ex similibus similia Baldus in rubr. C. de constit. pecul. Romanus Consil. 149. tit. 1. §. 24. nu. 86. Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. de reform. Innocen. cap. qualiter, & quando versic. Item denota. Anton. Gomez. lib. 3. variar. cap. 6. nu. 7.

3 Preterea oculatè aduertit Diaz in sua pract. cap. 147. num. 2. quod in arbitrandis penis, iudex omnes, & singulas ponderare debet circumstantias, videlicet delinquentis conditionem, gradum, & statum: an sit solitus delinquere in eodem genere, an casu acciderit, an prouocatus, lacessitus, vel coactus, an volens, & lubens, an delictum fuerit cum scandalo: similiter circumstantiæ loci, & temporis discutiendæ, & diuturnitas, & grauitas, vel atrocitas delicti; & an sit damnum tertio, vel Reipublicæ, & si aliqua sit persona offensa, & cuius gradus, & dignitatis existat, & similiter offensæ, vel damni magnitudo, & omnes aliæ consimiles circumstantię ponderandæ, & iuxta eas penæ infligendæ.

4 Denique notandum iuxta Maranthám 2. par. 4. par. princ. num. 59. & sequentibus, quod pœna arbitraria extendere se potest vsque ad pœnam mortis inclusiuè.

5 Veruntamen iuxta doctrinā Bal. in l. quicumque col. 4. C. de seruis fugitiuis, iudex in arbitrandis pœnis mi-

tiorem semper debet eligere pęnam, sic in l. præses, & in l. de interpretat. ff. de pęnis. quod proculdubio semper locum habet inter Regulares, vti sæpius dictum est, intra tamen iustitiæ terminos.

6 Inter quos notat Rodericus q. 23. artic. 1. quod pęnæ sanguinis, & mortis correspondet pœna expulsionis a Religione, & priuationis habitus Regularis: & hæc mea sententia, vt infra latius dicetur, deberet in vsu poni, & practicari potius, quam ad aliquam aliam consimilem recurrere, quæ crudelior, & atrocior apud viros perfectissimę lenitatis apparere posset: dummodo maiores, ad quos pertinet, id consentiant, vel permittant.

7 Aduertendum tamen, quod vbi pro delictis non potest imponi pœna priuationis habitus, sed minor secundum consuetudinem, vel statuta, vel iura, tunc iudex excedendo pœnam solitam, vel delicto competentem, grauaret partem, & teneretur ad restitutionem, et de syndicatu iuxta ea, quæ tradunt Bald. in l. quæcũq. com. 4. ver. scias tantum. de seruis fugitiuis. Felin. cap. de causis. col. 1. de offic. deleg. Abbas in cap. Inquisitio. col. fi. de accusat. Diaz in pract. crim. cap. 23. et communis, et recepta opinio.

De Pęnis complicibus variis imponendis Cap. VIII.

S V M M A R I V M.

1 *Potens prohibere, & non prohibens, non est puniendus, nisi quatuor concurrant.*

2 *Discrimen inter non defendere, & consentire, & auxi-*

auxiliari, & solum tertium est punibile.

3 *Nec sola scientia delicti est punibilis, sicut neq. consensus, nisi casibus lege expressis, vel atrocibus.*

4 *In aliis nullus est puniendus, nisi præsumatur auxilium.*

5 *Ratificans delictum eadem pęna punitur.*

6 *Similiter consilians, ex cuius consilio delictum sequatur.*

7 *Mandans pari pęna cum delinquente puniendus.*

8 *Quare mandans vulnerari tantum tenetur de homicidio, si sequatur, omissa protestatione.*

9 *Contra mãdans percuti leuiter cum protestatione expressa ne occidatur.*

10 *Et simili pęna puniendus mandans, si nullus sequatur effectus.*

11 *Reuocans vero mandatum cum requisitis non est puniendus, quidquid sequatur.*

12 *Auxilians vero post commissum delictum tantum, quomodo puniendus.*

13 *Similiter tractatus, & conatus, non sequuto effectu, vel nullatenus, vel mitius punendi.*

14 *Exceptis casibus a iure expressis.*

1 IN sententiis ferendis condemnatiuis sæpius contingit, vt pro eodem crimine multi veniant condemnandi pœnis diuersis, quia diuerse concurrerunt in patratum crimen. Primo itaque potens prohibere, ne committatur delictum, & non prohibens non potest puniri in foro fori, nisi quattuor concurrant iuxta doctrinam Nauar. in Manual. cap. 24. num. 19. scilicet, potestas impediendi, obligatio id faciendi, commoditas eiusdem

eiusdem, & notorietas delicti: hoc est, cum delictum illud manifeste committatur; his enim concurrentibus non solum præsumitur consensus, qui non est puniendus in foro fori; sed etiam auxilium per caput quantę. de sent. excom. per quod quis puniri debet.

2 Quare notandũ ex eodem Nauar. ibidem, quod multũ interest inter nõ defendere solũ, & consentire, & iterũ inter consentire, & auxiliũ præbere; quia primũ, & secũdum tantũ sunt peccata contra charitatẽ, Sotus de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 3. Tertium vero contra iustitiam: & hinc illa non obligant ad restituendum; tertium vero sic; & denique illa non sunt punienda in foro fori, tertium vero sic; cõmunis enim opinio, quam tenet Panormitan. in cap. primo de restit. spol. & quam dicit esse communem Decius in c. primo de offic. delegat. & in l. culpa caret. ff. de regul. iuris, & Iason in l. vt vim. ff. de iustit. & iure. docet, quod qui solum non defendit, iniuriæ consentire præsumitur, non tamen præsumitur auxiliari iniuriam ferenti, & nullo iure neque ciuili, neque canonico puniri debet in foro exteriori, qui autem præsumitur auxiliari, vtroque iure puniendus est in exteriori foro, vt omnes docent in capit. 1. de offic. deleg.

3 Ex quibus constat, quod sola scientia delicti commissi multo minus est punibilis in foro fori; cum non sit punibilis non prohibitio, vel consensus, nisi simul præsumatur auxilium, exceptis casib. læsæ Maiestatis, vt inter nos cõspirationes, & tractatus cõtra personã Generalis, vel contra statum ordinis, & similia, vel vbi leges apertè decernunt, quod sciens, & non reuelans, vel non prohibens, si potest, vel consentiens, pari pœna punietur

cum

cum patratoribus delicti, vel paulo minori iuxta delicti circumstantias ad arbitrium iudicis, vel iuxta leges id decernentes.

4 In cæteris omnibus (quidquid dicant alii) nullus nec Prælatus, nec subditus est puniendus in foro fori, nisi quatuor illis concurrentibus circunstantiis superius positis, ex quibus auxilium præsumitur iuxta Nauarræ doctrinam; cui ego lubens, volensque subscribo.

5 Ratificans etiam delictum suo nomine commissum puniri debet eadem pœna cum delicti patratore. Aret. consil. 163. nu. 3.

6 Item consilium dans, ex quo sequatur delictum, quod delinquens non erat commissurus absque tali consilio, pari pœna cum delinquente est puniendus: si vero etiam cessante illo consilio peccatum patrasset delinquens, tunc mitiori pœna puniendus est consulens, & est communis recepta sententia Doctorum in capit. 1. de offic. deleg. & specialiter Imola num. 9. & Felin. num. 8. & Dec. num. 9. & alii: quos citat, & sequitur Clarus q. 88. num. 1. & idem omnino docet de exhortante, & persuadente, qui parificantur cum consulente ibid. nu. 2.

7 Idem mandans, si sequatur delictum, puniendus pari cum delin[illegible] Bart. in l. non solum §. si man-[illegible] nec est distinguendum mea sente[illegible]gulares, an statutum aliquod cadat [illegible]n personam; quia hoc est de apice iuris: ad expurgationem autem Religionis perfectam omnes mandantes quomodocumq. ex quorum mandato sequatur delictũ, siue mediate, siue immediate pari pęna cum delinquentib. puniendi sunt Carrer. in 2. p. de homicid. §. circa tertium. cum aliis ab eodem relatis ibidem.

8 Man-

condemnamus, vel absoluimus, & sententia valet, & tenet. Poterit itaque exprimi causa iuxta communem practicam, sed non est necessarium.

4 Quod verò omnino seruare debent, est, quod grauiter, & serio animaduertant, & ponderent, quod actus iustitiæ, auctoritasque iudicandi est quædam potestas à Deo delegata hominibus, vt sacri canones proclamant, cap. non solum, & cap. qui malus. 2 1. quęstio. 4. & eorum iudicium de vultu Dei prodire censetur c. vt nostrum. de appellatio. Quare prudentes, & iusti iudices Deum imitari, & illum præ oculis habere semper debent: & secundum iustitiam, & veritatem, & sacros Canones in ipsa fundatos suas ferre sententias, cap. cum Paulus. 1. q. 1.

5 Veritatem igitur, vt fundamentum totius ædificii iudiciorum quilibet iudex exactissimè necessario custodire, & subsequi tenetur, et ab ea, nec vnguem quidem discedere: ipsa enim in omnibus primatum tenet, estque iustitiæ, misericordiæ, & pacis vera, & vnica mater, & nutrix, & sine qua nulla earum recta consistere potest, & cum qua omnia retificātur; in misericordia enim, & iustitia, ex quibus pax oritur Reipubl. & priuatorum, poterit iudex secundum exigentiam circunstantiarum, delictorum, et personarum magis restringi, vel dilatari, vt inferius dicetur; sed à veritate, nec iota vnum, vel apicem deflecti vnquam licebit Bal. in c. quoniam cōtra de probat. et can. quęritur. 24. q. 8. Isid. de sum. bo. & Christus ipse Ioan. 4. ego sum via, veritas, & vita.

6 Hoc iacto, & inconcusse constabilito veritatis fundamento poterunt iudices pro eorum prudentia in crimi-

num

num animaduersione misericordiā, & iustitiam contemperare, vt inde perpetua Reipublicæ oriatur pax, & trāquillitas, quod est pręcipuus iustitiæ finis præcinente, & proclamante Propheta psal. 84. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt. Caueant itaque Prælati, ne inanis gloriæ cupidi, vt iusti appareant, nimia seueritate vtantur: & inde carnifices potius, quam iudices euadant: nec e contra, impia misericordia commoti, leuiorem pœnam, quam ipsa delicta exposcunt, & quam Reipub. fuerit expediens, infligant, sed regia incedant via super veritatis fundamento ædificando, & conglutinādo misericordiam cum iustitia, vt nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta, vt ait D. Greg. lib. 19. moral. c. 23. sed iustam in manu stateram gestent, & æquo libramine misericordiam cum iustitia pensent, & contemperent.

7 Quod si in alterum extremum labi contigerit, cum Pręlati Regulares potius Patres, & Pastores, quam iudices more maiorum appellentur, & verè appellari posse desiderare debent, & quærere, potius ad misericordiā laxā, quā ad rigorosam iustitiā deflectāt, cum iuxta sacros canones Clericorū, et Monachorū correctio magis verbis, quam verberibus fieri debeat. cap. plerique dist. 6. et Prælati, qui potius verberibus timeri volunt, quā verbis corrigere subditos, ab officio sunt deponēdi dist. 45. c. 1. et seq. et c. episcopis. 3. p. lect. 4. nu. 25.

8 Verumtamē nè sit nimia indulgentia, ne detur occasio flagitia iterum committendi: neque enim est misericors, qui vitiis nutriendis, et fouendis parcet, vt sancti docuerunt Patres c. qui vitiis et cap. de his lo. 23. lect. 6. et D. Greg. in expos. psal. Lætabitur iustus etc. Pestem Rei

pub. ait esse, reos cũ rigore non corrigere. Æquitas igitur nõ ex iudicis imaginatione, sed ab aliqua rationabili causa iuribus regulata procedere debet. Bald. in rub. de const. pecun. Romanus consi. 149. Molineus in consuet. Pari. tit. 11. de mater. feudal. §. 41. nu. 46.

9 Vt igitur nullatenus contingat errare, regulas duas inuenio a maiorib. practicatas, & seruatas, & posteris demandatas. Prima est, vt misericordia eatenus seruetur, quatenus iustitia nullũ patiatur detrimentũ, præsertim cum aliorũ scandalo, & relaxatione. Secunda est infallibilis quod nunquam iudices ad punitionẽ, & vltionem, & vindictam principaliter intẽdere debent, quia ea sunt in Rep. penitus per accidens, vt aduertũt oẽs Theologi, Philosofi, & Iurisperiti: sed præcipua, & principalis iudicũ intentio debet esse omnino malorum correctio, & emenda, vt Respublica vitiis, & vitiorũ patratorib. expurgata, quieta, pacifica, & tranquilla degat, & incedat. Hic finis præcipuus: huc omnia dirigenda media; hic totis incumbendũ virib. ab omni iusto, & recto iudice, & in eo gradu iustitia, vel misericordia seruanda, quæ prædictum finem, & scopum attingere, posse recto, & iusto iudicio videatur.

De pœnis iuxta leges imponendis. Cap. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Iudices non secundum rigorem legum, sed conformiter ad eas procedant.*

2 *Præsertim vero statutis Regul. se conforment.*

3 *Deficientibus iis ad sacros recurrant canones.*

4 *Si canones desint, ad ius imperatorium recurrant proportionate ad statum regularem.*

1 EX superius dictis constat numquam summum rigorem iuris obseruari debere a iudicibus, verumtamen iuribus, & statutis regularibus conformare se debent in ferendis sententiis; quare hæc omnia in primis callere debent, quæ, si ignorent, videant ipsi quomodo iudicis munus exequi possunt.

2 Primo itaque statutis regularibus, quæ pia, & mitiora vt plurimum sunt, in infligendis pœnis se omnino confirment, & iuxta eorum sancita sententias proferant, & pœnas infligant.

3 Vbi illa deficiunt, ad sacros recurrãt Canones in corrigendis Religiosorum prauis, & corruptis moribus, vt in sacro sancto Concilio Tridentino sess. 14. in proœmio de reform. decernitur, & sess. 6. c. 6. de reform. quæ enim ibi de episcopis statuuntur (exceptis his, quæ statui regularium coaptari nequeunt) Prælatis regularibus omnino congruunt, cum ipsi ex munere sibi commisso eamdem habeant circa suos subditos Apostolicę solicitudinis cõmissionem: quare, vt aduertit Roder. q. 22. ar. 2. quemadmodum episcopi iurant seruare canones, etsi eos ex contemptu transgrediuntur, periuri reputantur. Panorm. cap. cum non liceat col. 1. de rescrip. Felin. in ca. ego. de iureiur. ita Prælati Regulares, etsi non iurent seruare canones, tamen ratione assumptę iurisdictionis, illã secundum sacros canones exercere debent, et si illis contemptis alia non iuridica gradiantur via, a culpa mortali minime sunt immunes.

4 Vbi vero sacri defecerint Canones, & Religionum statuta, debent ad ius ciuile Romanorum Imperatorum recurrere, potius quam propriam sequi capitis opinionem; ius enim ciuile, et canonicum mutua subuentione

ſibi inuicem ſuffragari conſueuerant in c. ſuſcepitis, & in c. ſi adiutorium. diſt. 10. non rigoroſe tamen illud ius obſeruando, ſed proportionate ad regularia inſtituta illi ſe conformando: nam iudices Regulares non debent per legem ciuilem regi, quia lex ita decernit, ſed quia ratio, qua lex vtitur, ſic requirit, Baldus in l. iudices C. de ſen. Cumanus conſil. 14. Decius in l. ſenium. de his, qui teſt. facer. poſſ.

De Pœnis arbitrariis. *Cap.* *VII.*

SVMMARIVM.

1 *Deficiente omni iure ad conſuetudines arbitrando pœnas recurrant.*

2 *Etiam iuribus conformare ſe debent ſimilia ex ſimilibus eliciendo.*

3 *Præterea omnes, & ſingulæ circumſtantiæ ponderandæ.*

4 *Et poteſt arbitraria pœna ſe ad mortem extendere.*

5 *Mitiorem tamen pœnam eligere debet iudex intra terminos iuſtitiæ.*

6 *Pœnam expulſionis ab ordine practicari vellet Auctor.*

7 *Iudex excedens pœnam ſolitam tenetur de ſyndicatu, & ad reſtitutionem.*

1 VBi denique oĩa deficerent iura, & nulla eſſet pro aliquo delicto pœna decreta, ſed arbitrio iudicis relicta, primo loco debet iudex iuxta legitimas, & probatas ordinis conſuetudines pœnas infligere Imola, & Abbas,

& De-

& Decius in cap. de causis. de offic. delegat. & Tiraquel. in tract. de pen. in præfa. num. 14. Caueant tamen Prælati a prauis cõsuetudinibus, quæ potius corruptelæ, & abusus dici debent, & ne fallantur sub specie pietatis, impietatem amplectentes: de his enim omnibus strictam Deo debent reddere rationem.

2 Quare vlterius quando a iure non est pęna statuta, conformari tamen se debet iudex in arbitrãdis pęnis legibus, & iuribus eliciendo ex similibus similia Baldus in rubr. C. de constit. pecul. Romanus Consil. 149. tit. 1. §. 24. nu. 86. Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. de reform. Innocen. cap. qualiter, & quando versic. Item denota. Anton. Gomez. lib. 3. variar. cap. 6. nu. 7.

3 Pręterea oculatè aduertit Diaz in sua pract. cap. 147. num. 2. quod in arbitrandis pęnis, iudex omnes, & singulas ponderare debet circumstantias, videlicet delinquentis conditionem, gradum, & statum: an sit solitus delinquere in eodem genere, an casu acciderit, an prouocatus, lacessitus, vel coactus, an volens, & lubens, an delictum fuerit cum scandalo: similiter circumstantiæ loci, & temporis discutiendæ, & diuturnitas, & grauitas, vel atrocitas delicti; & an sit damnum tertio, vel Reipublicæ, & si aliqua sit persona offensa, & cuius gradus, & dignitatis existat, & similiter offensæ, vel damni magnitudo, & omnes aliæ consimiles circumstantię ponderandæ, & iuxta eas pęnæ infligendæ.

4 Denique notandum iuxta Marantham 2. par. 4. par. princ. num. 59. & sequentibus, quod pœna arbitraria extendere se potest vsque ad pœnam mortis inclusiuè.

5 Veruntamen iuxta doctrinã Bal. in l. quicumque col. 4. C. de seruis fugitiuis, iudex in arbitrandis pœnis mi-

tiorem semper debet eligere pęnam, sic in l. præses, & in l. de interpretat. ff. de pęnis. quod proculdubio semper locum habet inter Regulares, vti sæpius dictum est, intra tamen iustitiæ terminos.

6 Inter quos notat Rodericus q. 23. artic. 1. quod pęnæ sanguinis, & mortis correspondet pœna expulsionis a Religione, & priuationis habitus Regularis: & hæc mea sententia, vt infra latius dicetur, deberet in vsu poni, & practicari potius, quam ad aliquam aliam consimilem recurrere, quæ crudelior, & atrocior apud viros perfectissimę lenitatis apparere posset: dummodo maiores, ad quos pertinet, id consentiant, vel permittant.

7 Aduertendum tamen, quod vbi pro delictis non potest imponi pœna priuationis habitus, sed minor secundum consuetudinem, vel statuta, vel iura, tunc iudex excedendo pœnam solitam, vel delicto competentem, grauaret partem, & teneretur ad restitutionem, et de syndicatu iuxta ea, quæ tradunt Bald. in l. quæcũq. com. 4. ver. scias tantum. de seruis fugitiuis. Felin. cap. de caussis. col. 1. de offic. deleg. Abbas in cap. Inquisitio. col. fi. de accusat. Diaz in pract. crim. cap. 23. et communis, et recepta opinio.

De Pęnis complicibus variis imponendis Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Potens prohibere, & non prohibens, non est puniendus, nisi quatuor concurrant.*

2 *Discrimen inter non defendere, & consentire, &* *auxi-*

auxiliari, & solum tertium est punibile.

3 *Nec sola scientia delicti est punibilis, sicut neq. consensus, nisi casibus lege expressis, vel atrocibus.*

4 *In aliis nullus est puniendus, nisi præsumatur auxilium.*

5 *Ratificans delictum eadem pęna punitur.*

6 *Similiter consilians, ex cuius consilio delictum sequatur.*

7 *Mandans pari pęna cum delinquente puniendus.*

8 *Quare mandans vulnerari tantum tenetur de homicidio, si sequatur, omissa protestatione.*

9 *Contra mādans percuti leuiter cum protestatione expressa ne occidatur.*

10 *Et simili pęna puniendus mandans, si nullus sequatur effectus.*

11 *Reuocans vero mandatum cum requisitis non est puniendus, quidquid sequatur.*

12 *Auxilians vero post commissum delictum tantum, quomodo puniendus.*

13 *Similiter tractatus, & conatus, non sequuto effectu, vel nullatenus, vel mitius punendi.*

14 *Exceptis casibus a iure expressis.*

1 IN sententiis ferendis condemnatiuis sæpius contingit, vt pro eodem crimine multi veniant condemnandi pœnis diuersis, quia diuerse concurrerunt in patratum crimen. Primo itaque potens prohibere, ne committatur delictum, & non prohibens non potest puniri in foro fori, nisi quatuor concurrant iuxta doctrinam Nauar. in Manual. cap. 24. num. 19. scilicet, potestas impediendi, obligatio id faciendi, commoditas

ciusdem

ciusdem, & notorietas delicti: hoc est, cum delictum illud manifeste committatur; his enim concurrentibus non solum præsumitur consensus, qui non est puniendus in foro fori; sed etiam auxilium per caput quantę. de sent. excom. per quod quis puniri debet.

2 Quare notandũ ex eodem Nauar. ibidem, quod multũ intereſt inter nõ defendere solũ, & consentire, & iterũ inter consentire, & auxiliũ præbere; quia primũ, & secũdum tantũ sunt peccata contra charitatẽ, Sotus de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 3. Tertium vero contra iustitiam: & hinc illa non obligant ad restituendum; tertium vero sic; & denique illa non sunt punienda in foro fori, tertium vero sic; cõmunis enim opinio, quam tenet Panormitan. in cap. primo de restit. spol. & quam dicit esse communem Decius in c. primo de offic. delegat. & in l. culpa caret. ff. de regul. iuris, & Iason in l. vt vim. ff. de iustit. & iure. docet, quod qui solum non defendit, iniuriæ consentire præsumitur, non tamen præsumitur auxiliari iniuriam ferenti, & nullo iure neque ciuili, neque canonico puniri debet in foro exteriori, qui autem præsumitur auxiliari, vtroque iure puniendus est in exteriori foro, vt omnes docent in capit. 1. de offic. deleg.

3 Ex quibus constat, quod sola scientia delicti commissi multo minus est punibilis in foro fori; cum non sit punibilis non prohibitio, vel consensus, nisi simul præsumatur auxilium, exceptis casib. læsæ Maiestatis, vt inter nos cõspirationes, & tractatus cõtra personã Generalis, vel contra statum ordinis, & similia, vel vbi leges apertè decernunt, quod sciens, & non reuelans, vel non prohibens, si potest, vel consentiens, pari pœna punietur

cum

cum patratoribus delicti, vel paulo minori iuxta delicti circumstantias ad arbitrium iudicis, vel iuxta leges id decernentes.

4 In cæteris omnibus (quidquid dicant alii) nullus nec Prælatus, nec subditus est puniendus in foro fori, nisi quatuor illis concurrentibus circunstantiis superius positis, ex quibus auxilium præsumitur iuxta Nauarræ doctrinam; cui ego lubens, volensque subscribo.

5 Ratificans etiam delictum suo nomine commissum puniri debet eadem pœna cum delicti patratore. Aret. consil. 163. nu. 3.

6 Item consilium dans, ex quo sequatur delictum, quod delinquens non erat commissurus absque tali consilio, pari pœna cum delinquente est puniendus: si vero etiam cessante illo consilio peccatum patrasset delinquens, tunc mitiori pœna puniendus est consulens, & est communis recepta sententia Doctorum in capit. 1. de offic. deleg. & specialiter Imola num. 9. & Felin. num. 8. & Dec. num. 9. & alii: quos citat, & sequitur Clarus q. 88. num. 1. & idem omnino docet de exhortante, & persuadente, qui parificantur cum consulente ibid. nu. 2.

7 Idem mandans, si sequatur delictum, puniendus pari cum delinquente pęna Bart. in l. non solum §. si manda. nu. 19. ff. de iniur. nec est distinguendum mea sententia inter nos Regulares, an statutum aliquod cadat in delictum, vel in personam; quia hoc est de apice iuris: ad expurgationem autem Religionis perfectam omnes mandantes quomodocumq. ex quorum mandato sequatur delictũ, siue mediate, siue immediate pari pęna cum delinquentib. puniendi sunt Carrer. in 2. p. de homicid. §. circa tertium. cum aliis ab eodem relatis ibidem.

8 Man-

8 Mandans autem alicui abſolute, vt vulneret, non adhibita vrgenti, & expreſſa proteſtatione, vt omnino non occidat, ſi mandatarius occideret mandans teneretur de homicid. Clar. q. 89. nu. 5.

9 Secus autem ſi mandans præciperet alicui, vt percuteret alapa, vel baculo, vel etiam enſe, ſed ſolum ad deformandam faciem, ſed cum poteſtatione expreſſa, ne omnino occideret, quia tunc, etſi ſequeretur mors, mandans non eſſet puniendus, niſi pęna extraordinaria, & ſic poſſe ſuſtineri videtur opinio, quam dicunt eſſe communem Decius conſil. 482. num. 16. & conſil. 622. circa finem, & ita conſuluiſſe ait Antonium de Roſellis, Franciſcum de Capitibus liſtæ, & Angelum de Caſtro inter conſil. criminalia Cępollæ conſil. 35. 36. 37. 38. quam etiam cum præfata limitatione ſequitur Clar. loc. cit. & alii, quos refert ibidem.

10 Si vero facto mandato non fuit attentatum delictum, nec exequutum, & nihilominus conſtat de mandato, mandans erit pęna extraordinaria, & arbitraria puniendus Gloſſ. in capit. de homicid. in 6. & Carer. vbi ſupra num. 26.

11 Si vero mandans ante ſequutum, vel attentatum effectum reuocaſſet mandatum, & reuocationē mandatario notificaſſet, & eum, qui erat offendendus, præmonuiſſet, vt præcaueret (nullatenus nominando mandatarium) nulla pœna eſſet puniendus mandans. Bald. in l. 1. C. de ſeruis fugitiuis, & alibi. Imola in c. ad audientiam ext. de homicid. Carrer. vbi ſupra num. 17. cum aliis, quos citat, & ſequitur.

12 Vniuerſaliter autem auxilium præſtans poſt commiſſum delictum, vel nulla pœna omnino eſt puniendus, vel

multo

multo mitiori, pensatis circumstantiis præstiti auxilii, & præsertim circumstantia finis, nempe, vt solum sit ad liberandum delinquentem de manibus iustitiæ, vel ad aliquod maius malum euitandum, vel ex mera charitate in delinquentem, & cætera huiusmodi, vel e contra si circumstantiæ inferrent ratificationē commissi delicti, cum consilio, & consensu præcedentibus, vel si tale auxilium prohibitum esset ex lege, & cætera huiusmodi, & vti dixi vniuersaliter, si solum constet de auxilio, post cōmissum delictum mitiori punietur pęna quibuscumque concurrentibus circumstantiis: nam sic auxilians non dicitur vere auxiliari Bart. in l. 3. §. si quisquam. ff. ad Syllanianum, & est communis opinio.

13 Denique soli tractatus, & discursus de committendo delicto, quin etiam soli conatus nullo sequuto actu, vel effectu, vel nulla pęna puniūtur, vel multo mitiori Bart. in l. & si amicis. §. 1. ff. de adulteriis Bald. in d. l. Carrer. vbi supra nu. 27. & alii quos citat, & sequitur.

14 Exceptis casibus, in quibus leges, vel statuta expresse decernerent pręfatos consimiles tractatus, & conatus puniendos esse, quia tunc pœna per leges, vel statuta prętaxata esset infligenda.

De remissione pœnarum. Cap. IX.

SVMMARIVM.

1 *Iudices iusta de causa ponderatis ponderandis pęnas moderari possunt.*

2 *Remissionis vero pena an causa exprimenda, variè sentiunt Doctores.*

3 *Au-*

3 *Auctor semper vellet specificari causam, vel saltem in vniuersali.*

4 *Offensus potest intercedere, vt tota remittatur pœna.*

5 *Item remitti potest ad intercessionem viri eminentis.*

6 *Absque vero iusta causa remittens pœnas infamis efficitur.*

7 *Commutare etiam poterit pęnas iudex ex causa.*

8 *Diminuta pęna sine causa sententia est nulla.*

9 *Pęnas superioris inferior nec remittere potest, neque commutare.*

10 *Superior vero inferioris non sine causa pęnas remittat.*

11 *Gratia vero per falsas causas impetrata recognoscẽda.*

1 IVxta ea, quæ tradita sunt in superioribus, nullatenus dubitandum est, iudices regulares posse pœnas per leges quascunque statutas iusta de causa moderari magis, vel minus iuxta qualitatem causæ, quæ ad pęnam minuendam sufficit: quarum causarum plurimæ superius registratæ sunt. Innocẽtius cap. qualiter, & quando de accusat. col. 1. Tiraquel. in tract. de pęnit. in præfat. nu. 16. Clar. quæst. 85. versic. Vlterius quæro Menohc. de arb. iud. lib. 1. quæst. 96. Salsedo in pract. crim. c. 144. versic. moderari Decius in cap. de causis num. 18. ext. de offic. delegat Aretin. in cap. qualiter, & quando num. 34. extra de accusat. Couar. lib. 2. resolut. cap. 9. num. 8.

2 Quotiescumque autem præfati iudices regulares ex iusta causa recesserint a pœnis a iure quocunque statutis

est

est aliquorum Doctorum opinio, quod in sententia debet exprimi causa talis moderationis, Lucas de Pęnna in l. 1. col. 1. C. de his &c. Abbas in c. si cum. de re iud. col. 2. & Felin. ibid. c. 9. alii tamen Doctores contrarium sentiunt, nempe quod non sit necessarium ad sententiæ validitatem, quod ipsa causa exprimatur Bart. in l. Relegat. §. ad tempus. ff. de re iud. Felin. in d. c. si cum col. 10. Menoch. contr. illustr. col. 14. num. 5. Clarus loc. cit. qui tamen dicunt, quod dato casu, quod causa sit exprimenda, sufficit, quod iudex in ipsa sententia dicat, quod iustis, & rationabilibus de causis animum suum mouentibus id fecerit, & non exprimatur causa ipsa specialiter; quam opinionem dicunt esse communem præfati Doctores.

3 Ex quibus coniicio, quod inter nos Regulares, qui partem tutiorem semper sequi debemus, & id constare debet pro maiori subditorum exemplo, & ædificatione: melius est, ac tutius in sententia ipsa exprimere causam specialem diminutionis pœnę, vel si dignis rationibus id fieri non expediret, omnino necessarium arbitror saltem in vniuersali illam clausulam apponendam videlicet iustis, & rationabilibus de causis animum nostrum mouentibus &c.

4 Item offensus, & qui damnum aliquod est passus, nulla alia existẽte causa põt ex charitate intercedere apud iudicem, vt delinquenti tota remittatur pęna per legem statuta: & iudex poterit ex illa intercessione pœnam remittere vel totam, vel ex parte, dummodo non sequatur damnum Reipub. vel tertii, qui in talem remissionẽ non cõsenserint, secus, si oẽs interesse habentes idem omnino rogant, & intercedunt, qua in re in causa contra meacti-

actitata, de qua supra ego replicatis precibus, iteratisque intercessionibus impetraui ab Illustrissimo, pariterque rectissimo Card. Verallo, fere totam pęnæ debitæ remissionem pro delatore, vt constat ex sententia superius posita consentientibus meis precibus, & intuitu cæteris omnibus, qui in eadem causa interesse habebant, & denique in gratiã Reuerẽdissimi Patris Antonii a Trejo totã impetraui pęnæ remissionem, vt patet vrbi, & orbi: videat orbis, & vrbs, qua gratitudine exceptam, at videat verius verus præmiator conditor vrbis, & orbis.

5 Similiter poterit remitti pęna, si aliqua persona eminens intercedat pro delinquente, eius emendationem promittens, & rationes adducens verisimiles, pro quib. emendationis vera spes coniici possit: secus, si nulla spes emendationis verisimiliter adesset.

6 At debent cauere iudices iuxta Clarum loc. supra cit. ne sine iusta causa, & a iure approbatã pęnas remittant, vel minuant: nã iudex, qui in causis criminalibus absq. iusta causa minorem pœnã imponit, quã de iure debeat, efficitur infamis l. seruos. C. ad legem Iuliam, & eadem pœna venit puniendus, qua reus tex. in l. 3. in fin. C. ne sanctum baptisma.

7 Denique poterit iudex commutare pęnam in aliam ęquiualentem, quando delinquens non est capax pœnæ impositæ a lege, vel statuto pro commisso delicto Baldus in l. nouerint num. 5. C. intra certum tempus. Ananias in cap. 1. num. 2. extra de calumniatoribus Clar. q. præcit. versic. vlt. & tunc iudex regularis mitiorem potius, quam grauiorem infligat pęnam, si in aliud extremum labi contigerit.

8 Exceptis præfatis causis, si iudex valde excesserit, mi-

norem

norem infligendo pœnam, quam statuta disponant, sententia vitiatur tota, vt ait Ioannes de cane mortuo inter consilia crim. diuersorum lib. 1. consil. 33. num. 2. & hanc dicit esse cōem opinionē; quidquid sit de hoc, saltē hoc certū est, qđ quoad gradū, vel summā, in qua iudex defecit a dispositione statuti, sentētia est nulla, & supplēda est pęna, vt docet Clarus q. 93. vers. quęro si iudex.

9 Quo vero ad pęnas impositas decernunt statuta Vallisoletana fol. 153. tit. de pęnis impositis, quod eas per superiorem impositas nullus inferior, vel relaxare, vel remittere, vel commutare, vel moderare, vel alterare possit, & si quis contra fecerit, eisdem pœnis subiaceat, vel grauius etiam puniatur superioris arbitratu.

10 Superiores vero pœnas ab inferioribus impositas non remittant, nisi magna publicæ vtilitatis ratione, aut alia vrgenti, & rationabili de causa; vt etiam per sacram Tridentinam Synodum sess. 25. c. 18. de refor. cautum est: secus enim relaxare pœnas nil aliud est, quam aditum aperire delinquentibus ad leges transgrediendas.

11 Deniq. per eadē statuta decernitur §. vlt. iuxta eandē Tridentinā Synodum sess. 12. c. 5. quod, si quis per fictas causas expositas, & falsas, gratiā extorqueat, & veniā impetret ab aliquo superiori Pręlato, Prouincialis eius Prouinciæ, cuius deliquēs falsis precib. gratiā impetrauerat, vel quoad minutionē pęnæ, vel quoad totalē remissionē causæ, & impetrationē gratię summariè p seipsum recognoscat, ipsamque gratiam postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime cōstiterit, suspendat, quousque superiore admonito, ac de veritate plenius informato desuper ab eo fuerit prouisum, prout ei magis expedire videbitur in Domino.

De Remissione pænæ in his, quæ fiunt sine dolo. Cap. X.

SVMMARIVM.

1 *Difficile cognoscitur quid fiat sine dolo.*
2 *In delictis absque dolo pęna minuenda.*
3 *Aliqui dicunt non posse puniri corporaliter.*
4 *Nec etiam ad id sufficere latam culpam, & quæ pęna pro lata culpa.*
5 *Nec pro sola culpa quis efficitur infamis.*
6 *Dolus absolute non præsumitur, & multa etiam escusant.*
7 *Coniecturæ ex quibus præsumitur dolus.*

1 MAgna est difficultas in dignoscendis, & puniendis delictis, quę sine dolo commissa præsumuntur, vel asseruntur; & ideo hic separatim ab aliis casibus fusius, & distinctius de illis agendum.

2 Primum itaque regula certissima, & receptissima est, quod omnino minuenda est pęna in delictis, quę sine dolo commissa fuerit, vt superius prętactum est.

3 Difficultas est etiam, in quo gradu minuenda sit pęna, de quo dicunt aliqui, numquam posse delinquentem corporaliter puniri, vbi in delictis non intercesserit dolus Bart. in l. 1. §. 1. nu. 1. ff. si quis testam. & hanc dicit esse communem sententiā Cępolla consi. crim. 33. col. 2.

4 Nec vlterius sufficere latam culpam ad punitionem corporalem, si dolus absit, dicunt Iason in l. in actio. nu. 23. & 26. ff. de in litem iuran. Blanc. pract. crim. fol. 56. nu. 137. & sequen. qui dicūt hanc esse communē opinionē cum aliis, quos citat, & sequitur Clar. q. 84. nu. 1. subdit

dit tamen, quod aliqui Doctores tenuerunt, quod etiam pro lata culpa potest quis corporaliter puniri licet non eadem pœna, qua posset puniri pro dolo, sed alia leuiori, & hanc opinionem dicit esse communem Marantha in suo speculo fol. 46. nu. 59. quā etiā obseruari se vidisse asserit Clarus ibid. sed regulariter id non fieri solere ait, crederē ego tutius esse inter nos, vbi dolus non adest clare, a pęna corporali abstinere, & ad alias priuationes, & inhabilitates pro modo latæ culpæ recurrere.

5 Subdit vlterius Clarus ibidem, quod eadem, quæ dicta sunt de pœna corporali, locum habent etiam in pęna infamiæ: nam condemnatus propter culpam, non efficitur per talem sententiā infamis Glos. in d. l. in action. in verb. non etiā ob culpam, & est communis opinio, vt dicit Roman. ibid. nu. 16. fama enim, & vita æquiparantur quoad hoc secundum Clarum ibidem, & alibi.

6 Quo vero ad ignoscendū dolum regula receptissima est vniuersaliter, & regulariter dolum nō præsumi in delictis. l. Dolū. C. de dolo, & lege si creditor. C. de pignoratitia actione, quia quilibet a natura bonus præsumitur c. 1. ext. de scrut. in ord. facien. & c. Dudum, & c. vlt. ext. de præ sumpt. & multo minus præsumitur dolus, quando eius causa non apparet Aret. consil. 63. vel quando dolus nullū affert lucrum, & commodū Bald. cons. 250. Item quando ex dolo resultaret odium, vel damnū: Creuecta consil. 6. nu. 22. item, si dolus deberet commiti aduersus hominem frugē, et beneuolum, vel sanguine coniunctum, idem consil. 8. num. 29. item cum rumor, et fama incitauit ad committendum aliquid: idem Creuect. cōs. 319. nu. 4. itē ex qualitate personæ excusatur dolus, videlicet ex simplicitate, vel ignorātia Decius cons. 180.

7 Contra verò dolus præsumitur ex coniecturis. l. dolũ. C. de dolo, vel ex p̃sumptionib. vrgentibus, vt concludit Paul. de Cast. in d. l. Dolũ. & duas sufficere dicit Decius cons. 34. nu. 4. lib. 3. Coniecturæ porrò multæ sunt. Prima atrocitas delicti, quod cõmitti posse nõ vr̃ sine dolo. Secunda graue mendaciũ. Tertia graue promissum frangere. Quarta sui muneris aliquid graue omittere. Quinta grauis deceptio in cõtractu aliquo in contrahentẽ. Sexta inobedientia, & multo magis cõtumacia. Septima facere, quod sibi prodest, & alteri nocet. Octaua malus effectus consequutus. Nona nimia cautela, & diligentia, & plusquã solita. Decima clam, & occulte facere, qđ palã fieri solet; quas oẽs, & multas alias enumerat Menoch. lib. 5. de presumpt. cum multis Doctorum allegationib. quas breuitati studens, omissi, & ex dictis poterit cordatus iudex alias doli verisimiles coniecturas dignoscere.

De specialibus penis. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1 *De penis ex iure communi.*

2 *Penæ leuiores consuetæ imponi, sine scriptis.*

3 *Quæ tamen Patribus eminentibus nequeunt imponi sine consensu, & consilio diffinitori.*

4 *In secundo genere sunt pœnæ graues, in quibus in scriptis, & seruato iuris ordine procedendum.*

1 Licet per statuta ordinis aliqualiter sit prouisum, & cautũ circa penas per sententias diffinitiuas delinquentib. imponendas: verumtamen pro ampliori declaratione nonnulla tum ex ipsis ordinis statutis, tum ex iure communi sunt hic annectenda.

2 In primo genere sunt mortificationes illæ regulares, & consuetæ, quæ nedum a superioribus Prælatis, & in scriptis, sed etiam a Prelatis localibus pro regulari obseruantia passim imponi solent, ac debēt regulariter omnino sine scriptis, & omni postposita appellatione, cuiusmodi sunt precationes, & orationes quæcunque, disciplinæ, quas Fratres ipsi per seipsos sibi adhibent, ex obedientia tamē Prælati, recitādo psalmū Miserere mei Deus &c. ieiunia, vel grauiora, vt in pane, & aqua, vel mitiora, vt abstinendo a solo vino, vel ab omnibus aliis cibis, excepto vino, & pane: Similiter comestiones in terra flexis genib. deosculationes in terra, deosculationes pedū Fratrum, & cætera huiusmodi, quæ oīa, & similia ab omnibus Prælatis passim imponuntur, vt dictum est sine snīa in scriptis, sed simpliciter de plano, & per solā obedientiā ad retinendā regularē disciplinā, & ad continendos in officio regulares, & ad corrigēdos quoscūq. incōpositos mores, vel etiā pro sola mortificatione, quę viros decet religiosos, & de quibus nullatenus appellari licet.

3 Veruntamen huiusmodi mortificationes, & consimiles nullatenus infligi debent, nec possunt viris in ordine grauibus, & eminentibus inconsulto diffinitorio, & inconsultis his, ad quos de iure spectat, & nisi de illorum consilio, & consensu, vt superius dictū est c. 4. & etiam per statuta Salmanticentia cap. 8. & Vallisoletana fol. 138. tit. de pœnis. §. quibus Prælati, &c. in simili pie, ac prudenter cautum est ad conseruandam ordinis grauitatem, ac dignitatem, quæ in præfatis viris grauibus, & eminentibus viget, ac residet, vt sunt Patres ordinis, et qui Ministeriatus officio functi sunt, et alii consimiles.

4 In secundo genere sunt pęnæ illæ, quæ nunquam, nisi seruato iuris ordine, vel summarie, ac de plano, vel ad amussim modo superius exposito per sententiam in scriptis ferendam imponuntur, de quibus ordinate dicendum, primo declarando terminos, deinde singulis excessibus singulas applicando pœnas.

De quibusdam priuationibus in ordine consuetis. Cap. XII.

SVMMARIVM.

1 *Priuatio actuum legitimorum quid sit.*

2 *Priuatio iuris suffragiorum quid sit.*

3 *Officiorum ordinis priuatio quid sit.*

4 *Quæ omnes non possunt infligi, nisi de consensu diffinitorii.*

5 *Possunt tamen Prouinciales soli Guardianos ad tempus suspendere.*

6 *Patres graues nulla notabili confusione possunt affici sine consilio, et consensu diffinitorii.*

1 IN primo gradu sunt quædã priuationes in ordine cõsuetæ; & sunt in triplici differẽtia, videlicet, vel actuũ legitimorũ, vel iuris suffragiorũ, vel officiorũ priuatio; actuũ legitimorũ est inhabilitatio ad oĩa ordinis officia, quæ cũ dignitate, ac superioritate coniuncta sunt, veluti Ministeriatus, Cõmissariatus, Diffinitoriatus, Guardianatus, & Discretatus, põt tamẽ sic priuatus habere votũ actiuum in electione Discreti ad Prouinciale capitulum mittẽdi, & similiter potest ad sacros ordines promoueri, & sacras eorum functiones exercere, & similiter quæcun
que

que officia prædicationis, & lectionis, & confessionis, & sic pôt esse cõfessarius monialiũ, & magister nouitiorũ, & ferre vota in receptione nouitiorum ad professionẽ.

2 Priuatio iuris suffragiorum est inhabilitatio, tam ad ferenda, quã ad consequenda quæcunque vota, & suffragia in ordine, quibus exceptis potest sic priuatus omnia illa cõsequi, & exercere, quæ potest priuatus actibus legitimis, vt ꝓmoueri ad sacros ordines, & cętera, vt supra.

3 Officiorum ordinis priuatio est inhabilitatio ad omnia prædicta, & vlterius ad cõfessionis, prædicationis, lectionis, Paternitatis, & visitationis munera obeunda: & poterit solum sic priuatus ordines recipere, & sacras eorum functiones exercere.

4 Omnes istę priuationes, & præsertim Guardianorum depositiones non possunt a Prouincialibus infligi sine consilio, & consensu maioris partis diffinitorii, vt superius dictum est, & iterum per eadem statuta fol. 138. tit. de pœnis. §. quibus Prælati &c. & fol. 217. tit. de diffinitoribus Pouincialibus. §. quod si Guardianorum quispiam, & c. decernitur.

5 Concedũt tamẽ eadẽ statuta Prouincialib. loc cit. vt possint legitima ex causa Guardianos ab officio suspẽdere propria eorum auctoritate, donec, & quousq. Patribus oportune congregatis, & consultis diffiniri possit, prout iustitia suaserit.

6 Deniq. decernũt ibidẽ, quod nullus Guardianus, vel Prouincialis, vel Pater ordinis, vel qui alias Ministeriatus officio functus fuerit, vel muneris eiusdẽ Priuilegio gaudeat, possit a Prouinciali Ministro, vel Cõmissario visitatore officio priuari, vel aliqua notabilis punitio, vel confusio eorũ cuiquã inferri, nisi de cõsilio, & consensu

Patrum Prouinciæ, vel maioris partis eorum, aut Prouincialis capituli, vt sæpius dictum est supra.

Priuationes præfatæ quibus competant. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Actibus legitimis priuantur subornatores, & reuelantes secreta extra ordinem.*
2 *Item recurrentes ad fauores sæculares.*
3 *Item intercipientes litteras quomodocumque, vel impedientes.*
4 *Item procurantes nouitatem in ordine, & non manifestantes opportunè defectus, vel litteras.*
5 *Item abiurati de leui, & qui natalium defectus patiuntur.*
6 *Suffragiorum iure priuantur respondentes in mensa, & conuitiantes.*
7 *Item ad triremes, vel carceres iam damnati.*
8 *Item rebellantes Prælatis.*
9 *Ordinis officiis priuātur cōspirātes cōtra superiores.*
10 *Item appellantes, & confugientes ad tribunalia sæcularia.*
11 *Item recurrentes ad fauores extra ordinem, & Prælati etiam sic tales promouentes.*
12 *Item dantes, & accipientes munera.*
13 *Item infamia laborantes, & abiurati de graui.*
14 *Item Prouinciales differentes punire delinquentes, et rebellantes Generali, vel Commissario ab eo misso.*

1 AD singulas præfatas procedendo pœnas gradatim ostendendo, quibus criminibus applicentur, primo priua-

priuationem actuū legitimorū incurrunt subornatores, & reuelantes extra ordinem secreta in ipsius detrimentum, & infamiam, qui perpetuò prædictis actibus legitimis priuantur.

2 Item actibus legitimis priuantur recurrentes ad fauores sæculares, prout supra, nec releuari possunt, nisi per Generale capitulum proximè futurum.

3 Item intercipientes litteras Prælatorum, vel Principum, vel Generalium, vel Prouincialium, vel aliarū notabilium personarum quomodocunq. malitiose, vel per se, vel per alios, et similiter illas destruentes, impedientes, retinētes, ne mittantur, aperientes, et similiter qui prædictorum litteras sibi ipsis missas legere, aut aperire malitiose distulerint: nec releuari possunt, nisi ab ipsis Generalibus, vel Prouincialibus Prælatis respectiue.

4 Item Procurantes nouitatem in ordine modo superius exposito, nec releuari possunt, nisi per Generalem, aut Prouincialem Prelatū: item, nō manifestātes opportune defectus Fratrū tempore visitationis Ministri, aut Cōmissarii tā Generalis, q̄ Prouincialis, sed malitiose, et callide in aliud tempus cuicunq. ordinis Prælato manifestandos differentes: item qui litteras contra quempiam seruauerint, & postea in iudicio, seu visitatione deduxerint, produxerintue; qui omnes actibus legitimis priuantur, et infames existunt, nec audiri possunt.

5 Priuantur etiam actibus legitimis, qui sacro, ac venerabili sanctæ Inquisitionis officio delati, de leui abiurati fuerint: & similiter iuxta sacræ Tridentinæ Synodi præscriptum, & sacrorum Canonum dispositionem, qui natalium patiuntur defectus, vt spurii, & consimiles, de qua re extant Constitutiones Sixti V. & Clem. VIII.

6 Suf-

6 Suffragiorum iure biennio priuatur qui Prælato suo in culpa, vel in mensa respōdet, facultate prius ab eo non impetrata: item qui alicui Prælato verba improperii, aut conuitii dixerint.

7 Item, qui ad triremes, aut perpetuos carceres aliquā do damnati fuerint, & si contingat eos misericorditer liberari, sic liberati omni suffragiorum iure, & actibus legitimis perpetuo priuati existunt, nec ad ea quouis modo amplius habilitari possunt.

8 Deniq. rebellantes Prouinciali Ministro, seu Guardiano aut Vicario, omni suffragiorū iure triennio priuātur.

9 Omnibus ordinis officiis priuantur, qui per malitiosam concordiam, seu conspirationem aduersus alium, & maxime superiorem se euexerint, & sic priuati remanent, quousque per condignam satisfactionem a Generali, vel Prouinciali Ministro releuentur.

10 Item quicunq. ad tribunalia sęcularia appellantes, & ad ea temere confugientes, priuationem officiorum ordinis incurrunt, & inhabilitatis perpetuæ ad illa, & alia quæcumque exercenda, vocisque tam actiuæ, quam passiuę ex constitutione Gregorii tertii decimi, quæ incipit, Quoniam nostro, &c.

11 Item omnibus ordinis officiis priuantur ad fauores quarumcunque personarum extra ordinem existentiū pro obtinendis officiis recurrentes, & similiter voce actiua, & passiua ex constitutione Pii quinti, quæ incipit, Pastoralis officii, & Greg. XIII. quæ incipit, Cōsueuit; quas pęnas incurrūt etiāsi ipsi Fratres pro fauorib. eiusmodi sęculares solicitasse negauerint, & sæculares ipsi affirmauerint ab eisdē fratrib. solicitatos nō fuisse, dūmodo de malitia, & dolo tertii nō constiterit, videlicet

quod

quod quis alius inuidus malitiose rogatores subornauerit, vt quoq; eo noceret promouẽdis, & similiter priuantur officiis Prælati, qui tales ita recurrẽtes promouerint, vel promoueri consenserint, vel permiserint, & ad prędicta sua officia; & alia quæcunque in posterum obtinenda inhabiles existunt.

12 Item qui pecunias, vel dona quęcunque dederint, aut promiserint, vt pro se, vel pro aliis gradus, honores, dignitates, vel officia consequantur, vel in prædictorum fauorem sententia feratur, & non solum ipsi, sed & qui talia dona receperint, quicunque fuerint, qui omnes pœnas sacrorum canonum iure cõtra simoniacos statutas, ac pręterea constitutione apostolica de muneribus non dandis omnino incurrunt.

13 Item quicunque aliqua notabili infamia laborauerint ob crimina, de quibus accusati apud Prælatum cõuicti fuerint, ad ordinis dignitates, & officia (vltra pœnas ob crimina sibi inflictas) perpetuo inhabiles existunt: cui pęnæ subiacent quicunque infamia laborant, & similiter qui de re graui in sacro inquisitionis officio delatus abiuratus fuerit.

14 Itẽ priuãtur officio Generalis arbitrio Prouinciales Ministri, qui delinquẽtes pro eorũ demeritis punire distulerint vsq; ad Generaliũ in Prouincias aduentũ, vel alio cõsimili prætextu, & deniq; rebellantes quõodocunq; Cõmissario a Generali misso: qui ꝑpetuo priuantur ordinis officiis, & perpetuo inhabiles existunt ad alia quæcunq; in ordine exercẽda, & voce tã actiua, quã passiua priuantur, ex constitutione Greg. XIII. quæ incipit, quoniam nostro &c. quibus etiam, & omnibus singulis subiacent, qui Generali ipsi rebellauerint.

De

De quibusdam aliis consimilibus pœnis grauibus. Cap. XIIII.

SVMMARIVM.

1 *Amotiones Fratrum a locis inter graues pœnas computari cuperet Auctor.*

2 *Præfatam pœnam incurrunt domos suspectas ingredientes.*

3 *Sed Auctor cuperet potius practicari relegationem in Monasterio.*

4 *Diffinitorio priuari grauis est pœna, quam incurrunt reuelantes extra ipsum secreta.*

5 *Grauis est etiam caputium probationis, quam incurrunt prouocantes, minantes, & leuiter percutientes.*

6 *Et suspensio officii grauis est pœna, quam incurrunt Prælati verbis iniuriosis afficientes subditos.*

7 *Et similiter exilium, quod a Diffinitoriis posse infligi cuperet Auctor.*

8 *Quam incurrunt verba iniuriosa, vel irrisoria proferentes.*

9 *Item procurantes nouitatem in ordine.*

1 Licet hoc nostro æuo amotiones Fratrum Prouincialis arbitrio passim fiant leuibus de causis, & sæpius cũ sæculi scandalo (vt superius tactum est) & maxima Fratrũ inutili, & damnosa vagatione: hinc valde cuperẽ pro redimenda regulari disciplina, & ad remouẽda præfata scandala, & peccata, vt amotiones Fratrum a locis quan-

quando remouentur in pœnam, & non ob alias causas extra capitulares congregationes inter graues pœnas computarentur, & non possent infligi a Prouincialibus, nisi seruatis de iure seruandis, vt superius de aliis pœnis grauibus infligendis dictum est.

2 Et ita statuta Generalia fol. 135. tit. de pęna contra castitatis transgressores. §. 1. inter graues pęnas amotionem a locis computare videtur, dum statuit, quod qui legitimè conuictus fuerit, suspectas domos ingressum fuisse, ab eo loco amoueatur omnino.

3 Licet ego magis magisq. probarem aliam pęnam illi æquiualẽtem, vel potius grauiorem, & magis disciplinæ regulari consonam, & conducentem ad prædictas euagitationes euitandas, & peccata, quæ in vagationibus occurrunt cauenda: nempè relegationem in eodem Monasterio, a quo egredi nullatenus posset delinquens sub graui, vel grauiori Apostasiæ pęna, vel aliis grauioribus, & non posset prædicta relegatio relaxari, nisi a Diffinitorio, vel Prælatis Generalibus.

4 Grauis etiam pœna est Diffinitorio priuari, vel perpetuo, vel ad tempus iuxta delicti mensuram, quam pœnam incurrunt ex præscripto statutorum, qui extra diffinitorium manifestauerint, quæ in eo tractantur: vnde dissensiones, & discordiæ, aut odia in diffinitorium ipsum, vel diffinitorum quempiam oriantur, aut oriri possint.

5 Inter graues etiam pœnas cõputatur probationis caputium, quam incurrunt, qui verbis, aut factis aliquem grauiter prouocauerint: nam pro prima vice probationis caputium per mensem deferre debent. Et simili pœna plectendus, qui alicui fratri minabitur in persona: si

autem

autem manũ leuauerit, vt percutiat, vel aliquid ad percutiendum acceperit, ei tribus mensib. probationis caputium imponi debet: per annum verò illi, qui leuiter percusserit.

6 Grauior etiam omnibus præfatis videtur esse suspensio officii cuiuscunque: quam pœnã incurrunt superioris arbitratu Prælati omnes, qui vel in sermonib. ad fratres capitulariter congregatos, vel in reprehendendis eorum criminibus, vel in culpis audiendis, & similibus casibus verbis vtuntur iniuriosis, vel infamatoriis, & quæ turbationum, vel dissensionum, & contentionum causa esse poterunt.

7 Omnium vero pręfatarum grauissima est exilium extra Prouinciam, quod infligi posse vellem ad expurgandas Prouincias ab omnibus Prouincialibus nõ solis, sed simul cum suis diffinitoriis remittendo exules ad Prælatos Generales, vt aliquam illis Prouinciam assignent. Quæ facultas saltem tacitè concessa videtur per statuta prædictis Prouincialibus, cum per eadem pro nonnullis criminibus præfata pœna infligenda præfiniatur.

8 Sic præfatam exilii pęnam infligendam decernunt cũ priuatione officiorum Ordinis, illis, qui derisorio, vel iniurioso, vel improperioso nomine, vel quod pro tali habeatur a patientibus, quemlibet Fratrem appellet: vel qui scientes, vel audientes aliquos talia proferre, ipsos non denuncient statim verbo, aut per litteras.

9 Eandem exilii pœnam incurrunt qui aliquam procurant nouitatem in ordine recurrendo ad Prælatos, Reges, Principes, & Communitates, seu ad aliquam aliam personam extra ordinem existentem.

De

De pœna excommunicationis, suspensionis, & de aliis censuris. Cap. XV.

SVMMARIVM.

1 *De aliis censuris remißiuè, hic de excommunicatione.*
2 *Omnes ordinis Prælati excommunicationem fulminare possunt.*
3 *Quam pœnam, & quamcumq. aliam consimilem nullus incurrit nisi post declarationem.*
4 *Excommunicationem incurrunt omnes Apostatæ, & subornatores.*
5 *Item diuulgantes ordinis secreta.*
6 *Item imponentes nomina irrisoria, &c. & similiter audientes, & non denunciantes.*
7 *Item procurantes diuisionem ordinis, et recurrentes ad tribunalia sæcularia, et recurrentes ad fauores sæculares.*
8 *Item falsificantes litteras notabilium personarum, et deponentes falsum, vel reuocantes verè depositum, vel procurantes id fieri ab aliis.*
9 *Item procurantes vnionem, vel diuisionem Prouinciarum, et cætera similia per sæculares.*
10 *Item libellos edentes, et quomodocumq. publicantes, et rebellantes Generali, vel Commissario ab eo misso.*

1 DE quibuscumq. censuris cum nostra statuta parum, vel nil disponãt, debent Prælati Regulares circa eas obseruare dispositione, iuris cõis; hic enim breuiter solum ea tangam, quę nostra statuta decernunt, pręsertim de excommunicatione, de qua fusius tractant.

2 Decer-

2 Decernunt itaq. ſtatuta fol. 137. & tit. de excommunicationis pena; quod omnes Religionis noſtræ ſuperiores videlicet Miniſtri, & Commiſſarii tam Generales, quam Prouinciales, & Cuſtodes iuriſdictionem habentes, & etiam Guardiani iuxta iuris communis diſpoſitionem, ſententiam excommunicationis in ſibi ſubditos fulminare poſſint, & quod oppoſitum aſſerentes, vt errantes, & perturbatores grauiter puniantur ſuperiorum arbitratu. Cætera circa hęc ſeruanda videantur in ſtatutis loco citato.

3 Declarant præterea eadem ſtatuta fol. 140. tit. de correct. & appellat. §. declaramus item, & fol. 141. §. declaramus quoque. quod vbicunque in conſtitutionibus continetur, pœna ſuſpẽſionis, vel excõmunicationis etiã latæ ſententiæ, etiam ipſo facto incurrenda, tamen pręfatam pęnam neminem incurrere omnino, niſi poſt declarationem factam a Prælato; quod idem etiam decernunt de pęna carceris, & priuationis cuiuſcumque ibidem.

4 Excõmmunicationis ergo pęnam incurrunt primum Apoſtatæ, de quibus ſupra, & ſubornatores, qui donis, promiſſis, minis, aut obſecrationibus importunis aliquem inducunt ad ferenda ſuffragia, & qui colligationes, & inductiones fecerint ad eundem finem: qui omnes ex conſtitutione Pii Quinti, quæ incipit Paſtoralis officii, &c. & Gregorii tertii decimi, quæ incipit, Conſueuit &c. excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt, a qua abſolui non poſſunt, niſi a Miniſtro, vel Commiſſario Generali; ſi vero Generales ipſi in eadem fuerint damnatione, a ſolo ſummo Pontifice abſolui poſsunt.

5 Item

5 Item excommunicationem incurrunt, qui diuisiones inter Fratres, Prælatorum depositiones, vel priuationes, & alia ordinis secreta in eius detrimentum, & infamiam extra ipsum ordinem quomodocumque diuulgauerint.

6 Item qui alium Fratrem nostri Ordinis malitiosè, irrisoriè, seu improperiosè Priuilegiatũ, Coletanum, Bullistam, Amadeistam, Clarenũ, de Euangelio, seu de Caputio, Bigotum, aut alio quouis nomine etiã de nouo reperto, seu forte in futurũ diuisionũ occasione, vel causa reperiendo, & imponẽdo, seu alio quouis derisorio, iniurioso, aut improperioso nomine, vel qđ pro improperioso, aut iniurioso a patientib. habeatur, appellet ex cõstit. Leonis X. ad quam se referunt statuta, quæ extendunt prædictã pœnam ad quoscunq. qui audientes, vel scientes proferre talia nomina irrisoria, vel prolata aliquando fuisse statim verbo, aut per litteras non denunciauerint ipsos talia proferentes.

7 Item excommunicationẽ incurrunt procurãtes quomodocumq. verbo, vel facto diuisionem ordinis, quæ non nisi a Generali Ministro absolui potest: item recurrentes ad tribunalia sæcularia, & etiam ordinariorum, & ad ea quomodocumque appellantes, & confugientes, & non nisi a Summo Pontifice absolui possunt ex cõstit. Gregorii tertii decimi, quæ incipit: Quoniã non. item recurrentes ad fauorem personarum extra ordinem quomodocumque per se, vel per alium, pro se, vel pro alio aliquam dignitatem, vel officium, vel etiam collocationem in alio loco, vel etiam non posse remoueri procurando.

8 Item falsificantes litteras, aut sigilla Principum, vel

Prælatorum Generalium, aut Prouincialium, aut aliarũ notabilium personarum: item falsum, ac scienter in iudicio quidquam deponentes, vel ad id faciendum inducentes, aut reuocantes, vel ad reuocandum procurantes, quod vere depositum fuerat; & ab ista non nisi a Prouinciali absolui possunt: & satisfactione præmissa prout iuris fuerit.

9. Item suadentes, vel suaderi procurãtes per se, vel per quamcunq. interpositam personam alicui Prælato, Regi, Principi, Communitati, seu alicui personæ extra ordinem existenti, vt aliquid de statu ordinis eiusdem, vel ordinatione, diuisione, vel vnione alicuius Prouinciæ, vel de Fratribus ab aliquo loco amouendis, vel non amouendis immutetur: nec absolui possunt, nisi per Generalem, aut Prouincialem.

10. Excommunicationem incurrunt, qui tacito nomine, vel sub nomine alieno litteras, siue libellos famosos edũt mittunt, proiiciunt, vel quomodolibet exponunt, in alicuius infamiam, & non nisi a Prouinciali absolui possunt, & debita satisfactione præmissa, quod si in infamiam Generalis, vel Prouincialis præfata edita fuerint, non nisi per Generalem ipsum, vel per eum, cui ipse specialiter commiserit, absolui possint. Et denique excommunicationem incurrunt, a qua non nisi a Summo Pontifice absolui possunt, qui Commissario a Generali misso resistere, opponere, aut contradicere, seu se rebellem exhibere presumpserint: quam etiam incurrunt, qui Generali ipsi rebellauerint. Cæteræ excommunicationes per statuta sparsæ videantur ibidem.

De

De pœna carceris. *Cap. XVI.*

SVMMARIVM.

1 *Carcer quid sit.*

2 *Nullus Prouinciali inferior potest carcerare, sed solum in domo custodiæ retinere.*

3 *Formaliter carceratus priuatur statim actibus legitimis.*

4 *Nullus formaliter carcerandus, nisi pro graui delicto: secus faciens, actibus legitimis priuandus.*

5 *Formaliter carcerati quæ seruare debeant, & quam pœnam incurrant fugam quamcumque illis consentientes.*

6 *Ad præfata non tenentur, qui in domo custodiæ fuerint.*

7 *Nec ius commune suffragari nobis potest, quo ad fugam carceratorum, tenemur enim statutis, & obedientiæ voto omnino.*

8 *Præfatam carceris pœnam incurrunt proprietarii.*

9 *Item fornicationis aliquam speciem patrantes, & peccatum innominabile committentes.*

10 *Item Inobedientes, contumaces, & Apostatæ.*

11 *Item reuelantes sacram confessionem sacramentalem, & prouocantes secunda vice, & proferentes verba obscena, et scandalosa incorrigibiliter.*

12 *Item proiicientes aliquid ad percutiendum, et percutere quærentes, et arma offensiua portantes, percutientes, aut vulnerantes.*

13 *Item procurantes ordinis diuisionem, et incorrigibiles*

et sigilla falsificātes notabilium personarum, et deponentes falsum in Iudicio, vel reuocantes verū, vel id procurantes, et libellos edentes, vel quolibet propalantes, et aleis, vel taxillis ludentes.

14 *Item admittentes crimen, quod in sæculo morte esset plectendum, et Rebellantes Generali, et recursus, vel appellationis ordinem violantes.*

15 *Pro aliis delictis remissiuè ad statuta.*

1 CArceris pœna (vt est condistincta a domo disciplinæ, vel custodiæ; de qua dictum est supra) est reclusio alicuius in aliquo obserato loco, sine caputio, & chorda Generalis, vel Prouincialis alicuius Prælati auctoritate facta, vt per statuta Salmanticensia cap. 7. & Vallisoletana fol. 132. titu. de pœna carcer. §. 1. cautum est.

2 Quare nullus prædictis Prelatis inferior potest aliquē sic formaliter carcerare, sed solū rationabilib. de causis, veluti in domo disciplinæ, vel custodiæ delinquentes retinere de consilio Discretorum; vbi fuerit delictum rei euidentiæ manifestum, quousque aliquis præfatorum Prælatorum admoneatur, qui desuper, prout opportunum fuerit, prouideat, vt cauetur per eadem statuta fol. 134. §. quod si quis. quod intelligi volunt etiam de Fratribus, qui sunt alterius familiæ, vel Prouinciæ.

3 Ex antiquis autem ordinis statutis Salmanticensibus c. 7. & Vallisoletanis vltimis fol. 132. tit. de pœna carceris §. primo. cautum est, quod formaliter carceratus, vt supra expressum est, semper consequenter est priuatus actibus legitimis eo ipso, quo caceri est mancipatus: & quamuis liberetur a carcere, nō intelligitur ad actus prædictos.

dictos restitutus; nec restitui potest, præter quam in prouinciali capitulo, aut Generalis auctoritate.

4 Ex iisdem statutis Salmaticens. cap. 7. & Valisoletanis eodem tit. fol. 133. §. nullus autem. cauetur, ne quis carceribus ita formaliter mancipetur, nisi pro manifesto, vel enormi delicto, vel excessu, & qui aliter quempiam incarcerauerit, omnibus actibus legitimis sit priuatus.

5 Ex iisdem etiam §. quare, vt atrocia. cauetur, vt in omnibus prouinciis, & locis saltem principalioribus carceres habeantur omnino fortes, humani tamen, & lucidi, vt carcerati diuinum officium persoluere possint, ac piis lectionibus pro eorum spirituali consolatione vacare, & quibus etiam confessionis sacramentum petentibus concedendum est toties, quoties ab eis fuerit expostulatum, & qui perpetuis carceribus mancipati sunt, saltem in sacro Resurrectionis Domini die sacratissimo Eucharistiæ sacramento reficiantur. Ex iisdem statutis. §. si quis vero. cauetur quod liberans quempiam e carceribus, vel consentiens, vel consilium, & auxilium præbens, ex quo incarceratus aufugerit, & etiam custos, si de eorum malitia, & dolo legitime constiterit, carceribus mancipentur Prouincialis arbitratu. Et si Guardianus ipse de his, aut dolo, aut negligentia legitime conuictus fuerit, eo ipso Guardianatus officio priuatus sit: vel grauius etiam puniatur superiorum arbitrio pro qualitate delicti: omnes porro formaliter carcerati tam temporarii, quam perpetui, semel saltem singula hebdomada sexta feria coram fratribus capitulariter congregatis disciplinam sibi adhibere debent recitando psalmum Miserere mei Deus &c. & in pane, & aqua hu-

mi genuflexi ieiunare, & quo tempore ad carceres damnati fuerint, semper sine caputio, & chorda vbique manere debent, vt per eadem statuta loc. cit. §. penult. & vlt. decernitur.

6 Hi autem, qui in domo disciplinæ, vel custodiæ retinentur, nullis ex præfatis pęnis, & mortificationibus subiacere debent, vt per eadem statuta ibidem cauetur.

7 Ex prædictis constat, quod perperam disputãt aliqui, & multo peius resoluũt posse reum fugere, & alios illi fugam consulere, auxilium præstare, & instrumenta porrigere quoad nos regulares, quia etsi, quæ docent, sint vera de iure communi: verumtamen apud nos nullatenus locum habere possunt tum ex voto obedientiæ, quo nos obstrinximus obedire Prælatis in omnibus, quæ non sunt contra animam, & regulam nostram; tum ex claris, apertissimisque statutis nostris nuper adductis, quicquid sit de iure communi (vt dixi), quod nobis nullatenus congruit exceptis casib. superius registratis in Trac. de carcere reorum, & inferius cap. de Apostasia manifestius apparebit.

8 Explicato iam quid sit pęna carceris, & quomodo adhibenda, nunc quinam eam incurrant, ex iisdem statutis breuiter annotãdum. Primo itaque illam incurrunt proprietarii quicunque, qui etiam in proprietate morientes, ecclesiastica priuantur sepultura.

9 Eandem carceris pęnam per sex menses incurrunt, & omnium suffragiorum iure triennio carent, qui pro prima vice in fornicationis culpã inciderint, vel grauiorem speciem. Pro secunda vice per annum carceribus mancipandi, & oĩbus ordinis officiis perpetuò priuãtur.

Pro

Pro tertia vice longiori tempore carceribus mancipandi, & ad omnia ordinis officia perpetuò inhabiles existere debent. De innominabili vero conuictus, nudus omnino cum solis femoralibus coram Fratribus capitulariter congregatis, & manibus ligatis grauiter est flagellandus, cum recitatione Psalmi Miserere mei Deus &c. & leuiusculis flammis hinc inde circumseptus quodammodo comburi debet, & ad perpetuos carceres irreuocabiliter damnari, vbi pane, & aqua tribus saltem in Hebdomada diebus ieiunare debet.

10 Eadem carceris pœna puniendus est inobediens inobedientia contumaciæ, quę contumacia incurritur post trinam monitionem eodem die congruis interuallis factam: item Apostatæ omnes carceris pœnam incurrunt pro modo culpæ Apostasiæ, vt supra latius ostensum est.

11 Item reuelantes sacramentalem confessionem, cum perpetuo ab audiendis confessionibus debeant suspendi, & actibus legitimis perpetuo priuari, carceri etiam Prouincialis arbitratu sunt mancipandi: item bimestri carceri mācipādi, & actiua, & passiua voce decennio priuandi, qui secunda vice verbis, aut factis aliquem grauiter prouocauerint: & similiter qui improperauerint aliquem de delicto, pro quo iam alias fuit punitus: item superioris arbitratu carcerandus, qui in proferendis obscœnis, & turpibus verbis ita vitiosus fuerit, vt incorrigibilis appareat, & scandalo sit cæteris.

12 Semestri vero carceri mancipandus qui lapidem, vel baculum, vel gladium, vel cuiusuis alterius generis instrumentum arreptum proiecerit ad percutiendum, vel alio quocunque modo percutere nisus fuerit: vel

qui arma offensiua portauerit, vel in cella, vel alibi retinuerit: qui vero prædictis instrumentis percusserit, vel Fratrem, vel sæcularem, carceris vnius anni pœnam luere debet, & omni suffragiorum iure, & actibus legitimis perpetuo priuari, ac per mensem ter in qualibet hebdomada coram fratribus capitulariter congregatis genuflexus comedere illismet instrumentis, quibus ferire, aut percutere ausus est, ei de collo pendentibus.

13 Item carceri mancipandus Generalis arbitratu, qui verbo, vel facto diuisionem ordinis procurare præsumpserit: perpetuo vero carceri mancipādi incorrigibiles: tales vero censendi qui ter de eodem graui crimine cōuicti, & puniti non resipiscunt. Ad arbitrium vero Generalis carceri mancipandus, & ad ordinis dignitates, & officia ꝑpetuo inhabilis existere debet, qui ꝑ se, vel per aliū litteras, aut sigilla Prælatorum, vel Principum Generalium, uel Prouincialium, aut aliarum notabilium personarum falsificauerit: semestri uero carceri mancipandus, & infamis perpetuo existere debet, qui in iudicio quidquam falsò, ac scienter deposuerit, vel ad id faciendum iuduxerit, aut reuocauerit, vel reuocandum procurauerit, quod vere depositū fuerat; superiorum autem arbitratu carceribus mancipandus qui tacito nomine, vel sub nomine alieno litteras, seu libellos famosos ediderit, miserit, proiecerit, vel quomodolibet exposuerit in alicuius infamiam. Similiter superioris arbitratu carcerandus, & omni suffragiorum iure triennio priuandus qui aleis, vel taxillis luserit.

14 Ad carceres perpetuo damnandi quicunque post Religionis

ligionis ingressum aliquod crimen admiserint, propter quod si illud in sæculo commisissent, morte plectendi essent: semestri vero carceri mancipandus, qui Generali ipsi rebellauerit, vltra alias pœnas superius notatas, item bimestri carceri om ino mancipandus, & omni suffragiorum iure triennio priuandus qui recursus, & appellationis ordinem a statutis præfixum, & decretum temere violauerit.

15 Pro multis alii delictis præfigitur a statutis carceris pœna, de quibus videatur ibidem: breuitati enim studens hæc notata sufficere iudicaui.

De pœna triremium. *Cap.* XVII.

SVMMARIVM.

1 *Pœnă triremium antiqui Patres nunquam approbarunt, et eam a Regularibus penitus aboleri cupit Auctor.*

2 *Iuxta vero ordinis statuta eam incurrunt tertia vice in fornicationem labentes, et sacrilegium patrantes, et innominabile secunda vice perpetrantes.*

3 *Item interficientes, vel atrociter, et enormiter vulnerantes, aut venenum propinantes alicui, vel talia fieri procurantes, et Prouincialem, vel Generalem leuiter percutientes.*

4 *Item incorrigibiles, et crimen admittentes, pro quo in sæculo mors infligitur.*

1 Gra-

1 GRauiſſima apud Regulares omnium pœnarum fuit exiſtimata ſemper triremium pœna ſiue perpetua, ſiue temporalis, & quam zelantes Patres antiqui refugere ſemper, & abhorrere conſueuerunt, quin & ipſi Religionum fundatores numquã talem pœna approbaſſe videntur, ſed ſolàm eiectionem ab ordine facinoroſis, & incorrigibilibus imponere ſemper viſi ſunt, vt optime aduertit Nauarrus in c. Nullum. 18. q. 1. & quam omnino aboleri vellem multis de cauſis a ſtatutis, & inſtitutis regularium, & ab eorum vſu, practica, & conſuetudine penitus eliminari.

2 Veruntamen cum pro multis criminibus inflicta ſit, meum ſequendo inſtitutum, ea breuiter annotabo: primo itaque illam incurrunt ſuperiorum arbitratu, qui in aliquã fornicationis ſpeciem tertia vice inciderint; ſimiliter qui vel prima vice ſacrilegium admiſerit: ad triremes autẽ perpetuò, qui de vitio nefando ſecunda vice conuictus fuerit.

3 Ad triremes etiam condemnari debet qui alium interfecerint, vel atrociter mutilauerit, vel enormiter vulnerauerit, aut alicui venenum dederit, & qui hæc eadem, vel ſimilia per alium fieri procurauerit, vel ad huiuſmodi facienda machinaſſe legitimè conuictus fuerit: quicunque verò Prælatum localem interfecerit, ad triremes perpetuo damnandus; et ſi gladio vulnerauerit non ſequuta morte, damnandus ad triremes arbitrio ſuperioris, & ſimiliter arbitrio Generalis qui Prouincialem quouis modo etiam leuiter percuſſerit: ſi autem gladio, ſiue mors ſequuta fuerit, ſiue nõ, ad triremes omnino perpetuo damnandus, & ſimiliter qui Generalem ipſum etiam leuiſſime percuſſerit.

4 Ad

4 Ad triremes etiam damnandi incorrigibiles superiorum arbitratu, & similiter ad triremes perpetuo damnandi qui aliquod crimen admisserint post Religionis ingressum; pro quo in sæculo morte plectendi essent superiorum arbitrio.

De Apostasiæ pœna. Cap. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Apostatæ qui sint, & quot modis Apostasiam quis incurrat.*
2 *Distinguuntur Apostasiæ gradus: in primo gradu est leuis Apostasia, & quæ sit illa.*
3 *In secundo gradu est grauis Apostasia, & quomodo incurratur.*
4 *Gradus Apostasiæ grauioris quomodo incurratur.*
5 *Quomodo incurratur gradus Apostasiæ grauissimæ.*
6 *Apostasiæ gradus ad arbitrium superioris iudicandus.*
7 *Item grauem Apostasiam quis incurrat.*
8 *Leuem Apostasiam quis incurrat.*
9 *Apostasiæ gradus ad arbitrium superioris.*
10 *Omnis Apostasiæ cuiuscunque gradus pœna communis est excommunicatio, & specialis leuissima est carceratio, &c.*
11 *Leuioris Apostasiæ pœna.*
12 *Leuis Apostasiæ pœna.*
13 *Grauis Apostasiæ pœna.*
14 *Grauioris Apostasiæ pœna.*
15 *Grauissimæ Apostasiæ pœna.*

16 *Iudex*

1 EX antiquis Religionis statutis, & ex concil. Trid. sess. 25. cap. 4. innouatis, & citatis per statuta Vallisoletana fol. 29. tit. de Apostat. per totum cauetur expresse, atque pro constãti habetur eos omnes nostri ordinis Fratres, qui contra obedientiã, vel sine sui superioris licentia, vel cũ habitu, & socio, vel sine vtroq. vel sine altero eorum tantum quouis prętextu, aut quęsito colore, etiam ad superiores accedendi, de conuentu recesserint, aut exierint Apostatas esse, & pro Apostatis haberi debere, & Apostasiæ notam, & pęnam incurrere.

2 Distinguunt vero eadem statuta ibidem Apostasiæ gradus, & pęnas. In primo gradu est leuis Apostasia; quando quis sine legitima sui superioris licentia tacita, vel expressa conuentum egreditur: & per diem naturalem extra commoratur. Leuior etiam erit Apostasia, si de superioris licentia quis egreditur, sed sine eiusdem licentia pernoctauerit in altero conuentu, vel nostri, vel alterius ordinis, nisi vrgens necessitas eidem superiori probãda excusauerit: leuissima vero erit Apostasia quando sine licentia tacita, vel expressa quis egreditur de conuentu, sed tamen eodem die reuertitur.

3 In secundo gradu est grauis Apostasia, quando quis absque superioris licentia, vel contra eius obedientiam suppositam exierit etiam sub prætextu ad superiores accedendi, sed tamen non accesserit, & extra obedientiam

per

per triduum permanserit, si vero ad superiorem recta accesserit, de leui Apostasia notetur.

4 In tertio gradu grauior est Apostasia, quando quis contra obedientiam sui superioris expressam de conuentu recesserit, etiam sub prætextu ad superiorem accedendi, ad quem is non accesserit, & extra obedientiam per dies octo commoratus fuerit; si autem superiorem infra dictum tempus adierit, graui Apostasia innodetur.

5 In quarto gradu grauissima est Apostasia, quando quis timore Dei postposito, ac suæ salutis oblitus, Religionis habitum temere deposuerit, & extra obedientiam vltra duos menses permanserit.

6 Item qui superiorum concessu aliquò proficiscens, aliò vadit, vel per aliam viam, quam sibi per facultatem liceat, vel qui tempus per facultatem sibi præscriptum excesserit, & sine socio de loco ad locum proficiscitur sine expressa licentia. Hi omnes Apostasiæ notam incurrent aut leuem, aut grauem, superioris iudicio, & arbitratu.

7 Item qui sub prætextu licentiæ a superiorib. Prælatis obtentæ, aut conuentus, aut Prouinciæ limites egreditur, non ostensa prius respectiuè Prouinciali Generalis licentia, vel ipsius Prouincialis Prælato locali, & ab eorum altero recedendi benedictionem acceperit, grauem Apostasiam incurrat: quod si Prouincialem in remotis agere contigerit, ita quod eius præsentia facile haberi non possit, & negotiũ, pro cuius expeditione profecturus est, vrgeat; & superioris localis iudicio dilationem non patiatur: tunc locali Prælato licentiam Generalis ostendat coram testibus, & Prouincialem ipsum de suo recessu per litteras admoneat: & vt primum

in

in prouinciam redierit, Prouinciali reditum saltem per litteras significet.

8 Superior præterea localis suos Fratres extra sui conuentus territorium, vel quæstam transmittere, aut licentiare non potest, nisi de speciali superioris facultate; & contrafaciens officio est priuandus, & qui cum sua licentia sic abierit, leuem Apostasiam incurrit.

9 Item, qui licentiam a Generali obtentam exeundi extra Prouinciam infra duos menses exequutioni non demandauerit, sed illis iam trãsactis, Apostasiæ notam incurrit, grauem, aut grauiorẽ superioris iudicio de discretorum consilio taxandam excipiuntur, tamen Commissarii, lectores, Concionatores, & consimiles, qui non nisi oportuno tempore suas licentias exequi debent.

10 His declaratis Apostatarum omnium pœna est excommunicatio, & vltra eam leuissimæ Apostasiæ pœna pro prima vice est per vnum diem carceratio, & per annum suffragiorum iure priuatio. Pro secunda vice pena duplicari debet: & sic deinceps.

11 Leuioris est per biduum carceratio pro prima vice, & per biennium suffragiorum iure priuatio. Pro secunda vice pœna duplicetur, & sic deinceps.

12 Leuis pro prima vice est carceratio per triduum, & suffragiorum iure per triennium priuatio. Et pro secunda, & tertia pœna duplicetur, & deinceps prout de grauibri, vel de grauissima puniatur superiorum arbitratu.

13 Grauis pro prima vice est per triduum carceratio, & in pane, & aqua ieiunium, & suffragiorum iure per triennium priuatio. Pro secunda vice pœna duplicari debet, & probationis caputium per tres menses addi, & vltimũ locum

locum inter omnes sui ordinis professores tenere debet talis apostata. Et pro tertia vice vltra præfatas pęnas, prout de grauiori Apostasia puniatur, & si deinceps in idipsum inciderit, prout de grauissima puniendus erit.

14 Pro grauiori autem Apostasia, quis pro prima vice trimestri carceri mancipetur, quo tempore singulis hebdomadibus pane, & aqua tribus diebus ieiunet, ac prætérea sexta feria coram fratribus capitulariter congregatis disciplinam sibi adhibeat recitando psalmum Miserere mei Deus &c. & humi genuflexus in pane, & aqua ieiunet, & omni suffragiorum iure sexennio priuatus sit. Pro secunda vice pęna duplicetur, & vlterius probationis caputiũ per annum integrum deferat; quo tempore inter omnes professos vltimum locum teneat, & lauet vtensilia. Pro tertia vice omni suffragiorum iure perpetuo careat: probationis caputiũ triennio integro deferat, quo tẽpore singulis sextis feriis disciplinã faciat: & humi genuflexus in pane, & aqua ieiunet in communitate, & vltimum locum inter omnes professos teneat, vtensilia lauet, & pro carcere conuentum habeat, a quo egredi non permittatur, nisi publicæ processionis, vel vtilitatis gratia, & si quis adeo petulans fuerit, vt in id ipsum iterum incidat, pœna ei augeatur pro modo culpæ superioris arbitrio, etiam vsque ad triremes inclusiue.

15 Pro grauissima vero Apostasia pro prima vice quis trimestri carceri mancipetur, triennio integro probationis caputium deferat, quo tempore singulis sextis feriis in communitate disciplinam faciat, & humi genuflexus pane, & aqua ieiunet sine caputio, omnium suffragiorũ

iure

iure decēnio careat: quo tempore inter omnes professos vltimum locum teneat, vtensilia lauet, & de conuentu non nisi publicę vtilitatis causa egrediatur: secunda vice duplicentur præfatæ pęnæ, & pro tertia velut incorrigibilis Religionis habitu perpetuo priuetur, & ad triremes per decennium condemnatus mittatur. Et si in sacris fuerit, & superuixerit, omnium sacrorum ordinum execquutione perpetuo suspensus sit.

16 Pro huiusmodi porro Apostatis ad eos coercendos eadem statuta sancte decreuerunt, vt eorum iudex competens latiorem habeat Prouinciam, & terminum, quam cuiscumque alterius in ordine criminosi, & ideo eodem titulo de Apostat. fol. 36. §. Declaramus. decernunt, quod quicunq. superiores tam Prouinciales, quam locales ordinariam potestatem habeant excommuuicandi, capiendi, & carcerandi omnes Apostatas, etiam aliorum locorum, & aliarum Prouinciarū ad eorum loca, & Prouincias diuertentes, & in casu necessitatis etiam omnes alii Fratres facultatem habeant Apostatas ordinis capiendi iuxta indultum cuiusdam Priuilegii Innocentii IV.

17 Omnes autem Apostatæ cū ad obediētiā, & pęnitentiam quomodocunque primo redierint in communitate Fratrum solemniter absoluantur genuflexi disciplinam sibi adhibētes recitando psalmū Miserere mei Deus &c. vt in statutis: & post absolutionem semper genuflexi, sine capucio humi pane, & aqua ieiunent, & qui pœnas prædictas neglexerit, aut aliter Apostatam absoluerit, officio priuetur, vel grauius puniatur superioris arbitrio.

18 Apostatarum vero si quis adeo impęnitens, & contumax

max fuerit, ut pœnas prædictas subire recuset, omnibus iuris, & facti remediis, etiam per censuras, grauiter coerceatur inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio bracchii sæcularis.

De expulsione ab ordine. *Cap. XIX.*

SVMMARIVM.

1 *In locum pęnæ triremium cuperet Auctor expulsionem ab ordine.*

2 *Prælatis ordinis concessum ex priuilegio Alexandri sexti expellendi ab ordine incorrigibiles.*

3 *Tria requisita ex D. Bonauentura ad expulsionem ab ordine.*

4 *Secus expellentes grauiter errare asserit, & potius vellet perpetuò carcerari tales, vel morte puniri.*

5 *Auctor cuperet morte dignos cum solita protestatione tradi curiæ sæculari.*

6 *Cæteros autem incorrigibiles expelli.*

7 *Incorrigibiles qui sint, explicatur.*

8 *Apostata post trinam punitionem incorrigibilis.*

9 *Pœnam expulsionis nullis facinorosis infligi vellet Auctor, nisi incorrigibilibus, & morte dignis.*

10 *Idem seruari cupit in homicidis, & similibus.*

1 VT vero superius dixi cum pęna triremiũ valde sit scãdalosa, & ordini, & dãnatis ipsis per q̃ perniciosa, ad huiusmodi, & quam plurima alia euitanda inconuenientia vellem omnino a Religionibus penitus aboleri præfatã pęnã, & eius loco vsu introduci, & practicari pę-

nam priuationis habitus, & eiectionis ab ordine, consultis tñ prius maioribus,quorũ intereſt: illa enim eſt valde ſalutaris, & maxime opportuna tum, quia Religio facinoroſis hominib. liberatur,& expurgata remanens tranquillitate, ac ſerenitate Religioſis viris condecẽti gaudet,Deo Optimo Maximo liberius,gratius,& ſalutarius inſeruit, & ſæculum ipſum (ad quod maxime inſtitutæ ſunt Religiones) longe magis,ac magis ædificatur.

2 Et huiuſmodi pœna valde conſona eſt antiquiſſimæ ſanctorum Patrum inſtitutioni, & Religionum fundatoribus, qui ea, vt plurimum vtebantur contra facinoroſos, & incorrigibiles, vt ſuperius dixi ex Nauar. cap. nullum 18.quæſt. 1.& notatur apud nos in antiquis monumentis ordinum in prima impreſſione fol. 56. concluſ. 85. priuilegium Alexandri ſexti ad hoc infraſcripti tenoris. Alexander ſextus fecit facultatem Generalibus ordinis minorum, vt per ſemetipſos dumtaxat, & Prouincialibus, vt ipſi cum conſenſu maioris partis capituli dictos Fratres ordinis, quos incorrigibiles repererint, habitu expoliare valeant, & ab ordine eiicere, atque contra quoſcunque eis auxilium, conſilium, fauorem publice, vel occulte, directè, vel indirecte, aut quouis quæſito colore ſuper delatione dicti habitus præſtantes etiam cuiuſcunque dignitatis gradus, ordinis, aut conditionis fuerint, per cenſuras eccleſiaſticas, ac alia iuris opportuna remedia (appellatione poſtpoſita) procedendi: inuocando etiam, ſi opus fuerit, auxilium bracchii ſæcularis &c. ex quo patet claram eſſe facultatem Prælatis elargitam a ſummo Pontifice incorrigibiles expellendi ab ordine.

3 Vt

3 Vt vero non contingat errare quo ad expulsionem prefatorum incorrigibilium, S. Bonau. supra Reg. Fratrum Min. quæst. 14. piissime docet tria debere concurrere ad hoc, vt iuste possint Fratres expelli ab ordine: primum, quod eorum delicta sint notoria fratribus, & secularibus: secundum, quod Fratres eorum malo exemplo possint infici, & corrumpi, & sæculares scandalizari: tertium, quod sint incorrigibiles, & secus eiicere, his non obseruatis, non iudicat D. Bonauentura esse tutum in conscientia, licet in foro fori Prælati possint ex prædicta Apostolica facultate.

4 Quin addit ibid. D. Bonau. qđ cũ nec Papa, nec Prælati ordinis possint liberare Fratres ab obligatione voti solenis in professione emissi, eiiciendo tales extra ordinem, vltra scandalum, quod in animis sæcularium potest generari, est exponere illos periculo dãnationis ęternæ, cum sic eiecti nequeant seruare regulam, quam promiserunt, sed tales debent perpetuis carceribus mancipari, ac secundum exigentiã delictorum puniri, etiam vltimo supplicio, prout puniri solent Clerici sæculares secundum iura canonica, quibus subiiciuntur Religiosi, sicut reliquæ Personæ Ecclesiasticæ. Hęc D. Bonauentura.

5 Ad hanc itaque sancti Doctoris moderationem respiciendo, & magis eam explicando, & distinguendo, vellẽ pro illis delictis, pro quibus in sæculo mors ordinarie infligitur, delinquentes tales expelli ab ordine, & tradi curiæ sæculari cum solita de non effundẽdo sanguine potestatione, vt de illis tribunalia sæcularia facerent, quidquid magis expediens, & oportunius iudicassent.

6 Cæterum alii corrigibiles, qui mortem nõ merentur,

liberos dimitti vellem ab ordine, & iuxta pie, ac sanctè decreta ipsius ordinis, semel eiectos numquam ad Religionem amplius admitti: cum id sine maiori detrimento, & aliorum Fratrum scandalo minime fieri possit, & præterea in ordine incorrigibiles eiusmodi numquã cõmode corripi, vel puniri queunt: quare omnino absque vlla cunctatione omnes tales a Religione eiici, & expelli vellem in perpetuum, consultis, vt dictum est, prius maioribus, ad quos pertinet de, & super his decernere.

7 Qui nam autem sint incorrigibiles, tactum est supra cap. de pęna carceris, & expresse declarant statuta fol. 147. tit. de incorrigibilib. statuentes, quod incorrigibiles omnino sunt censendi, qui ter de eodem graui crimine conuicti, & puniti non resipiscunt: quę declaratio optima videtur, & omnino amplectenda: nam est valde conformis antiquis ordinis institutis, nedum nostris, sed Prædicatorum, & Iesuitarum, & aliorum ordinum, quin Parlamentum Parisiẽse citatum a Roderico to. 1. quęst. 30. art. 15. declarat, quod in criminibus grauibus, in quibus non imponitur pœna mortis, reputatur Clericus incorrigibilis ad effectum, vt degradatus tradi possit bracchio sęculari, si bis venia ipsi data fuerit: q̃ doctrinã, vt iustã, & iuridicã valde approbant in suis practicis criminalibus Clar. quæstio. 36. numero 24. & Salzedo capitulo 140. §. incorrigibilis. iustissima ergo, & longe mitior est nostrorum statutorum declaratio, cum non bis tantum, sed ter veniam impertiatur; quare illam sequi omnino est condecens, iustum, & salutare.

8 Ex quo cõstat, quod cõmittens tres apostasias graues pro-

propter quas fuit iuridice punitus, & non fuerit emendatus, sed in quarta reinciderit, potest, & debet expelli a Religione.

9 Longius etiã disputat Rodericus art. cit. quod Religiosus valde facinorosus, & de quo nulla sit correctionis, & emendationis spes; licet nunquam alias punitus, possit expelli ab ordine conformiter ad præfata: & adducit specialiter concessionem Pii quinti ordini D. Hieronymi in Hispaniis factam anno 1566. 19. die Septembris Pont. sui anno primo, vbi inter alia dicit, quod possit capitulum Generale, aut priuatũ Fratres delinquentes in delictis grauioribus, aut grauissimis, velut inobedientiæ contumacis, seu incorrigibilitatis vsq; ad priuationem habitus inclusiue punire, & castigare: hæc Pius quintus. Vbi videtur clare, quod incorrigibilitas requiritur ad expellendos etiam grauissime peccantes, contra id, quod sentit Rodericus, & hęc tutior est via, a qua mea sententia non recedendum; quantuncunque enim sint flagitiosi delinquentes, possunt semel, & iterum puniri, & post tertiam punitionem habitu priuari, exceptis delictis, quę in sæculo mortem mererentur, de quibus superius dictum est.

10 Elicit etiam Rodericus q. præfata art. 18. quod homicida potest expelli ab ordine, dummodo propriis manibus interfecerit, vel expresse mandauerit interfici secundum ius commune: licet autem postea in eodem articulo recedere videatur a præfata doctrina: eam tñ ego seruari vellem modo, & forma superius tradita, singula singulis applicando in omni crimine, pro quo in sęculo pęna mortis infligenda esset, exceptis casibus, in quib. aliqua circumstantia, vel rationabilis causa iuxta supe-

rius tradita in cap. de remissione pęnarũ. pęnam huiusmodi minuendam esse ostenderet, quia tunc non deberent expelli delinquentes ab ordine, neque curiæ tradi sæculari, sed pęna mitiori puniri secundùm qualitatem causæ minuentis pœnam per ter, vt supra.

De Religiosis iam expulsis ab ordine. Cap. XX.

SVMMARIVM.

1 *Expulsus ab ordine remanet liber ab obseruatione obedientiæ, & paupertatis, non autem castitatis.*

2 *Nec tenentur sic expulsi obedire episcopo magis, quam cæteri ecclesiastici.*

3 *Nec tenentur expulsi aliam ingredi Religionem; possunt tamen.*

4 *Quibus conditionib. recipi posśint ad alium ordinem.*

5 *Non possunt autem expellentes iubere expulsis, vt aliam ingrediantur Religionem.*

6 *Nec tenentur quærere, vt iterum ad eundem recipiantur ordinem.*

7 *Nec possunt vi reuocari, nec Prælati possunt cogi ad illos recipiendos iterum.*

8 *Tenentur autem ad persoluendum diuinum officium, & cætera omnia, quæ non sunt eorum status præsenti incompossibilia.*

9 *Nec possunt confessiones audire, vel prædicare, & docere.*

10 *Et possunt promoueri ad sacros ordines seruatis seruandis.*

1 Sotus

1 SOtus de iustitia, & iure cap. 7. quæst. 1. ar. 1. ait, quod quilibet Religiosus ab ordine suo expulsus remanet absolutus a votis obedientiæ, & paupertatis, non tamē a voto castitatis, quod solemniter emisit, nec Prælatus potuit eum ab eo liberare.

2 Nec tenentur ab ordine expulsi episcopo alicui obedire ex vi voti iam emissi, sed (vt optime aduertit Nauarrus lib. 5. cons. tit. de Reg. consil. 79) sufficit, quod maneant sub obediētia episcopi, & sub eius iurisdictione, sicut cęteri ecclesiastici manendo in aliquo loco honesto siue solitarie, siue inter cognatos, & amicos, quam doctrinam fusius amplectitur, & sequitur Molina 2. 2. trac. 2. disp. 149. pa. 797. debent autem se pręsentare episcopo originis, vt docet Nauarrus in cap. non dicatis. num. 42. vel alteri Episcopo, in cuius Diœcesi domicilium acquirere, & firmare intendant iuxta doctrinam Roderici in eadem quæst. art. 25.

3 Nec tenentur iuxta eundem Molinam ibidem, & Nauarrum in cap. nullum. num. 46. ingredi aliam Religionem siue strictiorē, siue laxiorem, etiam quod summus Pontifex id illis concederet, quia id non vouerunt: possunt tamen absque licentia superiorum expellentium transire ad aliam Religionem, siue laxiorem, siue strictiorem, seu æqualem, ac si numquam professi essent Religionem, a qua sunt per iuridicam, & diffinitiuam sententiam expulsi, & soluti, per quam extincta est obligatio, qua tenebantur illi Regulæ quia obligatio extincta non potest reuiuiscere, nec impedimētum tolere, vel afferre, l. qui res. §. Aream. ff. de solu. & docet Nauarrus lib. 8. consil. tit. de regular. consil. 78.

4 Etsi autem videatur huiusmodi expulsos non posse

recipi ab aliis Religionibus, quia sunt infames, tales autem recipi prohibentur per constitutionem Sixti quinti prohibentis recipi ad Religionem infames, tamen quia Innocentius IV. (vt habetur in lib. monumenta ord. in prima impres. fol. 37. & in 2. fol. 120. conces. 162.) concessit, vt eiecti, vel egressi ab ordine minorum possint transire ad alios ordines approbatos, præterquam beati Aug. Templariorum, Hospitaliorum, & aliorum religiosorum arma portantium: deferendo tamen litteras testimoniales Generalis, vel Prouincialis dicti ordinis, cum iis conditionibus non video, quin possint recipi: inhibuit vero idẽ Innoc. IIII. districte, ne tales Fratres aliter ad aliũ ordinẽ transeant, vel aliqui eos recipere, seu retinere præsumant absque licentia speciali sedis Apostolicæ facienti de præsentibus mẽtionem, ex quib. arbitratur Rodericus eadem q. art. 22. receptionẽ taliũ, & professionem aliter factã nõ valere iuxta Glossam in Clement. 1. verb. inhibentes. de iure patron. & Felinũ in cap. ex parte col. 4. de constit. communiter receptum.

5 Non possunt autẽ Prelati expellẽtes iubere expulsis, vt ingrediantur aliã Religionem, vt docet Nauar. lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 77. nu. 2. quia iudici extra territorium iudicanti nõ est parendũ iuxta vulgaria iura l. fin. ff. de omn. iudi. c. 2. de constit. lib. 2. superior autẽ eiiciẽs habet iurisdictionẽ in suum Religiosum, quanto tempore subditur illi, at simul, vt priuatur habitu, desinit esse eius subditus, ergo non habet in illum amplius iurisdictionem.

6 Nec tenentur sic expulsi rogare, vel quærere, vt iterum recipiantur in eandem, vel aliam Religionem: sed possunt manere in habitu clericali, vt docet Nauar. in

cap.

cap. Non dicatis. numero trigesimosexto.

7 Nec possunt Prælati ordinis cogi ad iterum recipiendos tales expulsos: nec ipsi expulsi possunt iterum reuocari ad claustrum iuxta quandam Glos. in clem. 1. §. ad hoc. de statu Monac. verb. Claus. communiter receptam, & quam plurimos canones id suadentes c. si quis transf. 21. q. 1. & cap. quædam. 16. q. 2. & notat Lapus ad Federici consilium 38.

8 Ait insuper Soto loc. cit. non teneri sic expulsos ad persoluendum officium diuinum, nisi fuerint in sacris constituti: neque ieiuniis, & aliis annexis Religioni, si quidem illorum nō fecerunt votum expressum, quare ad illa non tenebantur, nisi ratione Religionis, a qua iam sunt expulsi: sed contrarium docet Nauar. quoad horas canonicas de hor. can. c. 7. num. 20. qm̄ culpa non debet eis patrocinari, neq. libertatem conferre iuxta sacros canones c. 1. de Apostatis, & alibi, iuxta quod mea sententia contra Sotum sentiendum in oīb. præfatis, quādo ex voto tenentur; non enim liberantur, nec liberari possunt a voto solemniter emisso, nisi ab his, quæ non possunt seruare, vel vix, & maxima cum difficultate, vt est obedientia, qua eximit illos Religio, nolens amplius ab eis obediri, & paupertas etiam, quam non possunt seruare, cū alimenta quærere teneantur; cætera vero omnia debent explere, quæ possunt: vera tamen est doctrina Soti in expulsis a Religione Prædicatorum, & aliarum Religionum, si quæ sunt, in quibus professores ad persoluendum officium, & ad ieiunia non teneantur, & ad multa alia ex voto sub pœna peccati mortalis, sicut e contra tenentur vniuersaliter cęteri Religiosi, & præsertim nostri Minores.

9 Nec

9 Nec possunt prædicare, vel confessiones audire, vel docere, nisi de licentia sedis Apostolicæ sub excommunicationis pœna.

10 Possunt autem ab episcopis ordinari, & promoueri ad sacros ordines, ad quos in Religione non fuerint promoti, nisi eis aliquod canonicum obstet impedimētum, quo in casu dispēsatio, vel habilitatio est præmittenda, & impedimentum remouendum a facultatem habente.

De pęna Talionis. Cap. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Pęnam Talionis in omnib. obseruari præfatis pęnis, & delictis cupit Auctor.*

2 *Sic per statuta illam incurrunt falsum testantes, & falso accusantes, vel de crimine alias punito, vel alias absoluto.*

3 *Et Prælati eam infligere negligentes suspendendi, vel priuandi.*

4 *Item pęnam talionis incurrunt infamatores, calumniatores, & falsi testes.*

5 *Item reuelantes delicta, quæ probare nequeunt, alteri quam Prælatis.*

1 Licet pęna Talionis sit pene abolita in vtroque foro tam ecclesiastico, quā sæculari, vt superius dictum est: verumtamen apud Regulares ego magnopere cuperem illam vigere, viridique semper consistere obseruantia pro religionis pace, quiete, ac tranquillitate ad penitus eliminādos malignantes, & ad rixis, contentionibus,

nibus, & persecutionibus finem denique aliquando imponendum, ad quæ omnia vnicum videtur esse remedium, & illud efficacissimum pœnā talionis vsu introducere, ac rigorose inuiolabiliterque seruare etiam in delictis, quæ expulsionē ab ordine mererentur: ideo post dictas omnes pęnas de illa hic tractandum breuiter duxi.

2 Quare ad id respiciendo, statuta nostri ordinis prudenter, ac sanctè illam seruandam omnino pluribus in locis decreuerunt; sic fol. 136. tit. de pęna talionis. decernunt, quod pœna talionis puniri debent qui falsum testantur; & item accusatores, qui crimen obiectum legitime, ac sufficienter non probauerint: item qui scienter de crimine alias sufficienter punito quempiam accusauerint: & similiter qui ex malitia de illis excessibus accusauerint, a quibus alias accusatus iudicialiter, ac ritè fuerit absolutus.

3 Et quia hęc Apostolica Sancti Damasi constitutio videbatur in Religione prætermissa, & neglecta, subdunt statuta ibidem; iccirco, vt ab omnib. ordinis superioribus, & Prælatis exactius, quam antea seruetur, magnopere quidem cupimus, atque adeo mandamus sub graui suspensionis pęna, vel priuationis etiam contrafacientibus, aut negligentibus subeunda &c.

4 Item fol. 138. tit. de pęnis contra infamatores, &c. sic statuunt. Pęna in calumniatores, infamatores, & falsos testes, præter eam, quæ talionis dicitur, perpetua est infamia.

5 Item fol. 142. tit. de reuelantib. secreta. §. 2. ita decernunt: qui alterius Fratris crimen, quod legitime probare non potest, alteri, quam Prælato suo, reuelauerit, pęna talionis puniatur. Ex quibus constat, qua vigilantia,

&

& quo zelo sancti antiqui Patres præfatam talionis pœnam obseruãdam curauerint ad præcludendam calumniis, & imposturis, ac indebitis vexationibus viam; & ad culmniatores, & impostores pęnitus pro viribus compescendos, & extirpandos.

Quomodo pœnæ impositæ subeundæ. Cap. XXII.

SVMMARIVM.

1 *Nullam præfatarum pœnarum incurrunt, nisi scienter, & ex deliberatione contrarium facientes, & post Prælati declarationem.*

2 *Post quam rei pęnas omnino subire tenentur.*

1 QVo ad pęnas in statutis nostris decretas eadem sic declarant fol. 140. §. Declaramus. tit. de correct. & appellat. his verbis Declaramus itẽ, quod quando in statutis pœna carceris, excommunicationis, suspensionis, aut priuationis exprimitur, vel taxatur, nolumus ad eã obligari, aut teneri Fratres, nisi scienter, & ex deliberatione contrarium facientes; & etiam vbicumque taxatur pęna ipso facto incurrenda, decernimus in pęnam eiusmodi neminem incurrere, nisi post declarationem factam a Prælato.

2 Facta vero declaratione, siue per euidẽtiã rei, siue quia legitimè de crimine constiterit, ipso facto absque alia impositione reus taxatam pœnam incurrere debere decernunt ibidem eadem statuta: & superius fol. 138. tit. de pœnis contra infamatores, &c. decernunt generaliter pœnis omnibus subiacere, & afficiendos esse quos

sancte

sanctæ obedientię paupertatis, aut castitatis votum quoquomodo violare, aut violasse constiterit, vel alias contra generalia, vel prouincialia statuta, constitutiones, & decreta facere, aut fecisse, prout ipsis constitutionibus, & decretis specialiter, & expresse cauetur: ex quibus constat, quod pœnas debite impositas debent rei omnino subire absque alia cunctatione.

De Reprehensione, siue obiurgatione in prolatione sententiæ. Cap. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *In publicandis reorum sententiis modestis, & religiosis verbis vti debent.*
2 *Concilium Tridentinum vniuersalem huius rei regulam tradit.*
3 *Increpationes aliquando adhibendæ, quæ aliàs essent contumeliæ.*
4 *Sententia Caietani circa hoc.*
5 *Nauarri Regula, quam sequitur Auctor.*

1 LIcet statuta de hac re non faciant specialem, & expressam mentionem, veruntamen tit. de verbis indebite prolatis fol. 144. §. Præterea vniuersaliter &c. decernũt, quod Prælati ordinis in reprehẽdẽdis criminib. modestis, ac tẽperatis verbis vti semper debẽt, ita vt nullo modo turbationis causa subditis prębeatur, qua modestia, & temperantia vti debent semper in publicis exhortationibus, & correctionibus; quare, & similiter in publicandis sententiis pænalibus, & in declarandis,

&

& imponendis pęnis, & qui secus fecerint Prælati, debent officio suspendi superioris arbitratu.

2 Cum tamē subditi pro modo culparum sint grauiter arguendi iuxta D. Pauli monitum dicentis. 1. Timot. 2. Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina, &c. sacrum Concilium Tridentinum sess. 13. c. 1. de refor. vniuersalem quandam huius rei tradit regulā his verbis: Illa Apostoli est ab eis (idest Prælatis) seruanda præceptio, vt illos (idest subditos) arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia, cum sæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio plus charitas, quam potestas; si autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit; tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est; vt sine asperitate disciplina populo salutaris, ac necessaria conseruetur, & qui correcti fuerint, emēdentur, aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animaduersionis exemplo a vitiis deterreantur; cum sit diligentis, & pii simul Pastoris morbis ouium leuia primum adhibere fomenta: post vbi morbi grauitas ita postulet, ad acriora, & grauiora remedia descendere: sin autem ne ea quidem proficiant illis submouendis, cæteras saltem oues a contagionis periculo liberare: hæc Concilium Tridentinum in vniuersali.

3 Specialius tamen distinguendo videntur aliquando posse, ac debere descendere ad obiurgationes, & increpationes secundum culparum exigentiam, quæ alias essent contumeliæ, & conuitia: sic Apostolus ad Galat. c. 3. ait. O insensati Galatæ; &c. & Dominus noster, qui est omnium infallibilis norma Luc. vlt. dixit ad discipulos;

los, ò stulti, & tardi corde ad credendum, &c. Quæ omnia, & similia in Christo domino, & in Sanctis eius non solum non fuerunt cum peccato, sed potius maximo cum merito: hęc fuerunt conuitia, nec contumeliæ; sed iustæ obiurgationes, iustæque punitiones: ita D. Tho. in 2.2.q.72.art.2. ad secundum ait. Quod sicut licitum est verberare, vel in rebus damnificare causa disciplinæ: ita etiam, & causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod alias conuitiosum dicere: sic Dominus discipulos vocauit stultos: hæc D. Thomas.

4 Vbi Caietanus aduertit, quod tutius videtur, quod contumeliæ nunquam, nisi Spiritu sancto suggerente, dicantur: quoniam repræsentatur subditis, quod non ex charitate, sed ex passione, procedant, fiuntque deteriores non suscipiendo disciplinam, leuiusque verbera, quam contumeliosa verba suscipiunt: vnde Tullius lib. 3. de offic. ait: omnis animaduersio, & castigatio contumelia vacare debet.

5 Denique Nauarrus in Manual. nu. 18. c. 10. oẽm videtur superare scopulum: ait enim, quod vt obiurgatio, & increpatio, etiam propter correctionem, & disciplinam fiat absque peccato, requiritur, vt solum significetur vitium, cuius correctio prætenditur: & nullum aliud iam punitum, vel emendatum, & hæc videtur mihi optima, & infallibilis regula, & ab omni errore tutissima, & quam adamussim seruatam videmus a Christo Domino, & a b eius Apostolo: Dominus enim discipulos reprehendit, & obiurgat solum, & præcise de culpa, de qua in fragrãti eos reperiit dicens: o stulti, & tardi corde ad credendum: similiter Apostolus se gerit cum Ga-

latis:

latis: quare Prælati, ne errent, solum vitia reprehendant, & arguant, de quibus legitime constiterit, delinquentes reos esse, & nullo modo de aliis, & sic non ex passione, vel odio, sed ex charitate, & zelo procedere se clare demonstrabunt quod, si ex eo delinquẽtes deteriores euadant, sibi ipsis, & suæ propriæ malitiæ imputent: in obiurgandis itaque prædictis peccatis Prælati præfatæ Nauarræ, ac D. Thomæ doctrinæ se conforment pro modo, & exigentia culparum, & non ab re fulminẽt iniurias, & contumelias contra subditos, vt perquam barbare a nonnullis fieri ego sępius vidi magno animi mei dolore, & aliorum Fratrum scandalo, & murmuratione, & correctorum maiori perditione.

DE APPELLATIONIBVS.

Tractatus decimi Pars Quarta.

De Appellatione iuxta Ordinis Statuta. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *A pœnis iuxta leges, & iuridicè inflictis nullatenus appellare licet.*
2 *Appellatio quid sit, & quando admittenda.*
3 *Ordo in appellatione seruandus.*
4 *Item in recursu.*
5 *Appellanti quæ tradenda.*
6 *Quid agendum si appellans de fuga erit suspectus.*

7 Appel-

1 STatuta Vallisoletana fol. 139. titu. de correct. & appel. §. 1. sic decernunt. A supradictis pęnis appellare cuiquam ne liceat, quoniam a legibus appellare nō licet, prout iure cautū est, & specialiter ex constitutione Bonifacii VIII. manifeste cōstat: hęc statuta. In præfata vero constitutione in calce hęc habentur. Nec volumus eisdem licere Fratribus ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare præuia deliberatione, & maturitate debita obseruatis. Hæc præfata constitutio.

2 Quia vero dantur aliqui casus, in quibus appellatio de iure debet concedi: ideo eadem statuta fol. 154. tit. de appellatio. sic decernunt. Cum appellatio sit ab inferiori ad superiorem iudicem legitima prouocatio: iccirco vbi appellationi locus sit, eam admittendam esse decernimus. Porro, quia rei criminum plerumq. ad euitandas pœnas, & superiorum subter fugienda iudicia, querelas, & grauamina simulant, vt appellationis diffugio iudicis processum impediant, ne remedio

ad innocentiæ præsidium instituto ad iniquitatis defensionẽ abutantur: atque vt huiusmodi eorum calliditati, & tergiuersationi occuratur, Sacræ Tridentinæ Synodi Decretis inhærendo sess. 13. c. 1. de reform. & sess. 22. c. 1. de ref. & sess. 24. c. 10. de refor. statuimus, & decernimus, vt in causis visitationis, & correctionis, siue habilitatis, & inhabilitatis, necnon criminalibus, a Prouinciali ante diffinitiuam sententiam ab interlocutoria, vel aliquo quocunque grauamine non appelletur: nec Prouincialis, aut eius Vicarius appellationi huiusmodi, tamquam friuolæ deferre teneatur, sed ea, ac quacunque inhibitione ab appellationis iudice emanata, necnõ omni stilo, & consuetudine contraria non obstante, ad vlteriora valeat procedere, nisi grauamen huiusmodi per diffinitiuam sententiam reparari, vel ab ipsa diffinitiua appellari non possit, quibus casibus sacrorum, & antiquorum canonum statuta illibata permaneant.

3 Vbi vero appellationi locus fuerit, a Prouinciali ad Generalem, a Generali ad Protectorem, a Protectore ad sanctissimum Romanum Pontificem, supremum in Ecclesia iudicem appelletur, vt constitutione Apostolica iam cautum est.

4 Qui ordo etiam seruetur de recursu: ita quod reis ad maiores Prælatos, vel superiores reccurrere non liceat, nisi post sententiam ab inferiore datam.

5 Postquam reo, si appellauerit, Prouincialis copiam processus infra triginta dies gratis assignare teneatur, clausam, & sigillatam per ipsum ad iudicem appellatum afferendam cum obedientia eum adeundi.

6 Verum, si reus de fuga videbitur digne suspectus, ire

non

non permittatur; sed in loco detentionis remaneat; & processum iudex a quo mittat ad iudicem appellatum.

7 Et si reus repertus fuerit indebite iudicatus, vel grauatus, puniatur iudex, a quo fuit appellatum. Si vero recte iudicatus reperiatur, ei pœna iniuncta duplicetur.

8 Si autem dicta sententia non expectata, superiores ipsos adierit, ad iudicem, a quo discessit, remittatur, & eius iudicium expectet, ac Apostasiæ pœnam luat.

9 Qui autem supradictum recursus ordinem temere violarit, is omni suffragiorum iure triennio careat, & bimestri carceri omnino mancipetur.

10 Nam, cum nonnulli vagandi studio, siue dum imminentem admissorum criminum pœnam, & ordinis constitutionibus, aut alias debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causati, non ad immediatos ordinis superiores, sed ad Romanam curiam, absque licentia sæpius fugiunt, potius quam recurrant, vnde regularis disciplina relaxatur, ordinaria superioris potestas contemnitur, & ipsi in dies audaciores euadunt, sacræ Regularium congregationi, etiam de mente sanctissimi placuit, vt si quis temere, aut leui ex causa sanctam vrbem, seu curiam absque superioris licentia, & supradicta forma prætermissa in posterum adire præsumpserit, ad suos superiores, seueriori pęna plectendus, omnino remittatur.

11 Iure vero appellans, coram iudice, ad quem appellauit, acta primæ instantiæ omnino producat, & iudex nisi illis visis ad eius absulutionem, aut causæ cognitio-

nem minime procedat, alioquin absolutio, & inde sequuta quæcunque irrita censeantur.

12 Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioquin absq. illis causa appellationis huiusmodi, prout iustitia suaserit, terminetur.

13 Quod, si appellationis causam in partibus committi contigerit alicui probatissimo Patri ex vicinioribus Prouinciis committatur, qui nulla sit ratione suspectus.

Quando Prælati appellationem admittere teneantur nec ne. Cap. II.

SVMMARIVM.

1 *Ab interlocutoria, & alio grauamine reparabili non debent Prælati appellationem admittere.*

2 *Similiter nec appellationem à correctionibus debitè inflictis ex Pontificiis indultis.*

3 *Appellationem autem admittere tenentur à grauamine irreparabili, & à pœnis excedentibus correctionis modum.*

4 *Nullus itaque Prælatus Regularis appellationem iustam denegare potest.*

5 *Idem omnino de recursu.*

6 *Secus facientes peccant cum obligatione restituendi.*

7 *Ad quod sufficit, quod sententia credatur iusta, licet non esset.*

8 *Præ-*

8 *Prælati semper tenentur ad remouenda grauamina, quamuis in foro exteriori non tenerentur.*

9 *Tutiorem itaque partem eligant non obstantibus priuilegiis.*

10 *Præfata intelliguntur de pœnis grauibus non de leuibus.*

1 QVæ sunt clara in nostris statutis a nobis omnino seruanda vltra ius commune: sicuti, & cęteri regulares quicumque seruare debent suorum ordinum statuta. Constat autem ex nostris constitutionibus superiori capite adductis, quod Prælati non debent admittere appellationem ab interlocutoria, vel ab alio quocumque grauamine; quod possit per diffinitiuam sententiam reparari, quando locus est appellandi ab ipsamet diffinitiua sententia: quin possunt ad vlteriora procedere, causasque terminarę, non obstante quacumque inhibitione a iudice superiore emanata, & non obstante quocumque stilo, & quacumque contraria consuetudine.

2 Quin iuxta præfata Iulius Secundus, vt habetur in lib. monumenta ordinum in prima impreſsio. fol. 125. & in 2. fol. 220. conceſs. 499. prohibuit sub excommunicationis pœna Fratribus, & Sororibus Ordinis Prædicatorum, nè appellentur a correctionibus inflictis iuxta consuetudines approbatas, & statuta regularia debita maturitate, & deliberatione præmissa. Et idem habetur in supplemento Ordinis folio 121. conceſs. 553. Idem videtur ordinatum fuisse a Clemente Octauo suorum prædecessorum vestigiis inhærendo, paucisque variatis a superius

Ff 3 dictis

dictis ordini Cisterciensium, prout notat Rodericus to. 2. q. 42. & idem animaduertunt nostra statuta ex Bonifacio VIII. & ex Concil. Trid. vt superius patet, quare in præfatis casibus Prelati nullatenus appellationem admittere tenentur.

3 Veruntamen quando grauamen quodcunq. per diffinitiuam sententiam reparari non potest, & quando ab ipsa diffinitiua non esset locus appellandi, vel quando per ipsam modus correctionis notabiliter excederetur, possunt grauati appellare, & superiores huiusmodi appellationi deferre omnino tenentur, iuxta quādam glossam in l. qui res. ff. de re iudicata, & Panor. in c. licet de offic. ordin. & aliam glossam ibidem verb. interclus. & verb. appell. & Bald. in l. 2. §. ord. de his, qui sunt sui, vel alie. iur. cōmuniter receptum teste Nauar. in c. nullum 18. q. 1. nu. 50. quæ iura, & consimilia decernunt statuta nostra illibata permanere, vt superius patet.

4 Et quidem iure merito, nam appellatio est de iure naturali, nec tolli potest, quando est ei locus per quemcunque superiorem: & quando grauatis omnino interclusum esset appellationis refugium, possunt remedio defensionis vti, quam appellatio in se includit: & est de iure naturæ, & nemini prorsus neganda, vt superius ostensum est latius, quicunque enim Regulares quantacunque rigorositate, ac sanctitate degant in suis institutis nullatenus possunt derogare his, quæ sunt de iure naturali, & diuino. Panorm. in cap. cum dile. de appel. Nauar. lib. 2. consil. tit. de appel. consil. 5. num. 6. & iuxta hęc intelligendæ sunt constitutiones Apostolicæ omnes, quæ prohibere videntur appellationem Regularibus.

5 Et

5 Et idem prorsus obseruandum de recursu quocúque per quamcunque viam facto, si præfata locum habeant proportionate, sicut in appellatione.

6 Ex quibus constat, quod iudices Regulares iustam appellationẽ negantes, vel non admittẽtes, vel quomodocunq. impediẽtes, vel grauamina illata per aliam viã non remouentes, grauissimè peccant cum obligatione restituendi Nauar. in Manual. cap. 25. & grauiter sunt puniendi c. de priori. de appel.

7 Quod locum habet etiam, quod sententia non sit iniusta secundum acta, & probata; sufficit enim, quod credatur esse iniusta, & per nouiter adducenda possit demonstrari esse talis, vt argumento aliquorum iurium tenet Nauarrus vbi supra.

8 Et addit Rodericus in primo to. q. 29. art. 4. quod omnia iura, & priuilegia remouentia appellationem solum procedunt in foro exteriori, nam in interiori, si iudex grauat, peccat, non admittendo appellationem, etiam quod non teneatur in foro exteriori, vel alia via grauamen non remouendo, obligatur enim ad restitutionem Nauar. vbi sup. Glos. singularis in l. qui rest. ff. de rei vend. l. 1. de appel. c. ad nost. eodem tit.

9 Caueant itaque Prælati, nè contra propriam scientiam, & conscientiam grauamina inferant, quia semper ad ea remouenda tenentur, siue per appellationem, siue per aliam quamcunque viam. Et ne fallantur eligere tutiorem semper debent, non obstantibus in contrarium priuilegiis quibuscunque.

10 Prefata denique omnia intelliguntur de pęnis grauibus, & per sententias in scriptis latas impositis; nam leuiusculæ mortificationes, & regulares disciplinæ appel-

lationem nullatenus admittunt, vt superius dictum est, iuxta nostras ordinationes, & videtur etiam de iure communi c. irrefragabili. de offic. iud. ord. & c. cum speciali. de appel. & alibi.

Casus in quibus nullatenus appellare licet. Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Reus confessus, & conuictus appellare non potest.*
2 *Nec Reus confessus tantum.*
3 *Sed vtique conuictus tantum si verisimilem adducat rationem.*
4 *Confessi, & conuicti appellare quoque possunt ab excessu pœnarum.*
5 *A pœnis autem iuxta leges inflictis nunquam appellare licet.*

1 SVppositis omnibus præfatis, si reus est plene de delicto conuictus, & illud vlterius sponte confessus, nullatenus potest appellare l. 2. C. quorum appellatio, quod in omnibus delictis habere locum tenet communis opinio. Imola in l. fi. §. Luxus. num. 8. ff. de appell. & in tali casu reo appellante, sententia non debet suspendi, sed exequi appellatione non obstante.

2 Similiter, si reus est confessus tantum, & nō cōuictus, si suam confessionem non reuocauerit, non potest appellare c. cum speciali §. porro. extra de appellat. Bossius tit. de appel. num. 27. cum communi.

3 Con-

3 Conuictus vero tantum, & non confessus poterit appellare l. legit. C. de appel. & l. addictos. C. de Episcopali audien. & cap. cum sit Romana ext. de appel. & ibidem Decius, & alii, quod verum est, quando appellans aliquam verisimilem, & probabilem exceptionē educit contra testes, vel contra alias adductas probationes, vel aliquam aliam appellationis causam sufficientem, temere enim appellans, licet conuictus tantum, nullatenus est audiendus.

4 Vlterius notandum, quod etiam confessi, & conuicti appellare possunt, quando in infligendis pęnis modus a iure, vel statutis præscriptus exceditur iuxta superius tradita.

5 Cæterum a pęnis quibuscunque iuxta leges, & statuta inflictis, & seruato iuris ordine nulla vnquam ratione appellare licet, vt superius c. 1. nu. 1. dictum est.

An inferiores iudices teneantur exequi sententiam superioris omni postposita appellatione. Cap. IV.

SVMMARIVM.

1 *Inferiores Iudices non tenentur sententiam superioris iniustam exequi.*

2 *Quin eo in casu resistere tenentur superioris mādato.*

3 *Et debent appellationem admittere, eamq. Reos idiotas ex charitate docere.*

4 *Appellatio vero ad Iudicem ipsum superiorem transmittenda, vt desuper prouideat.*

5 Si

5 *Si sententia sit iniusta, ex defectu partis, est exequenda de iure communi.*

6 *Si vero a tali fuerit opportunè appellatum, non debet exequi sententia, sed resisti.*

7 *Cupit Auctor apud Regulares non exequi sententiam, quomodocumque iniustam.*

8 *Quod intelligitur de quocunque superiori, siue ordinario, siue delegato.*

9 *Si verò tantum dubitet inferior de iniustitia, sententiam superioris omnino exequi debet.*

1 MAranta post tractatũ de ordine iudiciali disp. 1. relatus a Roderico to. 2. q. 22. art. 8. distinguit, & optimè: nam si sententia lata per superiorem est notorie iniusta, & contra legem, & statuta Religionis, vel aliter ipso iure nulla dicunt Abbas, & Felinus in c. inter cęteta. de re iudic. quod in tali casu nullatenus tenentur inferiores iudices sententiam latam per superiorem exequi, nam sententia nulla nõ meretur de iure exequutionem; vt docet Dinus in c. quod quis. de reg. iur. in 6. & Bart. in l. vt vim col. 7. ff. de iust. & iur.

2 Quin in tali casu iuxta præfatas allegationes debent iudices inferiores omnino resistere superioribus iudicibus, & eorum sententias notoriè iniustas, vel nullas non debent exequi, v. g. Guardiani Prouincialibus, & Prouinciales Commissariis, & Commissarii Generalibus Prælatis resistere debent, & sic de singulis: & ego semel, cum essem Prouincialis, sententiam cuiusdam superioris, quæ videbatur mihi apertè iniusta, exequi nolui, & constantissimè restiti superioris mandato.

3 Non solum hoc; sed mea sententia iuxta præfatam

doctri-

doctrinam, & iuxta ea, quæ dixi in tractatu de reorum defensionibus, si coram ipsis Rei appellationem admittere tenentur, & si quando videant prædicti inferiores iudices miseros reos, vel ignorantia laborare, vel timore oppressos velle tales iniustas sententias subire, debent ex munere illos docere, appellationisque modum illis ostendere, & consequenter appellationem admittere, non obstante quocunque in contrarium superioris mandato.

4 Ad quem superiorem, & non ad alium appellationem præfatam transmittere debent, illumque præmonere de prætensa sententiæ iniustitia, vel nullitate, vt maturius cōsiderans causæ meritum, resipiscat, & sententiam, vel mutet, vel moderetur intra iustitiæ limites, quod, si facere noluerit, inferiores iudices, vt dixi, debent in sua sententia permanere, superiorique resistere, & eius sententiam nullatenus exequi iuxta vulgaria iura l. quoniam iudices C. de appel. & tenent Innocentius, & Abbas, & Felinus in c. si quando de offic. delegat.

5 Si vero sententia non sit notoriè iniusta, vel nulla, sed solum est iniusta contra ius litigatoris, distinguit Maranta vbi sup. quod, si non fuit ab ea appellatum, debet mandari exequutioni, & non potest aliquo modo inferior iudex eo casu resistere superiori, & imputatur ei, qui non appellauit cap. Pastor. §. quia vero de offic. delegat. & c. significasti, eodem tit. & Abbas ibidem.

9 Si vero a tali sententia fuerit appellatum, tunc pendente appellatione non potest iudex a quo exequi, nec mandare inferiori, vt exequatur suam sententiam: sed inferior debet illi resistere iuxta superius adducta iura,

&

& allegatos Doctores, quia post iustam, & legitimam appellationem iudex a quo efficitur incompetēs, & causa deuoluitur ad alium superiorem iudicem, & sibi tamquā incompetenti impune resistitur iuxta etiam alia vulgaria iura in l. 1. de iurisd. omn. iud. cap. 2. de const. necesse est. Bald. in l. ad dictos C. de episc. audien. Oltrad. consil. 20.

7 Sed inter nos regulares, qui mitiorem, ac tutiorem partem sequi semper debemus, vt millies dixi, siue fuerit appellatum, siue non, etsi non fuerit sententia notorie iniusta, dummodo certo sciat inferior iudex illam esse iniustam, vel debet reum docere, vt appellet, & appellationem admittere modo superius exposito: vel debet instare per seipsum precibus apud iudicem superiorem, & illum præmonere de sententiæ iniustitia, & quod illam non exequatur: & denique omni meliori modo, & via resistere superiori, & omne remedium adhibere, ne alicui iniustitia, vel grauamen aliquod inferatur iuxta ea, quæ docet Rodericus in simili loco cit. secundum ius commune, & secundū quandam decretalem cap. si quando de resc. & Innocentium, & Abbatem ibidem, iuxta quæ multo magis locum habent inter nos regulares omnia præfata, vt dixi.

8 Nec enim hic distinguendum de iudice delegato, vel ordinario, sicut distinguit loc. cit. Rodericus; nam inter nos regulares præfata doctrina locum habet in quocunque iudice inferiori respectu superioris iudicis, siue ordinarii, siue delegati propter superius adducta.

9 Denique, si dubitatur de sententia superioris, an sit iusta, nec ne, tunc obediendum est iudici, cuius auctoritati in hoc non potest resisti, quia habet præsumptionem

nem pro se, & ita docet Dinus in d. cap. quod quis, & ita procedunt omnia iura, quæ dicunt, esse obediendum præcepto superioris siue iusto, siue iniusto; hoc enim verum est, dummodo nõ sit ipso iure nullum, vel non contineat notoriam iniustitiam, vel iniustitiam saltem notam iudici inferiori, & de qua non dubitet, vt supra expressum est, omne etenim dubium deponere debet ex mandato superioris, præsertim apud nos, qui obedientiæ voto ad id tenemur.

De effectibus appellationis. *Cap. V.*

SVMMARIVM.

1 *Appellatio duplex, & quid vtraque sit.*
2 *Appellationis iudicialis effectus multiplex.*
3 *Deuolutiuum effectum qua appellatio operetur.*
4 *Omnis appellatio, exceptis censuris, suspendit sententiam, & effectum.*
5 *Et ita suspenditur suspensio, vel priuatio vocis in capitulis.*
6 *Cuperet Auctor per aliquot dies ante capitulum non posse priuationum sententias ferri.*

1 Appelatio iuxta Rodericum tom. 1. quæst. 29. art. 1. duplex est, videlicet extraiudicialis, & iudicialis. Prima est à præsenti, aut verisimiliter futuro grauamine ad superiorem prouocatio: & de hac non est hic sermo. Secũda, de qua hic agitur, est prouocatio legitima ad superiorem iudicem, continens iniquæ, vel iniustæ sententię querelam.

2 Et hæc duplicem operatur effectum, s. suspensiuum, & deuolutiuū: suspensiuus iterum est triplex; nam suspendit pronunciatum in sententia: secundo suspendit iurisdictionem iudicis quantum ad illā causam, & transfert eius cognitionem ad superiorem iudicem; & tertio suspendit præsumptionem, quæ erat pro sententia.

3 Deuolutiuum verò effectū operatur appellatio in sententia censuræ ecclesiasticæ: nam propter sequentem appellationem sententia talis non suspenditur; sed talis appellatio solum operatur effectum deuolutiuum ad superiorem iudicem deuoluendo causam Siluest. tit. excommun. 2. §. 1.

4 Ex quo patet, quod omnis appellatio, exceptis sententiis censurarum ecclesiasticarum suspendit sententiam, & eius effectum; etiam, si secum trahat exequutionem, l. furti. de his, qui notantur infamia, & est communis, & recepta sententia; quam seruat totus mundus: & nostra etiam statuta, vt superius constat.

5 Ex quibus elicit, & aduertit Rodericus to. 1. q. 29. artic. 5. quod appellatio a suspensione vocis actiuæ, & passiuæ suspendit, dictam suspensionem, & ita suspensus a dicta voce actiua, & passiua, si post appellationem eligat, vel eligatur, valida proculdubio erit electio, quod notare debent Regulares, quando vident aliquos iniustè priuari, vel suspendi in capitulis, vt sic ab electionibus excludantur.

6 Sed quo ad id vellem omnino prouideri, vt nullatenus possent priuari vocales, vel etiam Fratres quicumque, congregatis iam capitulis, nec per aliquot præcedentes dies ante capitulorum celebrationem, vel celebrationis indictam diem, vt, vel sic occurratur passionibus,

nibus, & odiis, tam Prælatorum, quam subditorum: Experientia namque constat per quam diuturna, & notissima, quod malignantium agmina tunc temporis maximè coeunt, & conspirant, & semper aduersus meliores, vel optimos Reipublicæ Patres, & nullus est dissidiorum, malignantium, & calumniarum, & discordiarum finis. Quare ad hæc omnia eliminanda præfato salutari remedio occurri omnino vellem ad tranquillitatem, & pacem Religionis, eiusque salutarem disciplinam retinendam, perpetuoque conseruandam. Quod nobis concedat per suam gratiam, qui nos ad Religionem per suam vocauit misericordiam. Amen.

FINIS.

Corrigente Admodum R. D. Francisco Baretio.

Regiſtrum.

ab ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ
Aa Bb Cc Dd Ee Ff.

Omnes ſunt duerniones.

VENETIIS, MDCXX.
Apud Baretium Baretium.